

DISCURSUS APO-  
LOGETICUS  
JOANNIS ZWELFERI,  
MEDICINÆ DOCT.

*adversus*

Hippocratem Chymicum  
OTTONIS TACKENII:

*Ejusq; adulterini Salis Viperini novissimi Funda-  
menta, ut ait, antiquissima.*

Cui & accessere

E I U S D E M

JUSTISSIMÆ VINDICIÆ

contra

FRANCISCUM VERNY

Pharmacopœum Monspeliensem.

*Annexo etiam*

APOLOGEMATE EPISTOLICO  
ANONYMI.

Ecclesiastici c. 4.

*Pro anima tua ne confundaris dicere verum. Ne accipias faciem adversus  
faciem tuam, nec adversus animam tuam mendacium. Non abscondas  
sapientiam tuam in decore suo. Non contradicas verbo veritatis ullo  
modo, & de mendacio in eruditionis tue confundere.*

NORIMBERGÆ:

Sumtibus MICHAELIS & JOHANN. FRIDERICI  
ENDTERORUM.

ANNO M. DC. LXVIII.

Ἔγνων,

Vidi,

ἀνέγνων,

Legi,

κατέγνων.

Damnavi.

*Præmonitio Authoris ad Lectorem.*

**P**AUCIS hisce præmonitum volo, quòd, quæ Typo minusculo, Cursivo dicto, hâc in Apologia scripta apparent, Textus ac verba sint propria Tackenii; cùm quæ in ipsius Opusculo, Hippocrate Chymico, quod ex instituto, graviter laceffit, refutandum suscepit: tum etiam, quæ in Tackenii Epistola de famoso liquore Alcahest, ad Celsissimum Holfatiæ Principem, Fridericum, Slesvicensem, Anno 1652. exarata, Hamburgi impressa, propriâq; jurati Notarii attestazione confirmata: nec non in ejus Apologia contra Virum integerrimum, D. Helwig Dietericum, Anno 1655. & Echo ipsius ad Vindicias prædicti D. Dieterici Venetiis Typis mandata verè contineantur. Si quæ igitur vitia circa communia Grammatices, & inprimis Orthographiæ, principia in his dictis hinc inde Tackenii propriis Textibus occurrant, studio illa in suo vigore, prout verè & realiter ibi continentur, etiâ hîc relicta sunt, ne vel jota, nec punctum quidem, Textibus desit, aut mutilati videantur; nisi unus atq; alter forsitan incuriâ vel Typographi, vel Correctoris, irreperit error. Quas itidem Defensio justa, seu Vindiciæ undiquaq; approbatæ, contra Verny Gallum exhibent, literas minusculas, ex Gallico in Latinum, Versionem & Textum esse Vernianum, æquè Benevolus Lector judicato.





Spectabilibus & Excellentissimis Viris,

INCLYTÆ ET ANTIQUISSIMÆ MEDICORUM  
FACULTATIS AUSTRIACO-VIENNENSIS:

- D.D. Paulo de Sorbaitz, Phil. & Medic. Doctori, Ejusdemq; Practicæ  
Professori Primario, Augustiss. Eleonoræ, Imperatricis, Viduæ Personæ  
Medico, ac p. t. Inclyti Collegii Medici Viennensis Decano spectabili.
- D.D. Ramoldo van der Borch, Sacr. Cæs. Majest. LEOPOLDI Ar-  
chiatro, & Proto-Medico.
- D.D. Christiano Rechberger, Augustiss. Imperator. LEOPOLDI Ar-  
chiatro, & Collegii SubSeniori.
- D.D. Antonio de Pozzis, Sacr. Cæs. Majestat. LEOPOLDI Archiatro.
- D.D. Tobia Czauschelio, Sacr. Cæs. Majest. Personæ Medico.
- D.D. Marco Aurelio, Gisgonio, August. Eleonoræ, Imperatricis, Archiatro.
- D.D. Bernardo Schlütter, Inclytæ Facult. Med. Seniori.
- D.D. Balthasari Mannagetta, Sac. Cæs. Majest. Aulæ Medico.
- D.D. Francisco Ganzer.
- D.D. Christophoro Leopoldo Heffner, Sacr. Cæs. Majest. Aulæ Medico.
- D.D. Petro Leonhardo de Montquintin.
- D.D. Laurentio Stuber.
- D.D. Ferdinando Slabio, Physico Neostadiensis.
- D.D. Joann. Melchiori Schubert.
- D.D. Valentino Laurentio Wagner.
- D.D. Joh. Conrado Kremer, Theor. Profess. Prim.
- D.D. Joh. Jacobo Stumpff.
- D.D. Ferdinando Friderich Jlmer, Theor. Profess. Ordin.
- D.D. Nicolao Beckers, S. C. Majest. Aulæ Medico.
- D.D. Joh. Adamo Spenholz, p. t. Physico Jaurinensis.
- D.D. Joh. Georgio Schoneich.
- D.D. Joh. Christophoro Resch, Urbis Medico Loimico.
- D.D. Laurentio Wolffstrigel.
- D.D. Matthæo Ludovico Ursino.
- D.D. Georgio Sebastiano Jung.
- D.D. Zacchariæ Mannagetta.
- D.D. Joh. Claudio Rhoe.
- D.D. Joh. Habersack.
- D.D. Jacobo Heinricho Kielmann.
- D.D. Joh. Ferdinando Sculteto.
- D.D. Paulo Esaiæ Plökner.
- D.D. Augustino Francisco Vogel.
- D.D. Heinricho Wenceslao Postmitio.
- D.D. Joh. Christoph. Nabroth.



## DEDICATIO.

**D**Isquirenti diu multumq; mihi, ubi-  
nam gentium Areopagus, aut unde justissimi cau-  
sarum arbitri accederent, Vestra mihi affulsit æqui-  
tas, Viri Sapientissimi, utpote quibus longæ artes,  
consummata sapientia, avita & constans fama, in  
medendo felicitas & principatus (Soli adderem splendorem, si ve-  
stris insisterem encomiis) liberum dedit calculum, & jus suffragan-  
di, nec non literatas causas dirimendi. Sereno itaq; animo, &  
tranquillatâ mente, causam meam ad Vos devolvi cupio, & *Tacke-  
nii* cujusdam Miso-Chymici petulantias, &, in Rempublicam Me-  
dicam, (quam, dum me impeteret homo arrogans, seditiosè arieta-  
vit) probra & convitia sulto; nec non *Vernii*, Monspeliensis Phar-  
macopœi, simplicissimam & ridendam superbiam, quâ (homo nec  
Latini idiomatis gnarus) Zvvelferi lucubrationes refutavit. Risi  
in *Tackenio*, iniquissimo homine, temerarios ausus & irritos co-  
natûs; in *Vernio* rusticum & præcocem honoris ambitum, famæq;  
pruriginem, quâ Scriptoris nomen præmaturiùs affectavit. Sortem  
interim meam suspexi, quòd cum Doctissimis Viris parem subirem  
aleam, atq; livori paterem. Quis enim non novit, quòd cum sapien-  
tia invidia adoleverit? Viros, artes professos, Momos ubiq;, &  
Zoilos, Satyricos & obtrectatores sustinuisse? Ipse Homerus, An-  
tiquitatis Parens, Magni Alexandri pupilla, divinus Hippocrates  
Cous, Plato divinisissimus, suâ profanati divinitate, sacrilegos ha-  
buère obtrectatores. Græca Methodicorum Schola, & Medici, à  
Catone Censorio, sine discrimine, homicidæ dicti, quòd, primi Me-  
dicorum, remediorum variam penum invenerint; cùm Cato omnem  
in simplicitate salutem collocaret. Et: ut quid vetusta narro? Di-

cat



cat nobis vicinus Andreas Libavius, Germanæ sapientiæ Gemma, Medicus & Chymicus Illustris, quid, post tot labores, & innumera merita de Republica Medica, ab obscuro Henningo Scheunemanno; quid à Grammano (nondum excocto Paracelsistâ) quid à Bisterfeldio; à Goclenio; quid à Guiberto Lotharingo, retulerit. Loquatur Quercetanus, quid à suo Riolano: enarrent Scholæ, quid à Theophrasto & Helmontio perpessæ. Et, ut innumeros taceam, referat nobis recentissimus Fortunatus Plempius, quid à Mastige suo sustinuerit: quid à Jacobo Sylvio (cujus invectivas Tyrannicam doctrinam vocat Sanctorius) tanti nominis Anatomicus, Vesalius, innocuè supportarit. Ut innumeros taceam. Probra à tergo, maledicta coràm, fucos experti sunt ignavos, qui apum industriosos labores consumerent. Duram, fateor, suscepimus Provinciam, spectabiles Viri, cùm Tackenum ad frugem reducere nostro Apologemate contendimus, adversus quem plurimi Europæ Medici (aut quæ non Universitas calamum exacuit, ut ejus petulantiam reprimeret: attestante hoc, impressis monumentis, Helvico Dieterico?) dimicarunt: cùm interim Tackenius afflictione, cum Pharaone, sit factus durior; cum Nabal, post increpationes, obstinatio; &, ut ait Petrus Ravennas, in Epistolâ, Perversum corrigere, nil aliud sit, quàm stimulare insanum; quàm oleum adhibere camino, & ventis incendia superare, & ut Seneca, de Moribus: desinat remedio locus, ubi, quæ fuerunt vitia, mores fiunt. Placuit tamen, Mediolanensis Præsulis acquiescere Placitis, qui ait: Rescindenda est insipienti potestas, non adjicienda libertas. Insipientis enim, in libertate, ruina vehementior. Neq; irritum est consilium sapientissimi Hugonis, *lib. Institut.* quando, Si difficile, inquit, est, cor malitiâ induratum ad formam disciplinæ, & speciem honestatis, incurvare; necesse est, quùm dura materia facilè ad formam non flectatur, ei acrioris flammæ incendium, & mallei gravioris percussio, adhibeatur. Nisi enim hoc præstemus, vitia, ut ait Cordubensis, transmittimus ad Posteris; dum præsentibus culpis ignoscimus: bonisquæ obsumus, dum malis parcimus. Hanc igitur triumphatam servorum bigam, ac illiteratâ mancipia, ad Vos



defero, Æquisimi Arbitri, & spolia divido. Confido, quòd nostris successibus & Victoriæ, quam latius prosequor, oculis animisque comites, fausta quæque ominaturi sitis. Interim Valetè, Europæ lumina, & hæc, affectuoso obsequio, ad Vos deferentem Zvvelferum, semper devotissimum amplissimo nomini Vestro, constanter redamate. Sic vovet

*Speḱtabil. & Excellentiss. Domin.  
Vestrarum Inclytæ & Antiquis-  
simæ Facult. Viennens.*

Dabântur è Musco meo, Viennæ  
Austr. die XXIV. Mens. Junii.  
A. D. M DC LXVII.

addictissimus

Johannes Zvvelfer, D.

PRÆ.

PRÆFATIO  
AD  
LECTOREM.

**E**minos Tibi sisto Fratres, Amice Lector, quos diu ignorantia utero conclusos tandem enixa est malitia, Tackenum nimirum, Medicum, & Verny, Pharmacopœum, par nobile fratrum. Tackenius homo durus & asper: pilosum aliquem & hispidum Esau dixeris, qui calcaneo sapientum insidiatur. Verny simplex, at superciliosus Idiota: Nabal aliquem descripseris, qui Hebraicè dementem sonat juxta illud: Sunt quidam Docti, quos gloria vexat inanis. Mirabere forsan, A. L. quod præservidum lavacrum, & acerrimum lixivium, recens natis destinârim, quin vel pumice ad spasmodum usq. defricuerim; sed mirari desines, ubi indolem hominum noveris, vocem eorum audieris, petulantiam experiere. Tackenius enim, jam in cunis robustus convitiator, præterquam quod invitum Zwellferum, diu multumq. stimulatum ac laceffitum, ad hac sollicitavit; postquam scholas, & Medicos nostros, (quos festivo sarcasmo Canonicos appellabat) strenuè eraduxerat; postquam doctrinam ediderat numeris Platonice obscuriorem, erroribus horridam, sordidiorem Phormionis thoro, & Augiæ stabulo; dum post ampla promissa (Charetis pollicitationes dixeris) post magnifica decantata secreta, Atticus tandem manum aperiens, de penu sua remedia & thesauros promissos porrigeret, arcana scilicet pro callis pedum, Saponaria, & Vitruvia Regulas, de Lixivii tractatum, & hujusmodi rara & abdita plurima: non fuit convitium, non hyperbole, non petulantia, quam in Reformatorem (sic suum olim amicissimum Zwellferum histrio & ardelio cognominat) licentiosè non exercuerit. Adeo, ut in constantissimum Virum etiam cadere non possit, quin huic morioni pro stultitia sua respondeat; quidquid Epictetus in contrarium hortetur; cujus tota Philosophia, hoc laconismo, & uno absolvitur diverbio: Sustine & Abstine. Prolixior itaq. fui in reprimendo Tackenio, & armis inculpatæ tutelæ tractandis: culpam fateor, B. L. sed id iniquissimi hominis amplissima deposcebat temeritas; cui etiamnum pro meritis non respondi. Interim jucunda utili immiscui, ne te nostra taderet prolixitatis. Tu, Amice Lector, auditâ hâc nostra Apologiâ, & justissimis Vindictis, calculum subducito, & an acti labores nostri, quos iteratò Europæ impendimus, tam famosum libellum, & infames pagellas, quales Tackeniâ esse reperies, promeruerint, judicato. Interim Vale, Tuiq. studiosissimum Zwellferum ama.

Et Tu, Tackeni, speculum, quod Tibi objeci, letus arripe, ac, quantum ab homine ac probo Viro degeneraris, contemplare: recole, quàm amara, immatura, austera, & iniqua adversus amicum, non provocatus, non stimulatus, ultrò citroq., pro libidine ac maligno animo scripseris; quàm ridiculè tibi cesserit illa, quam, præcoci gloriolæ pruritu, D. D. Augustanorum susceperas clientelam, alienâ infamiâ. Nota verba Reformatoris, signa mysteria, rumina iteratò doctrinam; det, obsecro, vexatio tibi deinceps intellectum, quem luminosum precor. Hanc interim, quam scripsi, exegezin, quam coram, & super tecta, prædicavi, tuis, obsecro, in aurem concedito; &, si potes, Vale.



*Nobilis, Excellentissime & Expertissime Dom. Doctor,  
Amice percolende!*

**D**efensionem, in proportionem retorsionis, & sine excessu moderatæ tutelæ, constitutam, juris esse cùm divini, tum humani, luce ipsâ meridianâ clariùs elucet; imò probatur id ex *l. 3. de justit. & jure*: & passim, *ad legem Aquiliam*.

Similem defensionem, non ultionem, gravissimè irritatus, suscepisse videris, in Apologiâ tuâ contra *Tackenium*; quam equidem perlegi, & sepositis Moralibus, ad scrutinium Medicum non spectantibus, Physicè non apodem, sed fortissimis & ingeniosissimis innixam fundamentis, reperi, dignamq; ut eò detorqueatur, unde primam sumpsit originem, nec non à quovis Philiatro studiosè legatur. Maneo interea Dominationis Tuæ Excellentissimæ

Datum ex Museo meo,  
Viennæ Austriæ, Ao.  
1667. 19. Julii.

*Servus ad omnia paratus,*

Paulus de Sorbait, Phil. &  
Med. Doctor, p. t. Facult.  
Medic. Viennensis Decanus.

*Nobilis, Excellentissime Domine Doctor,  
Amice plurimùm dilecte!*

**A**ctus à Tackenio, meritò retorsionem meditaris. Didicisti enim vel minimi Vermiculi exemplo, quòd is, dum innocenter comprimitur, suo motu offensam reprimere conatur. Fama non patitur jocos, quia cum vitâ pari passu ambulat. Qui tacet, exclamat *Juris peritus*, non utiq; fatetur: sed tamen verum est, eum non negare. Apologia Tua constat solidis, in ratione & arte fundatis, argumentis. Placent cuncta, sphaeram activitatis Medica non excedentia. Vale, & famæ Tuæ conservationi stude diligenter; quâ semel amissâ, postea nullus eris.

Excell. Tuæ

Dabam Viennæ,  
24. Julii 1667.

*ad obsequia paratissimus,*

Tobias Czascheliuss, Med. D. &  
Sacr. Cæs. Maj. Personæ Medicus.

*Excell.*

Excellentissime & Doctissime Zvvelfere,

Amicorum Intime,

Salutem & Sanitatem!

**R**Ecepi è Museo tuo ad me consignatam Epistolam, unà cum Vindiciis Magni illius viri, Helwig Dieterici, uti & Doctissimum Apologeticon tuum, utraq; adversus *Otthonem Tackeniū* acriter & pro virili decertantia. Quæris à me, & suffragium (ut ais, sincerum) ab amico deposcis, num in reprimendo aut confutando *Tackenio*, mansuetudinis leges, & justæ vindictæ limites, non exceßeris. Placuit sanè æquissimæ ultionis, & liciti furoris, moderamen; quòd nec hosti velis esse injurius. Si meum præstolaris calculum, tantum abest, ut ab hisce Vindiciis te revocem, quin potius currenti addam calcar, & stimulos properanti. Nam si amplissimam famam, quâ, toti Europæ conspicuus, omnium ore & animis hætenus ferebaris; si uberrimos fructus, quos doctissimæ lucubrationes tuæ literato Orbi constanter hætenus attulère, penitus consideres: grande nefas est, quòd hanc *Tackeniū* fraudulenter eclipsare; illos arcanis machinis & livore, uno hoc famoso, & mille sarcasmis luxuriante, libello præpedire attentârit. *Tackeniū* non provocatus, sed propriâ excitus libidine, Zvvelferum, Amicum, Mecænatem, igne & ferro, ut ajunt, persequitur; & tu de justissima vindicta, vel hosti inferenda, ambigis? *Tackeniū* mendaciis, convitiis, & mille criminationibus, non laceffit, te lapidavit; & tu blanditias, & verborum lenocinia, deterrimo hosti meditaris? Infelix Medicus, qui carcinoma fovet, non sanat: & crudelis lenitas, palpare vitia, & scelus simulando propagare. Si enim sedulo tecum ruminas, quæ & quanta de *Tackenio* Magnus ille Helwig Dietericus, quæ Principes & Illustrissimi Viri, quanta Doctissimi cætus, Universitates, & Lyceæ, publicis Typis olim divulgârunt; profectò verecundè nimis *Ottonis* hujus, & novi Hippocratis, ineptias divulgasti, ac virum sine famâ diffamasti, forsan majora, (sic conjicio) in futurum revelanda, conservasti. Perge igitur, quo cœpisti, pede; regiam tenes semitam; ac, justas esse, arbitror, Vindicias tuas, & arma inculpatæ tutelæ, quæ pro fama & vita suscepisti. Faveant Superi *Tackenio*, ut hōcce proficiat collyrio, ne fors recidivus novissima reddat deteriora prioribus. Vale, vive, meq; constanter redama. Sic vover, ex Museo, 17. Julii, 1667. Viennæ Austriæ,

Exc. Tuæ

Amicus perpetuus,

J. A. S. P. & M. D. p. t. P. J.



Nobiliss. Excellentissime Domine Doctor,

Fautor ac Patrone Colendissime,

Salutem & Prosperitatem!

**R**es ardua sanè, & mera temeritas est, in somno profundo latentem excitare Leonem; & nunquam laceffitum, nec provocatum, arripere arma, Insipientis Suada. Etenim, Si sitit humanum rabiosa Lycisca cruorem; mox ea tortoris concidit icta manu.

Talem, Excellentiss. Vir, se nuper ostendit *Tackeniū*, ex Orco rediivus Hippocrates Chymicus; & instar Cerberi sitiebat, non satis hucusq; in scholis laudatas, & in foro Medico bene acceptas, utilissimas tuas Lucubrationes, ac Opera orbi dicata, devorare penitus, & suo Libello, falsisfimis (rectius dixerim stultissimis) principiis ac fundamentis impleto, Tuam Famam opprimere volens. Hic, inquam, non laceffit, aut unquam provocatus à Te, Doctissime Zvvelfer, ense arripuit, & tumidus, sarcinatus scommatis, turgidus sarcasmis, rotus ventosus, ac iracundo & atroci cinctus colore, incessit, & Te, veritatem vindicantem, vel ledere, vel obumbrare



brave, conatus est. Vidi ego, & cum stupore Tackenum legi; miratus, quòd, qui aliàs Apollo, & Oraculum Hadria magnum videbatur, nunc talia absurda proferat, & nefanda tractare studeat; & quod maximum, Detractorem agat, & pro animo grato, Cuculum induat. Mente captum hunc esse, judico; & κακοσπλαγχνία laborare videtur, & Linguae pati vitium, vel oris torturam. Morbus reverà magnus, & symptomata non floccipendenda sunt; & nì, ipso decente Coo divino, Hellebori quantitas offeratur, periculum in mora esse, vereor. Citò igitur curandum censeo. Percussio valet, dicunt & Medici, & alii. Inter quos Ingeniosissimus D. Antonius de Burgurdia, in suis, de Linguae vitiis & remediis, Emblematis. Pro Lingua jactabunda, hoc certum remedii genus esse, & Panaceam, suadet, dum inquit: Percute, sanas:

Fixa patent nimis ora? genas modò percute; sanas:

Et grave sola mali discutit umbra malum.

Jactabunda patent nimis ora? sed incute probrum:

Incussusq; probri eomprimet illa pudor.

Percute igitur, Vir Excell. sanas; & licitam exerce vindictam; siquidem & justa defensio contra hostes probatur iniquos. Tu provocatus, & lacesitus, Famam servare memento: stabis intrepidus, & hostis tela jacta recusabis; cùm tandem bona causa triumphet. Apologià tuà perdoctà vinces Momos, & grandiloquis consues ora. Fundamentis tuis nenas Tackenii obtundis, & rebus utilibus protinus ejus abigis falsa. Stes semper intrepidus: hostes percute; sanas. Favet undiq; Tibi DEUS, Valeas, Vivas: sic vovet Vienna Austr. d. 28. Julii, 1667.

Excell. Tuæ

Obligatis.

David Eckellius, D.



**D**IVINA VIRTUS invidis mortalium  
Volvi hinc, revolvi & inde motibus potest:  
Nec verò, ut opprimatur adversis timet:  
Sed quò frequentiore motu volvitur,  
Eò citatiore cursu impellitur.

ZWELFERE! Machaoniae scientiæ,  
Præclare Restaurator! Aureum Decus!  
Tu proprio exemplo istud edoces tuo.  
Lingua lacesitus procacis impetu  
Tu fortiore tela spiritu excipis,  
Audentior motu in Authores suos  
Felix retorquens illa, victor hostium.  
Pro singulari amore, pro curâ tuâ,  
Omni gerebas quam fide in Rempublicam  
Apollinis, Tibi supremas gratias  
Agi, & Trophæa laudis erigi decet,  
Primò quasi Augiæ bubile foetidum  
Demum repurganti, alteri velut Herculi;  
Sed competentem denegare gloriam  
Tibi, Vir omni encomio sublimior!  
Non erubescit cœtus ille lividus.

Compscere autem postmodo Tackenius  
Digito labella discet, atq; Vernius

Sinetq;

*Sinetq; Vernicis quasi immersus luto  
 Garrire cum muscis. Sed exemplum sibi  
 Juxta capeffant, quotquot ad convicia  
 Sunt promiores, & bonos proscindere  
 Mordace sueverunt cavillo. En! hoc lucri  
 Li reportant, quos, viros infamiâ  
 Virtute pradtos notare, non pudet:  
 Ludibrio fiunt, & omnibus odio.*

Johannes Georgius Volckamerus,  
 Doctor Medicus Reip. Norib. ac p. t.  
 Collegii Med. Decanus.

*In Tachenium Momum A Zoilo mastige, vel Zoilum feriente  
 Exc. Dno D. Zvvelfero,*

*Panacea sua universali lixivio curatum:*

*Epigramma.*

**T***Achenium Hippocratem furor incurabilis armat,  
 Inq; novam rabiem triftis Erinny's agit.  
 Viscera fi nocuâ tumuiffent læfa rubetâ,  
 Te poffet Medicas, Pfyllæ, rogare manûs.  
 Nunc date, fi qua liquant meliores germina succos,  
 Si qua peregrinas Infula fudar opes.  
 Dicite, fi quid habet natura potentius: ifte  
 Sanari tritâ non folet arte furor.  
 Hoc veratri vis nulla juvat, curâtve, cerebrum,  
 Evacuet totas jam licet Anticyras.  
 Et juxta ferum eft, capitis pertundere venam:  
 Non una hunc morbum vena, fed omnis, habet.  
 Inflatus libro, Hippocrates, tumidusq; superbis:  
 Morbus, crede mihi, eft, non Medicina, tumor.  
 Quânta hîc pauperies, & docti falis egeftas!  
 Quâm tibi contufum, Prifciliæ, caput!  
 Grammaticas ferulis dignas plagisq; lituras,  
 Afophus, ad Sophias absq; pudore refers.  
 Incoctas crambes, vel ftraminis igne recoctas,  
 Apponis Doctis, crede mihi, infipidas.  
 Tu faniofe Jater nævis, & turgide morbis,  
 Hîc cura Te ipfum, non alium, Medice.  
 Scripta docent, quòd tu nec te curare, nec ullum,  
 Ex malè transcripto, fis potis, Hippocrate.  
 Do tibi confilium: Zvvelferi Embammata curant,  
 Quæ capiti apponit, Tackeniæ, Tuo.  
 Non Cucuphæ, non Emplaftrum, Lixivia fanant.  
 Zvvelferi, penetrant fubtus inane caput.  
 Huic te fubmitte, hunc fequere, hunc imitare Medentem,  
 Nulla tuis melior cura petenda malis.*

*ſinceritatis ergo cecinit*

*Qui Tackenium Legit Et Improbavit,  
 Philoſoph. & Med. Doctor.*

*Chronoſtichon:*

*DabaMV's anno, qVo Takenlana agebatVr fLageLLatlo.*



In  
Apologiam contra Verny,  
Pharmac. Monspeliens.

**M**Undata & defensa nitet Confectio Kermes,  
Inq. Appollineis tuta quiescit agris.  
Comptior in Medicum jam totum pervolat Orbem,  
Europa agnoscit robur inane doli.  
Nunc stabis, ZWELFERE, velut Marpesia cautes,  
nec vincent vires Amphytrioniadis.

Ferdinand. Fridericus Jlmer,  
Theor. Profess. Viennensis Ordin.



*In Lode del Eccellentissimo e Dottissimo*

**Sig.<sup>re</sup> GIOVANNI ZWELFER,**

Medico Famossissimo, intorno alla risposta fatta al' furioso e mordace libro del Takhenio.

*Sonetto.*

**D**, Epidauro, e Delo i degni honori  
Zwelfer nuovo Chirone al Cielo ergesti,  
E se ben un Maligno à fronte hauesti;  
Non valse ad offuscare i tuoi splendori.  
Sempre furono immuni i sacri Allori  
Dai serpi dell' Invidia, onde sorgesti  
Più glorioso, e co' fecondi innesti  
Della virtù, fugasti i rei malori.  
Già il Destrier di sileno il trotto allenta,  
Ch' al suo intento il poter non corrisponde;  
Ne di toccarti piu' Takhenio hor tenta.  
Ben vede e d' ira freme, e si confonde,  
Che Cinthia de suoi Cani non paventa:  
Nè di sirio al latrar Febo si asconde.

*del suo Signore e Cognato*

*affettionatissimo Servitore*

Seraffin Francesco Mensurat.

OTTO-

OTTONIS TACHENII  
HIPPOCRATIS CHYMICI  
REFORMATIO:  
SEU  
ADULTERINI SALIS VIPERINI  
REFUTATIO

A

JOANNE ZWELFER, Dre. ET  
MEDICO,

BREVI APOLOGEMATE  
ADUMBRATA.



Eviviscis ergò, ac lucem rursus subis, *augustum*  
*Chymicorum jubar, Europa decus, magne Hippocratis Vindex,*  
TACKENI? Resurgis iterum prodigiola anastasi, *melior*  
*Chymicorum Phœnix*, ex infami busto, & cinere, (olim Ber-  
lini) & in apricum prodis, Cimmeriis dignissime tenebris?  
Prodis iterum in scenam, ac theatrum, *Tackeni*, nò jam am-  
plius *histrion*, & *scurra*, ut tua quondam ferebat indoles, non  
jam amplius *Epicuri de grege Candidatus*, non *maledicus*, nò *convitiator*, sed *novus*  
*bonarum artium Mysta, Chymiae Mecænas, redivivus Hippocrates, Vir, cujus augusto*  
*nomini universa assurgat Europa?* Sic est. Perlegi, mi *Tackeni*, eruditissimi ingenii  
tui, ac genii, foetum; tuum, inquam, *Hippocratem Chymicum*, seu *antiquissima no-*  
*vissimi Salis Viperini fundamenta*; imò recentissima mendacia, & posthuma  
magni HELMONTII furta, & rapinas; quæ miro artificio, nexu, ac frau-  
dibus, in unum colligasti fasciculum, nec non in seriem distinxisti: adeò, ut,  
nisi te Cuculum clare nossemus, tuum hunc foetum esse, crederemus; qui ta-  
men, alienis incubans ovis, peregrinos foetus exclusisti. Perlegi, inquam, li-  
bellum tuum, numeris omnibus absolutum, in quo aphoristicâ brevitate, &  
rarâ perspicuitate, feliciter in Compendium ea redelegisti, quæ vastis amplis-  
que tomis pauci ævo nostro absolvère: & quod totius Operis est complemen-  
tum, tui olim familiaris, *Zwelferi*, (licet injuriâ temporum proprium tibi  
exciderit nomen, dum *Reformatorem* compellas,) memoriam nondum peni-  
tùs deposuisti, sed, amico dialogismo, per discursum, tecum inducis sermo-  
cinantem, veterum, nullus dubito, memor beneficiorum, dum in *Antenoris*  
*urbe mensæ eidem accumbes*, meum sæpius auxilium implorabas. Verum non

AA

succen-



succenſeo, mi *Tackeni*: novi genus, & indolem tuam. Neque enim aliis aſſuevit hoc genus hominum, in Paſtorum mappalibus & hâris collectum; hæc, inquam, Ardelionum turba, quæ, mulorum inſtar, ubi ad præſepe domini ingluviem explevere, recalcitrant, ſequæ belluas oſtendunt, ad genium pro-  
perantes.

Et verò, quid agis, quid moliris, *Tackeni*? Num tibi claudicat ingenium; delirat linguaque mensque? Num callum obduxiſti, perfrictæ frontis homo, ac, perruptis honeſtatis repagulis, omnem repudiaviſti verecundiam, ac pudorem proſcripſiſti? Num ad *δυσελπίας*, ſeu deſperationis, barathrum delapſus es, unde pedem referre nequeas? Num fonticus morbus tuus curationem, ac manum Medicam reſpuit, dum iteratò recidivus, ſcurrilitate plebeiâ furis & exaſtuas? Profectò, *Tackeni*, dum labia dolosa tua contemplor, parum dixerò, ſi te *opprobrium & peripſema Sapientum*, *portentum literati Orbis*, *maculam Athenæ & Lycei Medicorum*, *ἀνθρωπὸλεθρον*, ſeu hominum peſtem, natum ut viperam, & venena, ut obvios quosque venenato halitu, & contagioſo ſibilo, contamines, palàm pronuncaviro. An non à convitiis, criminationibus, ſarcaſmis, & mille ſcurrilitatibus, abſterrere te debebat, non Apologia, ſed vaſtus liber, tuarum nequitiarum facundiſſimus & locuples interpres, editus *Hamburgi*, per Clariffimum Virum, *Helvicum Dietericum*, *Regis Daniæ quondam*, *Electoris Brandenburg. aliorumq. Principum Archiaterum*, Anno 1655. quem tu virum, polluto ore, & linguâ dolosa, prout ſolet contaminata huius ſæculi, & venenata colluvies, conſpurcare tentaviſti, pleno interim alveo in te Autorem redundantibus convitiis? An leve quid, & jocularè arbitrariſ, dum ſuſtinere cogeris, quòd *Berlini famoſa pagella tua*, raro ſpectaculo, *in favillas redactæ ſunt*? Nondum Europâ exulas, *Tackeni*, & cubilia ferarum, ac monſtroſa ſubis antra, nulli deinceps honeſto Viro conſpiciuus; cùm te tot Principum auguſta Reſcripta, (*Helvicum Dietericum conſule*) pœnâ Talionis &c. damnandum decreverint? Et quæ te non proſcripſere Tribunalia? Quæ Univerſitates non contemnarunt? Quæ magnifica Medicorum Collegia mores tuos contaminatos calamo memorando non caſtigarunt? Forſan memoriâ exciderunt, quæ tibi inclyta Facultas Medica *Gieſſenſis*, ſub dato *Gieſſæ*, Nonis Januarii, 1653. inſcripſit elogia; dum te *Heroſtratum* (formalia allego) *Incendiarium*, *Virum nequiſſimum*, *hominem furioſum & deſperatum*, cui ne ipſa quidem *Panacea* afferre poſſit remedium, publico inſtrumento denunciat: quòd *Caffellianum* Collegium, datis *Caffellis*, eodem anno, te *Caculam*, *Deſtillatorem*, *Medicaſtrum*, qui diuturno *Viperarum contubernio* mores indueris uſq. adeò ferinos, ut, quòd doctrinâ expugnare non vales, calumniis conſpurcare non erubeſcas, palàm aſſerit: quòd Decanus & Collegium *Reipublicæ Norimbergæ*, ſignatis *Norimberga*, 23. Junii, 1653. te belluam, infamem beſtiam, infrunitâ fronte, Canem latrantem, Theonino dente famam Virorum doctorum impetentem, delineat: quòd celeberrimi *Frankofurtenses ad Mœnum* Phyſici, ſubſcriptis 16. Septembris, 1653, tuis perlectis petulantis, uno ore & voce te *Scurram* denuntiant: quòd magnus *Saxonico-Gothanus*, & *Schwarzburgicus Archiater*, Excell. D. *Balthaſar Glaſſius*, datis *Gothæ*, 27. Decembris, 1654. te *Aſinum calcitrantem*, cui non ſit recalcitrandum, depingit: quòd Excell. Vir, *Joh. Albertus Huſſvedel*, Potentiſſimi *Svecorum*, &c. Regis, & *Hamburgæ* *Reipublicæ Præcticus*, ſcriptis *Hamburgi*, 9. Septembr. 1653. te *Nugivendulum*, *Aſinum rudentem*, contra quem non rudendum, ſeram calcitrantem, in cujus calces non ſit eundum, ſtultum homuncionem, omnis honeſtatis & bonæ mentis hoſtem capitalem, ſcribit: quòd acutiſſimus *Conradus Theodorus Lunckerus*, Eloquentiæ & Medicinæ Profeſſor in Academia *Marpurgenſi*, in literis *Marpurgi*, Idibus Maij, 1653. datis te fama & boni nominis *Prædonem*, *Pſyllum*, venena tantum

*tantum fugere natum, & quæ cætera, taceo, honori tuo consulens, palam edisserit; & subjungit, totum Tackenum, quantus est, non, nisi ex malitia & Atheismo constare, vitæ ac famelatronem.* Hæc ille: Candidissimus denique Vir, & inculpatæ vitæ, *Helvicus Dietericus*, quod, postquam te à Jurisconsultis Helmstadiensibus, Coloniensibus, Ingolstadiensibus, pœnâ Talionis, ac infamis trabis, afficiendum esse, demonstrasset, *Orbis impostorem, mendaciorum Patrem, Sycophantam, Falsarium, Nequam, Corvorum escam*, definit, ac anathema suum, aut exorcismum, quo in te fulminabat, absolvit. Plura afferre, vetat pudor: Neque enim tot Ravisius Textor abundat Epithetis. Hæc verò nondum digesseras, & ecce, novissimè, paraphrenitico similis, & furioso, ut canis, redis ad vomitum, ut fus ad volutabrum luti, & indigestam crapulam tuam, ac olidum virus, lymphatus in Zwelferum revomis. Quid aliud tantorum Virorum suprà recensitis elogiis tuis, ac justissimæ censuræ, addere mihi licet, quàm illud magni Lipsii:

*Perniciosiorem hoc homine si quis viderit,  
aut gloriarum plenior, quàm illic est:  
Me sibi habeto; Ego me illi mancipium dabo?*

Et hic est Magnus ille *Otto Tackenius*, nunc *Tachenius*, redi vivus *Hippocrates Chymicus*, novissimus *Salis Viperini Vindex*: quem multi antehac delineaverunt; nos depinximus. Hujus effigiem cum totus desideraret orbis; ipse verò, laudum suarum verecundus præco, *Tackenius*, opusculo suo præfigere neglexerit: nos illum describere volumus, ac *Ottonem* effigiare. Nam

*Sic oculos, sic ille manûs, sic ora ferebat.*

Aut, si *Mantuanæ* Poëtæ, & *Virgilianis* versibus, majora in arte tribuere, animus sit, hæc est *Ottonis* forma:

*Prima hominis facies, & pulchro pectore, Virgo  
Pubetenus; postrema, immani corpore, Pistrix.*

Hiscæ, *Amice Lector*, novi hujus Hippocratis Chymici typum, lineamenta, & effigiem, basilicè, & ad autographum, conformiter delineavimus, adeò, ut ne à Zevxæ majora desideres. Nunc à penicillo ad Calamum, à tabula ad nostrum Rabulam, digrediamur, ejusque doctrinam & lucubrationes eventilemus.

Edidit igitur *Venetis*, sub signo *Minervæ*, Noctua, *Tackenius*, libellum quendam, anno 1666. in quo Hippocratis Coi, divini illius Senis, insignia & nomen sibi arrogat scelestus blatero, dum clandestina furta, & rapinas, è magno Hippocrate, (meliori jure dicendo) *Helmontio*, sub schemate *Hippocratis Chymici*, seu, *novissimi Salis Viperini*, antiquissimis fundamentis asserendi, evulgavit. In hoc opusculo potior ejus instituti ratio fuit, ut librum meum, *Animadversiones* nimirum in *Pharmacopœiam Augustanam*, *Regiam Pharmacopœiam*, & *Appendices*, toti hætenus Europæ utilissimos & gratos labores, nequiter, seditiosè, ac temerariè, arroderet & cavillaret Tenebrio. Ne proinde Respublica Medica, ab ejusmodi pestibus se affici, sentiat; ne uberrimus fructus lucubrationum nostrarum intercideret, quem hætenus sensit Illustis Studioforum Indoles; ne hæc fera impunè grassetur & sæviat; ne denique omnem famam arrodat contumeliosus Furcifer: hanc Apologiam, violenter stimulatus, illi destinavi, ac cum *Tackenio* non tam in arenam, quàm judicium, descendo; svadente hoc mihi Tullio, l. 3. *Offic. Non esse rem ullam tanti, aut commodum ullum expetendum, ut viri boni & splendorem & nomen amittas*; assentiente Plauto: *Si bonam famam mihi serva vero, sat ero dives.*

Ad primum igitur *Tackenii* Caput, seu primum *Hippocratis* novi *Aphorismû*, digredior, citatis instantum ad judicii tribunal, & æquitatis forum, in quibus



magnus hic Machaon palàm, & apertè, nec non nequiritiosè, me suggillare attentavit: cæteris multis relictis, quæ, arcano dolo, ex Helmontio descripsit; ut mihi, labori, ac temporis consulam, memor illius Democriti: πολυτέλειαν ἀναλωμα τῆς χρόνης; seu: sumptuosissima jactura temporis. Est igitur primum Hippocratis novum Caput tale:

## OCCASIO SCRIBENDI. CAPUT PRIMUM.

Tantum scit  
homo, quan-  
tum ipsi ope-  
rando mente  
ac manuer-  
tè innotuit.  
a. non sunt  
tamen reji-  
ciendi.

b. cap. 8. v.  
17.

in Episto.

b. 1. Aph. 1.  
c. 1. 1. de dia-  
ta.



Am ardua est omnium scientiarum perfecta cognitio, ut prius tota hominis vita deficiat, quam vel unius discipline radicalem cognitionem, quæ disputabilis non foret, ex libris tantum chartaceis (a) investigare queamus. Socrates, cum omnes ferme disciplinas sic per scrutatus esset; tunc primum ab Oraculo sapientissimus omnium judicatus est, cum, se nihil scire, palam fateretur. Quod mihi hic videtur Ecclesiastes confirmare: (b) Intellexi, inquit, quod omnium Operum Dei, nullam possit homo invenire rationem eorum, quæ fiunt, sub Sole: & quanto plus laboraverit ad querendum, tanto minus inveniat. Etiam si dixerit sapiens, se nosse, non poterit reperire. Hanc sciendi difficultatem cognovit etiam divinus Hippocrates (a) in nostra Medicina, ut veritus non sit, Democrito, per literas, ingenuè confiteri: Neque enim, quantumvis, inquit, jam senex, ad artis Medicæ summam perveni. Et Idem, (b) Vitam nimis brevem, pro unica saltem scientia, ex fundamento addiscendâ, agnovit. Hinc motus est, (c) ut honorari, atq; laudari jussit omnes, qui investigare conati sunt sapientis Naturæ arcana opera: additq; quod immeritò ullus aliquis ipsorum reprehendatur, propterea, quod hac invenire non potuerit. Aliter sentit Scriptor, qui Augustinam Pharmacopœam reformavit, is liber excusus Goudæ, apud Guilielmum Vonhouen, Anno Domini 1657. Hujus occasione, elapsis diebus, Amicus meus spectatissimus, Joannes de Lannou, Bibliopola celeberrimus Urbis petiit à me, utrum operæ pretium judicarem, ut hic prælo subjiceretur. &c. Ego quidem titulum audiveram; at scriptum hætenus non videram. Otii enim tanti non fuit, ut in similibus tempus fallerem. Hæc occasione, inquam, succisævis horis, dictum Volumen, non sine admiratione, evolvi, & in hoc, pravam illam notavi consuetudinem, quibusdam admodum familiarem, & contra Hippocratis decretum, ut, quicquid probè quisquam, magno labore, & studio invenierit, posteritatiq; & publico bono, scriptis tradiderit, illud statim, non quidem ratione, & experientia, sed monstrosis calumniis, & convitiis, apud ignarum vulgus traducant, lacerent & vilipendant, ut famam aliquam (Herostrato similes) ex alieni nominis ruina aucupari possint. His vestigiis incedit etiam Reformator Augustinæ Pharmacopœiæ, qui non solum in Veteres, sed etiam in Modernos, Hippocratis & Galeni sequaces ita debacchatur, ut nullum ferè convitium excogitari possit, quo hos non adpergat: quem cum olim perficiendi modum Viperini salis, sub metaphora, docuissim, (apertè negassim) nunc pro fuco proclamat; imò imposturâ impedire, ne publici juris fiat. (b) Ego ingenuè fateor, quod Reformator hic saltem verum dicit. Nam quicquid Medicos olim, laboris amantes, illustres reddidit; illud ipsum impostores dolosè adulterant, hos timuit meus Hippocrates, ea de causa medicamentum Antipestilentiale, quo cum divinos sibi acquisivit honores, subricuit: quam feliciter, & securè curaverat, ut testantur Epistole.

a. Pharmac.  
fol. 487.

Impostores timuit Paracelsus, qui insanabilia corporis contagia, mirificâ arte sustulit, ut sonat Epitaphium, quod Salusburgi, in Nosocomio, apud San. Sebastianum, Lapidi insculptum spectatur.

Imposturam

*Imposturam timuit, nostris temporibus, Lazarus Riverius, qua de causa Febri-fugum sub metaphora edidit.*

*Sic prudentissimè abscondit Helmont. Liquorem, quem, cum Paracelso, corrupto nomine, Alcahest appellat; qui tamen ab impostoribus tutus non est: quin pro eo, à Reformatore, acetum substituitur. (a) Hinc malo meo edoctus, mei Pedagogus factus; animo revolvi sepius istud Eschenreuteri, ad Gratarolum: Leviori jure scis, Bononie latam sententiam, eum proditorem patriæ appellatum, furcâ dignum proclamatum, qui primus Filatorium (est machina, quâ scia bombicina fusis artificiosis in fila trahitur) in Germania, Tridenti scil. preparavit.*

*Unde, non sine causa, timidulus, ne, præ torpore, & ignavia meâ, ad manus impostorum dimanaret, abscondi hætenus, quod Medicum nobilitat: & præcipuè, ne dignus atq. indignus eandem subirent sortem. Importuna autem Reformatoris efflagitatio (b) effecit, ut ex magno Experimentorum & Observationum mearum cumulo exciperem, quæ (ut dicitur) mihi canerem, in quæ meum ipsius usum destinaram, ad publicam utilitatem nunc profero; servato tamen Hermetis præcepto: (c) quod nimirum sapientia Autoris major debeat esse suo libro. Fatum autem inevitabile quod trahit, eundum.*

*Nunc verò hunc laborem assumo libentius, quò errantibus viam rectam demonstram, & in eandem, si fortè aberraverint, revocem; ut etiam, qui hanc artem hætenus persecuti, errores aliquando emendent, ac sapere incipiant; ut &, qui eam excerpent, naturæ fundamentis firmatam intellexerint, ut ab impostorum, & sophistarum, dolis & fraudibus in futurum tuti sint. In hoc autem labore potius causæ veritatem, quàm locutionis ornatum, quasi vi: Veritatis enim sermo, ait Euripides, simplex existit, nec interest, in dicendis veris, quali sermone utamur, præsertim, quòd Cicero Eloquentiam in Philosopho non desiderat; multò minus Celsus eam in Medico. Nam cum de re agitur, inquit Plato, frustra elegantiam, aut ruditatem verborum attendimus; sat tem ut rebus, & doctrinæ satisfiat. Nec amœnas disputationes, aut odiosas altercationes, me diffudi; sed, quicquid sensibus occultius se obtulit, illud, experientiâ duce, vestibis spoliavi, & veritatem rerum planè nudam ante oculos conspicientium exposui, adeò, ut singulis, omnino omnibus, innotescat. Hac brevitatè optat; non disputat: atq. hoc servavi.*

*Huc ergò adeste, Veritatis Amatores: vos admiranda, & jucunda, vestris oculis afficietis, & manibus tractabitis, quæ abscondita, & occulta à sensibus, & cognitione hætenus steterè. Nunc ipsum opus aggrediendum.*

**Q**Uasi diceret, cum divino Senè, quem, ut Simia, in purpura, Tackenius per omnia æmulari studuit: *Vita brevis, ars verò longa; scientia, immensa, vita autem nostra brevis ævi, & nonnunquam ephemera. Ut proinde scientiæ amplitudini angustioris vitæ nostræ spatia minimè commensurari valeant. Sed an non de te, Hippocrates Chymice, illud Græcorum verificatur: Ἀγύγος μὲν ἑρμῶδωρ & ἐμπροθέτωρ: hoc est: Sunt Hermodori verba mercimonium? Quid, quæso, præter inanes sibilos, & verba crepas? Quis nescit, quòd artis, & scientiarum, prima Theoremata, ac plena cognitio, infinitas recondant difficultates, paucisq.; in tam fugaci vitæ curriculo, ad intima penetralia detur aditus? Quid ludis, & nugaris, cum Mercenario tuo, in terminis, ac vocibus, Tackeni? Nostine, quid in Philosophia sit, dicere: radicalis cognitio? Profecò longè aliud sonat in libris carthaceis, ac virgineis, ubi castissimæ Palladi obsequium deponitur, quàm tu hîc applicas. Sed, heus, Tackeni, an tibi infusa scientia obtigit, cum Salomone? An Jovis Diphtheram inspexisti, quòd tam audacter chartaceos libros, Papyraceæ Doctores, exhibilas? Reliqua, quæ, ab Inductione, Socratis exemplo, affirmas, & auctoritate Scripturæ vera sunt. Disce hoc ipsum & tu, ab Oraculo, quòd, sicut So-*



crates sapientissimus habitus fuit, ipsis etiam attestantibus Superis, qui tamen, se nihil scire, palam professus est; ita tu, *Tackeni*, omnium sis stolidissimus, & bipedum nequissimus, qui omnia scire, & sublimem scientiam, tibi arrogas, Viros doctos, & Pædagogos tuos (uti sequentibus demonstro) turpiter aspernâris, ac sic artem brevissimam fingis, quam tamen nemo unquam emensus est. Et verò, si verax esses, ac ingenuus, minimè inficias ires, quòd longè dispar fuerit instituti tui ratio ac scopus; non scilicet, ut vitam brevem, ac artem longam esse, demonstrares; sed ut *Zuvelferum* (quem *Reformatorem* nuncupas,) in *Augustanum* animadvertentem, propriâ quadam, & nonnullorum adhuc, titillatione forsan, ac pruritu, pro libidine, & rabie tua, carperes ac alatrâres, ac primus palmam eriperes ei, qui *Zuvelfero* insultaret.

Quid enim aliud, quàm petulantem æmulationem, & livorem, sonat temeraria illa tua *transitio*, quæ, pag. 2. lin. 18. habetur, dum ais: *aliter sentie Scriptor, qui Augustanam Pharmacopœiam reformavit &c.* Edissere, amabò, Convitiator, in quo à magno Hippocrate resiliat, & aberret, Augustani Reformator. Signa locum, cita paginam. An in eo forsan deliquit, quòd te *Doctorem ad Lyram, Graculum, & Rabulam* in pulpitis, & foro, tanquam Medicorum Sydus, & divinâ profapiâ oriundum, Cum non adorâvit? Præcoci nimium talenties, *Tackeni*. Neque enim illicò ex omni trunco fingitur Hippocrates. Si benè, & studiosè, Augustanum, ejusque Animadversiones, tractasti; si recens evulgatum Opus nostrum evolvesti: reperies, quàm absurdè scripseris, quàm audacter mentitus sis. Quid enim magis consuetum mihi fuit, quàm, cum Hippocrate, communem lugere sortem, eò, quòd vita nostra arctis limitibus circumscribatur, latissimis verò, scientia: & recentissimè, in *recusis nostris Operibus*, humanam imbecillitatem deploro, quæ tanta est, ut rarò perfectum enitatur fœtum; ut plurimum embryonem producendo, cui ætas, tempus, & magistra rerum, Experientia, obstetricatur, ac ultimam imponit manum. Quod si benè perpendas, aliud, non est, dicere, quàm artem esse longam, & arduam, vitam verò brevem, fluxam, & labilem.

Procedit Convitiator ad alterum Paragraphum, pag. 2. lin. 23 ubi ait: *Hujus libri occasione, elapsis diebus, Amicus meus spectatissimus, Joannes de Lanou, Bibliopola Celeberrimus Urbis, petiit à me, utrum operæ pretium judicarem, ut hic prælo subjiceretur? &c.* Venit ad *Tackenium*, hominem nauci, & teruncii, fraudulentum, & versipellem, centies convictum, (risum teneatis, Amici!) venit celebris, ac spectatissimus Vir, Bibliopola? Quorsum? ad Oraculum, ad Magog, ad novum Hippocratem? Quod, obsecro, contubernium honestati, cum lascivia; iniquitati, cum innocentia; viro probo, cum famoso *Tackenio*? An credibile, quòd, annorum quindecim spatio & intercapedine, quibus Reformatoris Animadversiones primitus conspexere prælum, non obtigerit Vir honestior, consiliis aptior, hoc *Ottone*? Tu solus Areopagita, cui æquitas, & rectum judicium, cum dote obtigit; ut velut ad Diphtheram, & Oraculum, Bibliopolæ confluant, responsa præstolentur, consilia hauriant, ipsi cæteroquin oculatissimi? Non quærunt Bibliopolæ, insensate *Tackeni*, an operæ pretium sit, ut hic liber meus imprimatur. Minimè: sed urgent, instant, hortantur, ut recudi ac prælo subjici, maturem. Tamen ingratus toti Europæ fuit, ut multa millia in Belgio, & superiori Germania, impressa fuerint, nec tamen unicus superfit, innumeris ejus relicto desiderio. Tantum igitur cavillatio tua, & livor, apud me profecit, ut statim, lecto puerili hoc paragrapho tuo, illud Stagyritæ mecum ruminaverim, lib. 3. *Ethicor. c. 2. Belluæ, ac pueri, Consilii non sunt capaces, nec electionis.* Proindè me statim ad opus novum recudendum accinxi, ut tantò citiustibi illa creparent. In-

terim

rerim autem, quantum ad iniquissimam sententiam tuam, de Reformatoris editis Animadversionibus; à suffragio Illustrum Medicorum, & Pharmacopœorum (*quæ ut corrigias calceamentorum solvas, Tackeni, indignissimus es, prout ipse confiteris, in Epistola tua, ad D. D. Timplerum; in qua scis, quid deprecæris*) iis innumera perhibentur testimonia, eaque luculenta. Primas tenet, toto orbe conspicua, & Antiquissimæ Facultatis Medicæ Viennensis commendario, quæ iteratò hanc mihi attribuit adorem, ac Palladis minerval, quæ talis:

**A** Nimadversiones in Pharmacopœiam Augustanam, & annexam ejus Mantissam, cum Dispensatorio novo, Domini Joannis Zwelfer, Medicinæ Doctoris, &c. à Collegio Medicorum Viennensium deputati Doctores diligenter perlegerunt, & nihil in iis Religioni, vel bonis moribus, repugnans; sed plurima, non solum Medicis, Praxin exercentibus, & Pharmacopœis scitu necessaria; sed etiam ægris admodum profutura, invenerunt. Quapropter utrumque Opusculum publicis typis dignissimum censemus. In quorum fidem hæc Patentes, Collegii nostri sigillo munitas, expediri, & manu Decani subscribi, mandavimus. Dab. Viennæ, V. Aprilis, Anno Domini, MDC LI.

Censurapri-  
ma Inclyt.  
Facult. Me-  
dicæ Vienn-  
ensis.

*Joan. Guil. Mannagetta, Doct.  
p. t. Collegii Decanus.*

*Altera?*

**A** Nimadversiones in Pharmacopœiam Augustanam, & annexam ejus Mantissam, primùm revisas, unà cum Appendice ad Animadversiones; nec non Pharmacopœiam Regiam, seu Dispensatorium novum locupletatum & absolutum, cum annexa Mantissa Spagyrica, Dn. Joannis Zwelfer, Medic. Doctoris, propriis Observationibus & Experimentiâ confirmatum, aliqua, ex Collegio Medicorum Viennensium, membra ab initio usque ad finem studiosè perlegerunt, nihilq; in his bonis moribus, aut Fidei Catholicæ, contrarium, vel repugnans; verum multa non solum Medicis, Praxin exercentibus, scitu summè necessaria; sed etiam ægris admodum profutura, invenerunt: ideoq; hæc Opera typis dignissima censemus. In quorum fidem hæc Patentes, Collegii nostri sigillo munitas, expediri, & manu Decani subscribi, mandavimus. Dab. Viennæ, 16. Junii 1666.

Censura se-  
cunda In-  
clytæ Facul-  
tat. Medicæ  
Vienn.

*Joan. Ludovic, Phil. & Med. Doctor,  
pro tempore Decanus.*

Sihæc



**S**I hæc tibi non sint pro voto, inspice, præter innumera, Clarissimi Viri, D. Joannis Rhodii (nostri, quem virum commemoro,) amplissimum suffragium, dum in Analectis suis, & Notis, in Ludovici Septalii Animadversiones, & cautiones Medicas, Patavii, Anno 1652. Typis Frambotianis excusis, lib. 2. tit. de medicam. præpar. ac compositione, talia habet:

Doctiss. Jo-  
an. Rhodii  
Cens.

**M**ultiplicis usûs argumentum, postremus hic Animadversio-  
num labor, nunquam satis dignis effertur laudibus, dum ea  
potissimum plurimis, validissimisq; rationibus ad partes vocan-  
tur, quæ non sine aliquo errore hætenus, longâ consuetudine, à  
Pharmacopœis recepta. Summos hæc Viros, post Galenum,  
variè, per omnes occupavit ætates; è quibus cultioris ævi scri-  
ptor est Joan. Fernelius &c. At quoniam non solo res ingenio per-  
agitur, sed manûs dexteritate; præceptis ea complecti, difficile  
fuerit: etiamsi, bono eventu, id tentarint *Bricius Bauderonius*,  
*Hieronymus Castellus*, *Georgius Melichius*, *A. Schenckius*; atque,  
nostrâ ætate, Chymiatrî: *Andreas Libavius*, *Josephus Quercetanus*,  
*Job. Begvinus*, *Oswald. Crollius*, *Joann. Hartmann* Doctoremus,  
*Zacharias Brendel*, Viri Celeberrimi, *Gvern. Rolfinck*. nostri, inge-  
nio Posteritati redditus, *Petrus Poterius*, *Duncanus Bornetti*, *Pe-  
trus Joannes Faber*. Hæc enim talia fermè sunt, quæ Medicis  
ἄγραφα & ἄλογα. Fundum interim hunc, sine dubio, ditabit Cla-  
rissimus *Joannes Zuvelfer*, elegans Medicus, qui pridem, solerti  
manu & mente, nobilissimæ Artis partis exercitationem ingenue  
compendifecit. *Hæc ille.*

Plura testimonia si expetis, *Tackeni*, quæ te convincant, cum sis Cau-  
caso abruptior, & Pharaone obstinator, forsan & aures tibi jam occalluerint;  
innumera producere possem: pauca interim depromo, non, ut rumores  
aucuper, sed ut, velut digito, labia dolosa tua premam, ac fauces tibi obtu-  
rem. Ex his autem sunt:

Excellentiss. Viri, D. D. Daniel. Geygeri, quem Hungaria, ob felicita-  
tem, & dexteram Praxin, obtupuit, de dato 14. Calend. Decembr. 1652. qui sic  
ad *Zuvelferum* scribit:

**U**tilissimum Excell. T. laborem summoperè commendavi, di-  
gnumq; judicavi, ut, ad Aram Apollineam suspensus, immor-  
talitate donetur. Certum enim est, innumeros, crassos, & tur-  
pes errores in almam nostram irrepsisse Medicinam, inprimis Phar-  
maceuticam, diuq; jam, à multis bonis, exoptatam & desidera-  
tam fuisse competentem Reformationem, & ad frugem melio-  
rem reductionem. Tentârunt hoc non infeliciter *Sennertus*,  
*Quercetanus*, *Mynsicht*, *Sala*, & alii. Imò memini, olim à Cla-  
rissimo

riſſimo *Philippo Menzelio*, Profefſore Ingolſtadiano, & *Thoma Mermano*, Archiatro Electorali, ſimile quid tentatum, ſed humanæ conditionis injuriâ, non abſolutum fuiſſe. Proinde ſummis encomiis digniſſimū, & Lauro decorandum, Exc. Dn. D. Te judico, quòd, his præclarifſimorum Luminum veſtigiis inſiſtens, etiam aliquid fœcum Augiæ huic ſtabulo ſubtrahere, huicq; inclytæ Arti nitorē addere volueris. Quod quidem tantò perfectiùs & feliciùs abſolvi potuit; cū, juxta Procemium dictæ Pharmacopœiæ, ſedecim integris annis, laborioſâ & improbâ ſedulitate, tam legendo, quàm manum ipſam admovendo, magnam Tibi, hac in parte, experientiam comparâris. Pro qua inſigni bonitate, & juvandi promptitudine, & Ego, & tota Medica familia, gratias Exc. T. ingentes, & immortales, meritò debemus.

Ex literis Excellentiff. Dn. Doctoris Schmidt, Dantiſcani, de dato 8. Febr. 1652.

**O**Blatæ, ab Amicorum quodâ, ad bihorii ſpatiū, mihi ſunt Animadverſiones Tuæ, in uſitatiſſimâ, noſtris in officinis, Pharmacopœiâ Auguſtanam, ut, quid de iis ſentirem, exponerem audacter Breve fuit tempus; unde nec debite ponderari omnia potuerunt: nec, tenuitatis meæ mihi conſcius, meum, in re tanta, tale eſt judicium, repoſui, quod peti debeat. Legi tamen eas cursoriè, & relegi in eis plurima. Gratulor initio mihi ſtatim, inventum tandem aliquē, qui rem hanc maximè neceſſariam aggredi non dubitaverit: cū, quantâ ex futilibus, non paucis, compoſitionibus perceperim naſeam, teſtes, apud nos, ſint plurimi. Taceo, quòd, plurima ſine neceſſitate, imò præter rationem omnem, unâ in compoſitione congeſta eſſe, quæ vel ſanis naſeam movere poſſint, ſæpe moleſtè tulerim. Hoc tamen magis me affecit, quòd calida frigidis, ſiccis humida, confuſa, ægris propinanda exhibita fuerint; idq; ſpeciē, nescio cujus, eruditionis præ ſe tuliffe, nemo non exiſtimaverit: cū tamen farrago talis, jure merito jam dudū riſu & eachinnis digna fuerit. Futilem tamen hunc errorē, demifſo capite, arietum ad inſtar, & magni ſecuti ſunt, & neſas, quidquam mutare, exiſtimarunt. Salivam mihi ſæpiùs moverunt inepta pleraq; Electuaria; inutiles Pilularū maſſæ; Specierum farragines; & quod ineptiarū eſt reliquum. Dolui non rarò, Medicinam noſtram, imò magis ægros, rebus talibus conſpurcari. Dolui, plura ad pompam magis, quàm neceſſitatē, ne dicam, præter rationem fieri. Nunc (immane quantum!) gaudeo, expletum eſſe plurimorum deſiderium, detectos eſſe errores, nec paucos, nec leves. Tibi verò, *Amicorum optime*, gratulor, de reportata, ex labore hocce, gloriâ. Talem te nempè geſiſti, ut nemo non obſtrictum ſe tibi agnoſcat; quamvis non dubitem, fore etiam plurimos, quæis, diſcere, pudor erit, quiq; cavillandi oc-



di occasionem arripient: hos tamen, cùm rem pro se ipsam loquentem habeas, vel solo contemptu refutasse, fat erit. &c.

Taceo Excellentiss. Viri, & Medici Scaphusiani, Dn. D. Wepfer/ eruditissimam & prolixam, de me, Panegyrim: ut & fufam Dn. Doctoris Irmbler. Epistolam, *dato 17. Octobr. 1657.* stylo excellenti & acuto; uti vir est omni exceptione major: in qua suum *Zuvelferum* plus hætenus dictis evehit. Tamen verba formalia horum amborum Clariss. & Excellentiss. Virorum expressa, summam, ac breviter, hîc apponere volui. Et sunt:

Excellentiss. Dn. D. Joan. Jacobi Wepfer. Physic. Scaphusian. Ordin. *de dato 3. Junii, Anno 1654.*

**P**erplacuit Excell. T. opera, quam in purganda Pharmacopœia Augustana locavit. Multi, ex præclaris Medicis, jam à seculo, Pharmacopœorum informationẽ desiderarunt, & sparsim, inveteratos errores tetigerunt; nemo autẽ eò audaciæ, dicam rectiùs, fortitudinis, pervenit, qui Authoritati Augustanorum, quæ omnibus, paucis exceptis, sacrosancta habebatur, se opponeret. Laudanda Exc. T. industria, & benè merendi studium, erga totam Medicam Rempublicam. Mecum omnes boni Exc. T. perpetuum virium robur vovebunt; quò reliquis, quæ erudito sub pectore versat cuncta, mortali generi publicis scriptis prodesse queat.

Excell. Dn. D. Joan. Chrysof. Irmbleri, *de dato 17. Octobr. 1657.* in Olmüz.

**S**ummas meritò tenemur, boni omnes, Exc. T. agere gratias pro illo labore, quo Pharmaceutici nostri oculi aperti sunt, ut componendorum & præparandorum medicamentorum naturam videamus propemodù nudam. Et quanquam fuerint, & sint, Medentes, qui hanc vel illâ Compositionem particularem, juxta leges Augustani, malè fieri, prospexerint, ac proindè melioraverint; Excell<sup>a</sup>. tamen V. glaciem totaliter perfregit, & totum stabulum purgando, partem Medicinæ Pharmaceuticam elucidare, & purâ nitidamq; Mundo ausa est exhibere. De communicatione Secretorum, ut vocantur, non dico. Plures sunt indigni eorum; nempè, qui, quicquid eorum proprium non est, pro nihilo habent ferè, de artificio, non artifices, malè judicantes. Boni verò gratiam sibi factam & agnoscunt, & in salutem agrorum præparant. Atq; utinam mihi res angusta domi non obstaret, haberet Exc. V. qui famâ editionis classico divulgaret, tanquã ex merito: &c.

Excellentissimus Dn. D. Rupertus Streicher / Physicus Salisburgensis, *de dato 28. Januarii, Anno 1657.*

**U**nd/ zu diesem ende/ habe ich meines hochgeehrten Herren sehr herrlich verfasste Animadversiones in Pharmacopœiam Augustanam, mit sonderbarem fleiß/ und grosser begierd/ durchlesen/ wünschende/ (gleichwie ich keinen zweifel trage/) daß in ganzem Reich solches vortreffliche/ und über die massen sehr nothwendiges Opus, bey allen Städten und Orten aufgenommen/ und selbige Apotecken darauf instruiert würden.

Excell.

Excell. atque Experientissimus Dn. D. Bartholomæus Moser, Profefs.  
Publ. Dilling. Anno 1662.

**L**atorem harum, Juvenem egregium, (qui in Pharmacopœia nostra Dillingana Tyrocinium suum abfolvit, & operâ ac industriâ suâ nobis abundè satisfecit; jam verò studio Philosophico picturato, in alma Universitate Viennensi, Medicum quoq; adjungere, promptiore tamen Marte, quàm subsidii promptuario, animum induxit) tametsi, pro merito suo, Viennam, np. Patriam, revertentem obtinuit, quibusvis literatorum Patronis & Mæcenatibus meliore notâ commendare non superfedissem: id ipsum tamen in Clarissima Dominatione Tua eò liberaliùs exordior, quòd optatam jam pridem occasionem, eâdem operâ, jam nactus sum, ut Clarissimæ & Excellentissimæ Dominationi Tuæ mentē meam, super opus suum Exercitationum Pharmaceuticarum, præstantissimum, & nunquam satis laudandum, apponere, simulq; benè precari possem.

Quamvis n. feracissimum hoc seculum Scriptorum, tam in Medica, quàm in aliis Facultatibus, numero abundet penè in numero: asseverare tamen possum id sine palpo, me in hac, & palæstra Medica, jam ultra decem lustra sudantem, nihil hætenus vidisse, quod mihi gratius, rei Medicæ utilius, imò magis etiam necessarium, hac ipsa correctione fuerit. Siquidem compositiones medicamentorum tam multæ, & apparatu, tituloq; splendidæ ac pretiosæ, propter incognitam, accuratiùs præparandi, normam, ideoq; hætenus rudem & illegitimam, tam in Veteribus, quàm Recentioribus Medicis traditam, nec non à Modernis receptam, & usitatam, non solum imperfectæ & mancæ, sed non rarò etiam inutiles, ne dicam, miseris ægrotis damnosæ, Pharmacopœis præscriptæ fuerunt; quæ nunc Clarissimæ Dominationis Tuæ labore, industriâ, limaq; dexterrimâ perfectionem suam, à me ipso, cum Quercetano, jam pridem desideratam, nactæ sunt.

Sint fortè Obrectatores lividi, vel arrogantes Zoili, qui errores suos non capiunt, aut capere nolunt; & cum errantibus pertinaciter errare, quàm veritati subscribere, malunt; parùm refert: ringantur, & rumpantur malevoli. Clarissima Dominatio Tua nihilominus partam hoc labore gloriam, & laudem suam, apud omnes bonos, & æquos arbitros, veritatis amantes, inviolatam æternùm servabit. Proindè hortor etiam Clariss. Dom. T. ut, quoniam rebus Chymicis præparandis dexteriores, longo usu & *αυτοψία*, notitiam & scientiam acquisivit (sine proluxa tamen



ejusmodi medicamentorum farragine, quorum copiâ ingenti, inutili, & fastidiosâ, cum encomiis suis parùm fidis, integra referta jamdudum sunt volumina) sed ipsam potius tractandorum Mineralium & Metallorum genuinam rationem, prout in Animadversionibus suis fecit, in publicum proferre, nobisq; communicare velit.

Ad quod ut feliciter proficere possit, vitam Clar. Dom. T. prosperam & incolumem à Deo T. O. M. ex animo precor: cui nos unicè commendo. Dilling. 21. Maji 1662.

Nob. & Excell. Dom. Tuæ

*ad officia grata promptissimus*

Bartholom. Moser, M. D.

Prof. Publ.

Ἐυζωίαν καὶ Ἐυπραξίαν.

**M**unus Tuum Literarium, dudum Viennâ ad me transmissum, Excellentissime Zwelfere, ritè accepi; quod, ut vidi, ambabus (ut ajunt) sum amplexus ulnis, imò ad os meum appressi & exosculatus sum: adeò gratum mihi fuit donum illud, abs tam amica manu, ac è tam longinquis præsertim oris, quo in, ut video, bis honorificam mei mentionem facere, haud gravatus es, (ut verum fatear) ex amico affectu Tuo magis, quàm meo merito. Quippe, ob exiguam illam, quam Ego, in isto elimando, Tibi locavi, opellam, vix promerui, ut mei esses memor, nedum, ut tam honorificè nominis mei memoriam illi infereres. Quo ipso tamen duplici nomine Tibi me de novo reddidisti devinctum, perpetuèq; debendæ gratiæ reum. Vix credis, Amicorum Ocelle, quantis labor iste tuus tam egregius, à laudatis viris, quibuscum hinc inde mihi literarum intercedit commercium, commendetur encomiis, & quantoperè Tu illo ipso plures eorum, qui in castris Apollineis sacra faciunt stipendia, Tibi devinxeris. Qui, ob id, hunc ingenii Tui foetum in oculis & sinu gerunt, in τεκμήριον perpetuæ, & nunquam intermorituræ, memoriæ Tui. Perge, perge, Amice optime, ævum hoc ulterius illustrare ingenii Tui monumentis; &, quæ adhuc premis, servasq; recondita, propediem benigniter exprome, & publici fac juris; nec quicquam rabiosos Zoilorum morare insultus, pluriumq; mordacia verba: quin contrà audentior ito, proximiq; Tui, quantum potes, promove-  
to com-

to commoda. Sic Te supremum Numen juvabit, nomenq; Tuum  
inclyta fama evchet ad æthera. Vale, & animitus salve, mi  
*Zwelfere* &c. & amare perge

Hadersleb. Holsat. 1683.

Calamo properante,  
ipso die Circumcis.  
Domini.

*merito Tuo Tibi addictissimum*

Henricum Custerum, D.

Nobiliss. Excell. Experientiss. Dn. D. Adamus Spenholtz, Viennensis  
Facultatis Medicus; nunc autem, extra Patriam, apud Jaurinenses Physicus,  
dato 24. Martii 1666. ita ad me scripsit:

**R**eddata est mihi Epistola Tua elegantissima, Clarissime Doctor,  
caviti candoris, & germanæ synceritatis, tessera. Mirum dictu!  
quantum lætitiâ difflebam, quòd ex ea percipere licuerit, te de-  
nuò majora in re Medica excolenda (cùm maxima jam præstiteris,)   
pro prælo meditari. Faxint Superi, incomparabilis Vir, ut, qui  
jam olim nutantibus Medicinæ firmamentis, melior Atlas, suc-  
collasti, &, ut quondam Theseum, Gnosia Virgo, è Labyrinthis  
plexibus Medentes duxisti filo; sic deinceps Numen appareas,  
homo homini Deus. Utinam, Excellentissime *Zwelfere*, æquus  
omnibus sit oculus, & non, quis scripserit, sed quid scripserit, ani-  
madvertant; elatiore inflati spiritu, saniora non respuant consi-  
lia, nec erudiri detrectent, sine sensu sibi ipsis sapientes. Habent  
certè, quod mirentur, in scriptis *Zwelferianis*, Philosophi; quod  
æmulentur, magni nominis Chymici. Et pauci hætenus Scri-  
ptorum (suus cuiq; sit honos) Te adæquarunt, quantum memi-  
ni, supergressus nemo. Quanti autem doctissimas Animadversio-  
nes Tuas, & Notas, faciam, ut demonstrem; illud de his, quod, de  
Homeri *Iliade*, magnus olim Macedo, mihi dicendum venit: diem  
me perdidisse, reor, quo *Zwelfero* non vacavi. Age, quod agis, &  
cceptum curriculum ad bravium usq; prosequere. Et, si te fors,  
cum columbis, censura vexarit, illud indubitatum habeto:  
quòd, invideri, sit Excellentia nota, ærarium gloriæ, & famæ  
nunquam intermorituræ possessio. Vale, Doctissime Virorum,  
& Trophæa Tua ad emorientis usq; Oceani oras, ad Herculis Co-  
lumnas, extendito, donec aliquando palmam cedas, maximæ spei,  
& raræ educationis, paternarum Virtutum ex assè hæredi, filiolo  
Tuo, qui etiamnum ex rudi adhuc massa, quasi præfulgidus Ada-  
mas, resplendet: ut verissimum sit, animum sapientem nasci, non  
arte parari; nec imbelles generare columbas, Aquilam. Hunc  
ut in ævum Cælites sospitent, cordialissimè auguror. Valeto.



Aus des HochEdlen Jobst Christoph Kressen von Kressenstein/  
Nobilis & Patritii, nec non Senatoris præcipui, Noribergensis, an einen hies-  
sigen guten Mann / abgelassenem Schreiben:

**E**ch bin ihme/ Herrn Doctor Zwelfern/ noch höchlich obligirt/ daß er mir sein  
Dispensatorium Reformatum, durch Herrn Doctor Volckhamern/  
hat offeriren lassen; welches ich mit allem Fleiß durchsehen/ und besunden/ daß die-  
sem Mann nicht genussamer danck/ wegen dieser sehr nützlichen arbeit/ gesagt wer-  
den kan. Und ist sich ja höchlich zu verwundern/ daß so viel/ entweder ignoranten/  
oder doch malevoli, gefunden werden/ die/ an statt danckbarer erkänntniß/ dieses  
Werck canino dente zu corrodiren/ sich nicht schämen dörrffen: dardurch sie  
gleichwol anders nichts zuwegen gebracht/ denn daß sie ihre impertinenz der ganz-  
en Welt zu erkennen gegeben/ und Herrn D. Zwelfern Ehr/ Eß/ und Existima-  
tion, nur mehr empor gehoben: zc. Datum d. 31. Januarii, anno 1653.

Extract dreyer Sendschreiben/ Herren Heinrich Lincken/ Apotheker  
in Danzig/ an Sebastian Schrödern/ Apothekern in Nürnberg/  
über D. Joann. Zwelferi Animadversiones in Pharmacopœiam Augustanam:

Danzig/ 4. Decembr. anno 1652.

**E**s Herrn D. Joan. Zwelfers Pharmacopœiam Reformatam hab ich/ ohne  
Zu- oder Ab- sehr vor einem paar Monat / von Hamburg bekommen/ muß bekennen/  
daß dergleichen niemalen ausgegangen; und hab ich längst ein verlangen getra-  
gen/ daß sich doch einer darüber erbarmen möchte/ und die so lang gewährte un-  
formliche Methodos, præparandi medicamenta, in allen Dispensatoriis än-  
dern: welches (wie leicht abzunehmen) aber kein blosser Medicus, sondern auch  
vielmehr ein erfahrner Pharmacopœus zugleich hat thun müssen. Wie ich denn  
auch aus des Herren Schreiben mit freuden vernommen/ trage auch/ fernere um-  
stände zu erfahren/ ein verlangen/ wo Ehren gedachter Herr Doctor disciplinirt,  
und servirt habe. Daß dann wol werth/ zu notiren/ zu sonderlichem ruhm der  
Apotheker/ welchen einig und allein zustehet/ diesen ruhm zu behalten/ denen am  
meisten bekandt/ und usu ac arte solches täglich erlernen; derothalben auch am besten  
wissen/ den schaden Josephs zu heilen. Was unsere Herren Doctores davon  
judiciren/ werde ich ins künfftig avisiren zc.

Danzig/ ultimo Decembris, anno 1652.

**E**s Herrn D. Zwelfers Buch/ hab ich/ wie schon einmal gemeldet/ von Ham-  
burg bekommen/ dasselbe binden lassen/ und durchgelauffen. Muß bekenn-  
en/ daß ich/ und viel andere Apotheker/ längsten gewünschet/ daß dergleichen  
Buch möchte dermaleins an den tag kommen/ da solche errores möchten emen-  
dirt/ und den præparationibus medicamentorum zu hülf kommen werden/  
weilen fast ein jeder Apotheker/ nach seiner Phantasey/ ihme einen modum er-  
dacht/ diesen/ oder jenen Syrupum zumachen/ oder die Aquas Compositas zu de-  
stilliren: und was sonst in Chymicis vorgehen; da dann viel auszumustern/  
und zuverwerffen ist. Allhier aber wird Herr D. Zwelfer das Ehrenfränglein da-  
von tragen. Dann ein solcher Mann hat es auch seyn müssen/ der zugleich in arte  
Pharmaceutica wol erfahren/ und das seinige zur gnüge studiret: weilen ein jezt-  
liches absonderlich einen vollkommenen Mann erfordert. Das Judicium unse-  
rer Doctorum will ich noch nicht schreiben/ biß sie es zuvor alle durchgangen/ wei-  
len es noch nicht bekandt/ ich auch nur das einige Exemplar habe/ und erstlich ei-  
nem Königlichen Polnischen Medico communicirt/ und unserm Physico, Herrn  
D. Eichstadio. Welche es noch zur Zeit müssen ungetadelt seyn lassen; haben mich  
gebeten/

beten/ (wie ich denn auch gethan/) um mehr kommen zulassen. Dann sie sehr begierig/ mit gutem bedacht/ solches durchzulesen.

Danzig/ 22. Januarii, 1653.

**I**n des Herren seinem andern Schreiben habe ich zugleich Herrn D. Zwelfers Kupffersstück bekommen / welches mir von herzen lieb/ und solches alsobalden in sein Dispensatorium habe einfügen lassen: daß die N. N. nichts als calumni- ren/ geben sie hiermit mehr ihren unverständ an den tag/ als daß sie sich dardurch entschuldigen. Weilen es aber in diesem seculo gemein/ daß man an statt einer verantwortung/ mit Pasquillen sich behülffet; haben sie sich dieses auch gebraucht: aber mit schlechtem lob. Und wird hergegen Herrn D. Zwelferi nahme/ mit gros- sem lob/ so lang die welt steht/ durch dieses Buch/ gerühmet und gepriesen wer- den. Weilen/ in warheit/ mit gutem grund/ in ewigkeit solch Buch nicht kan umgestossen werden: sondern/ wie ein liecht/ durch die wolcken herfürbricht/ und die nacht des ungereimten Dispens. August. vertreibet/ und zu schanden machet. Gott wird ihme solche treu/ und nützliche arbeit/ belohnen: der lasse ihn lang leben.

Herrn Schröders/ vornehmen Apoteker in Nürnberg/ de dato 14. Maij, Anno 1652.

**E**uer Excell. herrlich elaborirtes Werck habe ich mit sonderem fleiß durchlesen: muß ohne heuchelei bekennen/ daß uns Apotekern ein rechtes fäll von den augen gezogen worden/ und nunmehr daraus recht künstliche Apoteker wer- den können. Will geschweigen/ so viel herrliche Secreta, die darinn begriffen/ und uns ohn allen falsch offenbaret worden: davor wir ja Euer Excell. nicht gnugsam danck sagen/ rühmen und loben können. Und/ wann nur der neid zuließe/ daß unsere Apoteken darnach müsten angerichtet werden/ so würde endlich die löbliche Apotekerkunst wieder geachtet werden/ und nicht ein jedwedes altes Weib/ oder Vader/ die recht herrliche und künstliche bereitungen der Arzneyen/ nach E. Exc. Lehr/ nachmachen können/ und die vielfältige der Weiber/ Vader/ und umlauffens der Marcktschreyer Stümpleren dermaleins aufhören/ und zu nicht gemacht wer- den. Welcher Apoteker nun diß E. Exc. lobwürdiges Werck tadelt; muß es entwe- der aus unverständ/ oder mißgunst/ thun/ oder aber aus faulheit/ daß ihn die mühe verdreist. Wie es dann solcher Idioten/ mißgönnern/ und Faulenzer/ nicht we- nig gibt/ die nicht werth seyn/ daß sie sollen Apoteker genennet werden.

Herr Matthias Bansa/ fürnemer Apoteker zu Franckfurt am Mayn/ de dato 26. Aprilis, 1652.

**N**achdem ich E. Exc. schönes Buch/ von denen hier ankommenden Buch- führern von Nürnberg/ endlich/ nach grossem verlangen/ erhalten/ hab ich nicht nachlassen können/ tag und nacht/ biß ich es alles durchlesen. Und/ wie ich mich vor dessen/ auch ein Apoteker zu seyn/ geduncken lassen; so muß ich doch jetzt in warheit sagen/ daß ich Ew. Exc. Schüler bin/ indem ich niemals mir einge- bildet/ daß solche kunst solte verborgen seyn/ und wir in solcher finsternuß wandelten. Hat uns also Ew. Exc. ein rechtes liecht angezündet/ dessen wir ihm nicht genuga- sam dancken können/ und darum auch sein ruhm/ und nahme ewig bleiben wird/ trotz allen neidern und mißgönnern: Herr D. Schröder allhier/ kan es auch nicht gnuga- sam loben; hält es für sein liebstes Buch. Meinets einig und allein/ daß E. Ex. etwas zu hitzig wider die Herren Augustanos Medicos geschrieben; ohngeacht es die pur- lautere warheit wäre.

Herr



Herr Johann Kramer / fürnemer und gelahrter Apoteker / auch Materialist / in Hamburg / de dato 24. Septembr. 1652.

**A**ls der großg. Herr D. meine wenige meinung / über sein lobwürdiges Opus Pharmaceuticum & Chymicum, begehret; weiß derselbe wol / daß ich viel zu gering darzu bin / und daß solch Opus nicht von einem blossen Apoteker / auch nicht einem blossen Medicinæ Doctore, recht censurirt werden kan: sondern es gehört ein solcher Mann darzu / der die Labores Chymicos & Pharmaceuticos exactè gelernet und erfahren hat; darbey ein wahrer Philosophus ist. So viel ich / als ein schlechter Apoteker / verstehe / sage ich candidè, und ungeheuchelt / daß mir solch Opus von herten lieb / und über alle massen wolgefället / und ipsa experientia solches verificirt; auch wider alle unverständige tadeln / es seyen Doctores oder Apoteker / immotum bestehen / und sich selbst vertheidigen wird. Was die Contenta Medica & Philosophica belanget / so muß ich ebenmäßig bekennen / daß solch Opus vielen hochgelehrten Doctoribus & Practicis sehr wol gefället / es auch gegen mir die vornehme 2. Männer allhier / Herr D. Dieterich / und Herr D. Schlegel / ad astra gleichsam extolliret; wie auch zu Lüneburg Herr D. Schmidt / zu Lünebeck / Zell / & ceteris locis, plurimi. Und wolt ich nun ferner gerne sehen / wer es tadeln solte. Summa: der großg. Herr D. hat ein werck vollbracht / welches nicht allein allen Herren Medicis und Apotekern / sondern der ganken welt / hochnützlich / darum auch ein unsterbliches lob und danck von denen / die es verstehen / haben wird.

Herr Bartholom. Hecht / Raths Apoteker in Lüneburg / de dato 18. Augusti 1657.

**E**s unsterblichen gemachten namens / wegen reformirung der Pharm. August. und des neu lausgegangenen köstlichen Appendicis, habe ich billich E. Exc. zu gratuliren: ein Werck / gewiß / so nicht allein lobwürdig / sondern viel hundert jahr hero / sowol von vielen Herren Medicis, als Apotekern / höchlich desideriret. Gott der allmächtige gebe darvor E. Exc. langes leben / gute gesundheit / und gesegneten wohlstand. Dann wir können nicht genugsam dafür dankbar seyn. Jetzt haben wir ein rechte richtschnur / und werden vielen zweifelhaften dinges / und unnützen unloßens / befreuet. Wir haben wol vielmal die schalen vor den kern erwehlet / und / wie an den Perlen zusehen / viel hundert pfund derselben unnützlich angewendet und verderbet / &c.

Herr Johann Georg Grünberg / Apoteker in Dresden / de dato 16. Januarii, anno 1653.

**N**achdem ich meines hochgeehrten Herrn D. lobwürdiges werck / von Leipzig aus / bringen lassen / hab ich dasselbige mit sonderlicher freud und begierd durch zu lesen nicht ablassen können. Ich / und alle Apoteker / so anderst die warheit erkennen und bekennen wollen / müssen demselben die ehr lassen / daß er uns in die schul führe / und zu rechten vollkommlichen / auch künstlichen Apotekern mache / und doch selbs die ehr / sampt ihme genießten. Weilen nun kund / auch E. Exc. selbst / in Präfatione, anziehen [juxta illud tritum Plinii, ad Vespas: Benignum est, & plenum ingenui pudoris, fateri, per quos profecimus] das Sie viel jahr ein Apoteker gewesen / derowegen wir uns allesampt billich danckbar erzeigen solten: allein es gibe der Neidharten doch auch nicht wenig / da einem bald diß / dem andern jenes / nicht gefallen will / das ist / einem verdreust die mühe / bleibt lieber bey der alten geigen / als daß er solte ein wenig mehr mühe anwenden; dem andern ist es zu kostbar vor jederman; der dritte / welches am lächerlichsten / will es vorhin auch gewußt haben / das ist / das ey auf die spizen stellen / wann man ihm es schon gezeigt: da er doch

doch zuvor / wenn man ihn hätte examiniren sollen / nicht würde die Laus salben recht haben machen können. Es werden aber E. Excell. solche Idioten / und ingratos cuculos, nicht achten / sondern / wie billich / verlachen. Dann man kan solche Großsprecher / und Maulmacher / gleich ander stumm kennen / und seynd einem christlichen und verständigen mann ein eckel zu hören. *Nam à laudatis & doctis laudari, vera laus est: & vice versa: &c.*

**H**Æc si quis æqua lance perpenderit, certissimò comperiet, quòd nefarii hujus, impiique Tenebrionis, *Tackeni*, conatùs, quos, in scribenda Epistola, de famoso liquore Alkahest, ad Serenissim. Ducem Holstia Sleswicensem (acriter instando, ut typis mandetur Hamburgi, stylo infami) impendit; quòd temerarii ausùs, novi Hippocratis, quos in Pseudologia sua, seu propudioso Apologetico scarasmo, quò innocuum, totiq; Europæ spectabilem Virum, *Helvig Dietericum*, contra jus & fas, impetuosè lacescit, attentaverat: quòd monstrosæ denique calumniæ, quibus, ad Vindicias, Echo ejusdem, plenis buccis resonat; quibus adversus Viros maximos, & super candelabra constitutos; quin imò adversus inclyta Medicorum Collegia, celeberrimas Universitates, & Respublicas, licentiosè debacchatur: quòd, inquam, tantam fidem, vires, ac pondus, non obtineant in conspectu Solis, & universi literati Orbis, quantum Reformatoris Opus, & lucubrationes, quotidie affectus, & autoritatis, à summis & imis, ut Reformatoris Animadversiones indies divulgentur amplius, & emergant; Cavillatoris verò, & Calumniatoris, *Tackeni*, monstrosi partùs, & infames chartæ, sollicitè demergantur, supprimantur, aut cum infamia crementur.

Subjungit hoc eodem Capite, pag. 3. lin. 3. Calumniator, dirigente tamen manum, & calamum, mercenario Scribâ: *Hac occasione, succissivis horis, dictum volumen, non sine admiratione, evolvi.* Et infra: *His vestigiis incedit etiam Reformato Augustana Pharmacopœia, quæ non solum in Veteres, sed etiam Modernos, Hippocratis & Galeni sequaces ita debacchatur, ut nullum ferè convitium excogitari possit, quo hos non aspergat &c.*

Evolvisti tumultuariè, & incuriè, *Tackeni*, opera mea, & saltem ut canis ad Nilum. Quid mirum, si parum inde hauseris emolumentum? Nam si tibi quietæ foret indoles, si honestatis ardor, si veræ scientiæ cupiditas, neutiquam talia per transfennam, & superficialiter, ac quasi aliud agendo, tractasses. Quis igitur demiretur, quòd errores erroribus, absurda absurdis, cumules; quòd illa innocuis chartis meis affingas, & imputes, quæ infamibus pagellis tuis omni jure debentur? Evolvisti, non sine admiratione, dictum volumen. Est enim hic avitus stultorum mos, ut ea mirentur, quæ ingenium suum superant. Vitulina capita, & vaccina, attonita stupent, ad novam, ut ajunt, portam. Est hæc consuetudo maledicorum, ut, quòd non capiunt, carpant; quòd attingunt, calumnientur. Ait enim Rabula, quòd in Veteres, ac Modernos, Hippocratis & Galeni sequaces ita debacchatus sim, ut non supersit convitium, quo hos non aspergam. Quis unquam proborum ac doctissimorum Virorum; (testentur Gallia, Germania, Italia, Anglia, quin universa Europa, ubi Reformatoris doctrina percrebuit) quis unquam molestius stylum meum pertulit, quis, sibi gravem fuisse calamum nostrum, conquestus est? Solum te, Hydram, *Tackeni*, multis nequissimis ac stolidis capitibus infamem, ac cornutum, ac rancidum *Schmuzium* (ut vel ex Socio conspicuus esses, ac Collegâ) si excipiam,



nemo hætenus fuit, qui vestris mendaciis conformia effutiret. Erue, nequissime, justam censuram, ex superius allato suffragio Excellentiss. & Doctiss. Viri D. Daniel. Geigeri, M. Doct. apud Cimbros Oraculi, & Venerandi Senis, quod super Opera Reformationis (cum tamen & ipse ex Celeberrimo Augustano Collegio, quod, velut Columna, fulciebat, membrum fuisset) fideliter mihi tribuit. Innumeros alios causæ meæ patronos verecundo silentio involvo, ne & eos convitiatorum plaustri oneres, ac *Asinos, Stultos, jucundos Sodales, Muscas conspirantes* (ita petulans Tackeni Vindiciarum Echo resonat) prostituto ore, compellare possis. Interim autem, quod notorios, & cuivis obvios ac conspicuos errores, quibus, velut infami lolio, passim Authores scatebant ac luxuriabant: quod, inquam, errores, proprio etymo, errores dixerim, ac, nemini palpando, veritatem peroraverim; non est actum convitiandi libidine, aut cavillandi: neutiquam; sed solo unoque communis boni ac emolumenti studio, ne tot Zizaniis incultus Medicorum ager squaleret, Medicis imponeretur, Aegrisque pessimè consulere, sæpè ad incitas, & vitæ discrimen, adactis. Neque enim vereor, mi Tackeni, ea denuò recolare, ac palam effari, quæ, citra notam, & calumnias, prodire à Reformatore non posse, querulus, clamitabas. Dixi enim, & repeto: Tam ulcerosum, & prostitutum est seculum ac ævum nostrum, ut nunc scientiæ sint turpis quæstus, artes mercimonia, Medici multi (tu Coryphæus es, & signa præfers, Tackeni,) impostores; qui quandoque non tam quærunt salutem Aegrorum, quàm subsellia honorum; non tam sanitatem, quàm speciosi nominis, ac respectus, vanitatem. Unde videre est, suo quemque passim abundare sensu, speciosis remediorum formis (quas Receptas indigitant) Officinas undique, libros, ac tomos, scatere; quæ, præter sesquipedalia verba, & magnificos titulos, (ita Tuus Hippocrates Chymicus: insignes ac ingeniosi tituli; stulta marginalia se habent) aliud non præ se ferunt, quàm ut Tyrones Medicos argutè deludant, morbis incrementa tribuant, ac sæpè Patientes præmaturâ morte pessudent. Quod hæc, & similia, sedulus Reformator candidè animadvertit; quod abusus hosce detexit, reformavit; quod meliora substituit; quod denique Medico, Aegris, Vitæ, & Mundo, obsequium præstitit: Convitiator, Ironicus Reformator, fudes in Oculo, huic Nyctalopi, Blateroni, ac Mimo, Tackenio, fuit. Nam ipse jam pridem universam scientiam Medicam, & bonas Artes, scientiarum Præses, ac Antistes, in sui clientelam acceperat. Verùm indulgeamus aliquid imbecillitati hominis. Nam occurrit mihi illud, Hipponensis Præsulis: *Quid Stulto propius, quàm velle, & non posse, nocere?* Et illud Senecæ, *Epist. 14. Nunquam in tantum invalescet nequitia; nunquam sic contra virtutes conjurabitur: ut non Philosophiæ (Pharmacis) nomen venerabile, ac sacrum maneat.* Tu, mi Tackeni, cum paucis leviculis, *Musca es, in Apulia, Atomus, in littore maris, Pulex subsaltans, in Theatro Universi*, nec non in *Medicina, Pusio*. Magnifica proinde verba tua, ac Gygantæa vox, quàm tibi affingis, omnibus risum movet, & cachinnos. Nocere vis; sed nequis, *Nequissime*. Vana est sine viribus ira tua: atterit te, & opprimit, quin imò conculcat, tantorum Virorum, sanè in Medicina Procerum, majestas. Abscede igitur, Solis splendorem non sustines, *Noctua*. Tot enim augusta habet Præconia Reformator; tot literata Testimonia; quin imò vocem Populi, Universitatum assensum, Doctorum tributarios affectus, Europæ totius Celestina, & festivum Pæana: ut mirari non

opus

opus habeas, si in calumnias, & probrosum tuum caput, vetus illud Græcorum detorqueam, & tantum æstimem convitia tua, ac

Εἰ με γυνὴ βάλοι, ἢ παῖς ἀφρων.

Hoc est,

si me Mulier, vel verberet Infans.

Succensere igitur non debebas Reformatori, quòd tot dissonas, ac inconditinnas, & vel per centurias nonnunquam ingredientium sibi adversantium constitutas formas remediorum modestè redarguit. Ipsum Te prius in sinum manum tuam reponere decebat, & trabem ex oculo amandare, quàm talia scriptitares; memorem, quòd tu pejora his, quòd pessima scripseris; indiscriminatim nimirum viros doctos suggillando. Veni mecum, vide, applica Ephot, lege, qualia effutias: *Profectò, ais, Congressiones simplicium, ad ignari lubitum factæ, Reges infatuant, & exanimant*, pag. 234. lin. 3. Et iterum, lin. 9. *Receptarum combinatores, tanquam sortilegos, Consulo, fugiendos & propellendos; qui de suis prodigiosis compositionibus de malis nostris negotiantur, & super Vitam nostram mittunt sortes. Impossibile est, inquam, ut de sola Urtica ostendi, aliquid certi statuere posse, nisi sola opinione, & conjectura.* Hæc tu magnificè blateras, sed genericè nimis, profectò, & universaliter: limitare debebas propositionem tuam. Falsum est enim, omnium Doctorum Virorum Composita, & Magistralia pharmaca, esse reprobanda; uti nec omnia approbanda. Opus est delectu, ac manu ductore, quo alia probamus, alia rejicimus; quanquam, *inconstantissime mortalium, Tackeni*, te ipsum arguas, Tibiq; contradicas, pag. 238. lin. 1. ubi totus in encomia Theriaces effusus es. *Quemadmodum, dicis, ex diversis simplicibus, per fermentationem cœnitis, fit Theriaca, cui unicus rector prædominatur; hinc ab Avicenna magna Virtutis prædicatur, ut in præfatione notavi, &c.* Ex quo manifestum fit, te Mendacem esse, plenum contradictionibus, ac, præter voces, & sibilos, nil majus tua scripta possidere. Miser proindè es: (loquor cum *Sid. lib. 5. Epist.*) Miser, inquam, es, qui antè compulsus es docere, quàm discere; tanquam sterilis arbor, cum non habeas opera pro pomis, spargis verba pro foliis; cum non adsit medulla sensuum, abundat spuma verborum. De cætero, quæ, ac quanta elogia debeantur Theriacæ, fusiùs alibi, ex instituto, tractatum reperies. Interim ego semper eò annisus, totis viribus inclinavi (testimonium mihi perhibent *Animadversiones meæ*) ut æmularer naturam, genuinus Philosophiæ cultor, ac per omnia unitati, & medicamentorum uniformitati, studerem ac consulerem. Quod dum sollicitè præstiti, nulli injurius, multis tamen proficius, neminem D. D. Augustanorum suggillando, aut in particulari commemorando: eas tamen abs te retuli injurias, probra ac convitia, quasi in te famosum aliquem Liquorem Alcahest, seu infamem, criminibus & calumniis horridam, Apologiam, ore sacrilego, evomuissem.

Neque verò his cancellis lingua dolosa tua, *progenies Viperarum, Tackeni*, potuit cohiberi: ultra temeritas tua te sollicitavit, ut in propria nimirum sævires viscera, ac Deo, naturæ, & humano consortio injurius, ac perduellis, Præceptorem tuum, magnum Scriptorem, Helmontium, à quo fortè omnem hausisti sapientiam; cujus sententiis, stylo, eruditione, operâ, ac inventione, novum tuum Hippocratem Chymicum (arcano furto, & alieno ære) divulgasti & comparasti: hunc, inquam, Virum, qui tibi unus, pro mille, Pædagogus & Bibliotheca fuit, in memorata sapius *Epistola* tua, *de famoso liquore Alcahest, Invidiosum, Mendacem, sui immemorem, nimium credulum Helmontium*, (stylo Orco digno) sine fronte & verecundia



compellares. Et, ne parerga, & peregrina, tibi loqui videar, ac, more tuo, hyperbolicus esse; proprii textus tui subjungam formalia. *Profectò, inquis, invidiam hujus Viri (nimirum Helmontii) admiror, quòd vix audeat materiam nominari, (scilicet liquoris Alkahest) & nihilominus conquerit de difficultate preparandi, immemor continuæ suæ increpationis, de caritate & liberalitate erga proximum.* Item: *Liquor Alkahest Helmontii est non ens: Facile credulus Helmontius, quæ scripsit, non intellexit: verum non deprehendi, quod scripsit Helmontius de Sale Spiritus Vini.* Neque hoc verum est, quod Helmontius scribit, quòd Spiritus seu Oleum Vitrioli attactu Mercurii degeneret in alumen. Plurima in Helmontio, cum animi aversione, ad nauseam usque examinavi, ubique perspexi, quòd insomniis, citra experientiam, nimiam fidem adscripsit. His encomiis & scommatibus Magistro optimo parentavit posthumus discipulus, & ingratus plagiarius, Tackenius. Quid igitur obstupefcimus, si in externos injurius, si in Europæ Medicos, si in Universitates, calumniosus extiterit, qui tanta in Magistrum evomuit; uno leviq; motivo ab Helmontio divisus, quòd non illicò secretam clavim ad abdita libri sui mysteria, huic dignissimo Secretario, & naturæ Mystæ, crediderit. Non tibi, profectò, frater,

Non tibi per ventos assa columba venit.

Ora, atque labora: Vitam & vitia emenda; &, juxta Senecæ monitum & hortamentum, Ep. 76. *Mores primùm, mox sapientiam discite; quæ sine moribus malè discitur.* Est enim, ut inquit divinus Paræmiastes, *Timor Domini principium sapientiæ.* Et verò, quòd si benè memini, ac verba tua perpendero, nove Hippocrates, hoc ipsum veras, &, pag. 229. lin. 6. doces, *secreta non esse detegenda, nisi in parabolis, allegoriis, metaphoris, involucris, & similibus figuris.* Digna tanto Magistro doctrina! Semper enim N. quærit A. & fur latebras, & infamis angulos, & mendax allegorias, & impostor metaphoras, & convictus involucra, & rabula parabolas. Ut quid igitur, si eadem sensisti, tanto Viro, Helmontio, succenses? Ut quid tanti Viri severiora acta, lucubrationes, ac scripta, nugas, crepundia, insomnia esse, arguis? Meo judicio inaniter grunnis, latras, ac barris, Tackeni; cum eadem dictaveris, in novo Hippocrate tuo Chymico (si tamen tuus est, & non Creditoris Helmontii) *non esse detegenda secreta, (hoc est, furta tua) nisi in parabolis & allegoriis.* Vides igitur, mi Hippocrates, & Chymiafter, quantum hic denuò vapules; vides quòd iterum veneris

ὅς ὑπὸ ῥόπτῳ: hoc est, Sus sub fustem.

Neq; mitius judicium doctissimo Quercetano formavit Aristarchus, Tackenius. *Quercetanus, inquit, quoque tot arcana promittit, & in examine vix Alga reperitur.* Et tu, Tackeni, non Algam, sed Paleam præbes, & Carduos: non Hippocratem, quem in fronte promissisti, multò minus falis novissimi Viperini antiquissima fundamenta; sed Histrionem, & Scenicum Thrafonem, exhibes.

Pergis præterea de Basilio Valentino Benedicto; quòd & ille non habuerit caritatem, quando jusserit accipere terram, intellexit aquam: Suspirando igitur de illo, scribis, Tackeni, his verbis: *Bone Deus, quare permittis crudele facinus in miseros infirmos? quando Basilius scripsit de Butyro Antimonii, sub falsis nominibus occultavit particularia medicamenta &c.*

De Crollio hæc: *Quicquid sibi rarum videbatur; in fasciculum congestit, sine ulteriore examine.*

Quibus

Quibus Hartmannus sua crepundia nexuit, non docendi gratia, sed ut char-  
tam macularet: quid stolidius somniari potuit unquam? &c.

Quid Petrus Faber non fabrefecit mirabilia, citra tamen notam ullius ve-  
ritatis?

Observavi quod plerique omnes qui de Chymia tractarunt proximi caritatem  
neglexerunt, & mera somnia Posteris reliquerunt, sibi quaedam in cerebro destil-  
larunt, & ita mendacia sunt introducta. Et hæc est causa, quare Chymia à ple-  
risque Medicis spernitur, ut figmentum (quasi Medicina Galenica ubique vera fo-  
ret, quia licet, ut sit post Hippocratem bis mille annorum exercitata tamen nullus  
est qui revera ad unius individui temperamentum dignoscendum possit perve-  
nire.)

Et hæc sunt scenicæ levitatis argumenta, probra, & infania, Tacke-  
nii, lymphati & novi Hippocratis, è redivivo Hippocrate Chymico, è famoso  
liquore Alcahest, deprompta; quibus toti Medicorum scholæ, & emeritis  
Practicis, quin ipsi Galeno, & sequacibus, turpi sarcasmo imponit, nec  
non & sibi illudit: dum se unum, & solum, Physicum jactitat, & Hy-  
giæ sacris initiatum; reliquos verò ne unius individui temperamentum  
nosse, temerariè ac superciliosè statuit, & convitiatur. Verùm hæc li-  
cet decumana sint probra, & famosa perjuria; majora nihilominus in  
Magnif. illum Virum, Helvic. Dietericum, multorum Principum, Electo-  
rum, quin & Regum, Archiatrum detorquet, in Apologia, seu potius Psev-  
dologia sua, dum eum nimirum Abcdarium, Agyrtam agyrtarum, & Me-  
dicastrosum omnium astutissimum, abjectissimæ sortis Homuncionem, Alcumis-  
sam, Crabronem, Caninam bestiam, Chymia titulo turgidum, Asinum, Le-  
onis pelle suffultum, Ciniflonem, Cicumforaneum, Colluviem omnium scele-  
rum, Detrectatorem, Deceptorem, Expiscatorem, Falsarium, Furem, Fumi-  
vendulum, Grammatistam, qui grammata novit, instar pueri, Triumvira-  
tus latronem, &c. Hominem, naturam, ipsa canina pejorem, habentem, imò  
Satane, non autem imaginem representantem humanam, Impostorem, Menda-  
cem, Mendaciorum Magistrum, Medicastrosum, Medicastrosum spectrum, Mo-  
narcham ordinarium Mundi, Nebulonem, Odiosum, Pseudochymicum, Sten-  
tatorem rudem, Stolidum pecus, stultum & insulsum Caput, excæcatum ambi-  
tione, Chirosofum, Gloriosum, Arrogantem, vanum Ostentatorem, Anguem  
Psillum, Conspiratorem, perfidum & malignum Calumniatorem, honoris De-  
trectatorem, Infidum, Graculum, Inquietum, turbidum & iniquum Autho-  
rem, Plebejum, futilem & verbosum Nugatorem, Convitiatorem, Imperitum,  
Mendacissimum, insulsum Blateronem, Pepone insulsiorem, Sacrificulum, sca-  
biosum Grammaticum, calumniarum Seminatore, Camelum saltantem, Au-  
riscem, Matulam, tumidam Bullam, quadratum Polyphemum; quantum quan-  
tum, nil, nisi Mendacem, Merdarium, Præstigiatorum, miserum Lachrymi-  
stam, qui Tartarum comburere nesciat, Virgularum substitutorem, Asinum Ba-  
laam, Fumivendulum magnum, Cerberum, Atheum, Sycophantam, & Ne-  
quam pessimum, apud DEUM impudentem temerariumque Fanaticum, Simula-  
torem pietatis, Tartareum, Scholasticum, cujus Præceptor Satanas, Mendacio-  
rum Princeps, dignus ut catenis in Tartarum precipitetur, insulsum Jumentum,  
insanum, injustum, & temerarium Judicem & Proditorem, Stultum, Nug-  
vendulum, & Vaniloquum, Mendacem ubique, inauratum Scarabeum, Amicum  
non habentem vestem Nuptialem, Stultum, quem gloria vexat inanis, Furem  
pessimum, Detractorem alieni honoris, stolidum Pecus, Tackenii Mastigem, Fal-  
sarium falsariorum, Asinum desidiosum, Grammaticum & Scabiosum, menda-  
ciorum Mercatorem, Cerebrum in lingua gerentem, stercorarium Poëtam, Thra-  
sonem,



sonem, Doctorem quasarium, Accusatorem mendacem, mendaciorum Sartorem, aureum Asinum, magnum Ardelionem, mirificum Grammatistam, miserabilem Censorem, Miserum, Falsarium Aulicorum Philosophum, Hydram. Amicos verò Domini Doctoris Helwig. Dieterici sic nominat, utpote Impotes, & Perfidos Blatterones, Susurrones, Asinos, & jucundos Sodales. Ita etiam Excell. Virum, Dn. Doct. Knefelium, Regis Poloniæ quondam Archiatrum, vocat Fraudulentum Triumviratus Latronem, & quòd totam Poloniam fere spoliaverit suo Clisso, Fomicidam &c. Item Excell. D. Timplerum, Herum olim suum, & Præceptorem, à quo, si quid in Chymicis pollet, cuncta mutuatus est: illum, inquam, vocat Sapientum Octavum; qui vitia mendaciorum, Senex jam, non deposuerit; quibus gaudeat in hunc diem: mendaci lingua in Parentem serviendo; Graculum graculo insidentem; Furem, &c. Ab his detractor, & infamis diffamator, ad Collegia Medica descendit, utpote Hamburgense, Helmstadiense, Norimbergense; ab his iterum, factus robustior, & audaculus latrunculus, in Universitates Inclytas irruit, nimirum in Helmstadiensem, Marpurgensem &c. Reverendissimum Ministerium Hamburgense, innumeros Viros doctos, Juris Consultos, Collegia Jurisperitorum quamplurima, Coloniense, Ingolstadiense, Marpurgense, Principum, Electorum, ac Regum, Secretarios, Notarios Publicos: &, ut compendio utar, contra omnes deniq; eos hic furiosus Onager recalcitravit, qui, veritati litando, innocuos mores, scientiam, & artis excellentiam, magni Viri, Helwig. Dieterici, coram Magnatibus, Principibus, ac Regibus, ultrò testati sunt. Et, (quod portentum est temeritatis) nullo habito Personarum discrimine, ipsis etiam verendis Principum, & Electorum, Mitris, quin nec Regio pepercit Diademati; dum eos omnes, quòd veritatis partes tuiti sunt, in suâ, quâ reboavit, Echo, scurrili sibilo, nominat Mendaces, Muscas conspirantes, Asinos, jucundos mendaciorum Sodales, Blaterones, quorum judicia tam æstimet, quàm habitus foetidissimos cloacarum Diaboli; additq; quòd magna stercoreis tetri copia requireretur, ad obturandum proterva ora maledicorum convitiatorum: &c. Et hi sunt Aphorismi, ne dicam Orcismi, quos hæcenus citavi, Am. Lect. & noxius Hippocrates Chymicus, Præceptore Cacodæmone, meditatus est, & professus; ut non immeritò quemvis admiratio teneat, quî fieri possit, ut in uno nequissimo individuo, ac supposito, tanta temeritas, arrogantia, & scurrilitas concentratur: quamquam mira est vis superbiæ, quæ, ut Cassianus, super Psalm. cap. 18. ait, de Angelo Diabolum fecit, omnium malorum mater, scelerum fons, vena nequitiae. Quid mirum, & novum, igitur est, non ex Angelo, sed homine omnium bipedum nequissimo, ac ad omnia scelera & facinus potentiam inchoatam habente, superbiam fecisse Cacodæmonem. Et, ne, quid nimis me dixisse, arbitreris, Tackeni, auriculam tuam ad illam, quæ de mendaciore tuo reflectitur, Echo, pag. 31. & 32. applica; &, quàm te ipsum graphycè descripseris, ausculta. Diaboli opinio est, inquis, quosvis alios Calumniatores appellare (& cur me in nassam, & nequitiae consortium, pertrahere gestis, dum me Calumniatorem palàm, sed falso, asseris?) quòd etiam tales fore cuperet omnes; sic, & ejus filii bonos persequuntur, in eos invehuntur, sibiq; laudem comparasse putant, quòd alios carpserint &c. Et qui alios sic audet appellare (scilicet Calumniatores) vel se ipsum talem hoc ipso palàm facit. An igitur ipse non natus sis, Tackeni, ad lacessendum impetuosè viros probos, & rabiosa maledicentiâ insanias? An non cæca tua ambitio ignorantiae nebula sit? &c. Nunc, mi Tackeni, subducamus calculum, ponamus rationes, formemus consequentiam. Diabolus est, qui alium, Calumniatorem esse, arguit. Ergo Tackenius Cacodæmon est, vel ejus cauda, qui

Refor-

Reformatorem palam Calumniatorem esse, docuit; sed falsissimè. Ex ore tuo te judico, *nequissime Spirituum*: si tamen Spiritus es, & non totus caro. Deficiebat tibi forsitan Commilito, & me sub signis tuis militare, gestiebas? Neutiquam hoc spera, meliora mihi dictitat illibata conscientia & honestatis ardor. Nam, ut S. Bern. *in hom.* ait: *Injustum est, servire Diabolo, qui nullo placatur obsequio.* Sufficit tibi, quem conduxisti; mercenarius Scriba, vestros non ambio fasces, subsellia, aut Duumviratum. Nam *corrumpunt bonos mores consortia prava.* Optarem enim & illi, quem tibi associasti, corrivali, ut meliores mores induat, nec tam infami labore vitam terat & tempus; memor humanæ divinæq; legis, quibus à proximorū contumeliis, famæ rapinis, & honesti nominis exterminio, sub æternæ damnationis reatu, latâ sententiâ, prohibemur; quæ dum contemplor, vestris abscedo valvis, & confortium vestrum devito. Interim quòd malitiosè scribatis, quòd *Reformator Augustanæ Pharmacopœiæ in Veteres & Modernos Hippocratis & Galeni sequaces ita debacchatus sit, ut nullum ferè convitium excogitari possit, quòd hos non asperferit: &c.* judicet inter me & vos ille, qui solus novit abdita cordis, scrutans renes & corda, Deus. Hic, inquam, sententiam ferat, qui iniquitatem vestram scrutabitur in lucernis Jerusalem; cui uni ac soli cognitum est, quo labore, & sudore, quibus vigiliis, & impensis, quâ sinceritate, & proximi dilectione, ea, quæ in lucem protuli, invenerim, disposuerim, & absolverim: quemadmodum hoc tota agnovit Europa, & literatus orbis: amplum laborum meorum præmium & stipendium. Neque verò ad tam sacra simul, & augusta, appellarem tribunalia, si avita Romanorum lex suo adhuc constaret vigore, quâ severè mandatum ac cautum fuit, ut notoriis, ac convictis calumniatoribus, infamæ stigma, (teste Lipsio) & litera K. in fronte, publico spectaculo, inureretur: quanquam vereor, mi *Tackeni*, ne, si pro meritis, & calumniis tuis, Romana justitia te castigasset, non unam tantum literam, sed omnes, ab Alpha usque ad Omega, inussisset: verum res quidem ardua est, effronti inurere frontem.

Transitum apparat Cavillator ad ulteriora scommata, quæ Reformatorem impetit, pag. nimirum 3. lin. antepenult. sequentibus: *Quem cum olim, perficiendi modum Viperini Salis sub metaphora docuisssem (apertè negasssem) nunc pro fuso proclamat, imò impostura impedire ne publici juris fiat &c.* Et pag. 5. lin. 15. denuò pergit, dicens: *Unde non sine causa timidulus, ne præ torpore, & ignavia mea ad manus impostorum dimanaret: &c.* Porro, pag. 7. lin. 12. pergit, magnâ præsumptione, sequentibus: *Huc ergò adeste veritatis amatores, vos admiranda & jucunda vestris oculis aspicietis, & manibus tractabitis, quæ absconsa, & occulta à sensibus & cognitione hætenus steterè: &c.*

Adeste nunc igitur, & me vel Præcone, vel amico Hortatore, amicas aures præbete, Doctissimi Europæ Viri, & sapientiæ Candidati, audite monstrum è suggestu, è pulpito rudentem, Rabulam mendacem, hominem, cui nec ara, nec fides. Adeste, vocat vos *Tackenius*, mendaciorum Pater, notorius Impostor, Falsarius; abscondita vobis, & à sensibus occulta, nota faciet *Histrion*. Sed quæ Mysteria vobis revelabit *Rabula*? *Perficiendi modum Viperini Salis, quem, sub metaphora, me docuissset potius, apertè negasset &c.* Sed ut Te, Amice Lector, omni amphibologia & hæsitazione exuam, candidam tibi veritatem nudissimis verbis sistam, quid sibi hic *Convitiatoris* paragraphus velit; ac velut ab ovo rem edisseram. Anno circiter 1644. aut 1645. nisi me fallat memoria, cum dictus *Hippocrates Chymicus* primum Paravium venisset, mihi antehac ignotissimus, (silentio prætereo, quò fidere & asterismò, quòve Comite, discesserit Bremâ, Kielâ Holfatorum, Gedanò, Fischhusiâ Billaviæ;



Billaviæ, Regiomonte Borussiæ, Kaovia, & Vilnia Lithvaniæ, Varfaviâ Poloniæ, & Viennâ Austriæ. Nobis apprimè constat, & illi maximè: plerumque nimirum Mercurio retrogrado, & Venere ascendente) cum, inquam, Patavium attigisset, illicò ad ædes meas, seu Cameram locantem, ut vocant, & elocatam, se contulit, & ut solet hoc genus hominum, blando & sereno vultu, salutationem amicam ab Excellentissimo & Magnifico Viro, D.D. Joan. Gvilielmo Mannagetta, Archiatro Cæsareo, deposuit: multa, eaque sincerissima, verba subnectens, omnem mihi obtulit sinceritatem, (Vulpes!) nec non subjungens, quantum meam ambiret familiaritatem, utpotè advena adhuc, & peregrinus. Sors tulit, ut me, laboribus Chymicis intentum; offenderet. Occasionem igitur capillatam arripuit illicò, ac de *Helmontio*, & de *Sale Viperino*, discursum orsus est, multis ambagibus: an nimirum hunc apparaverim, & quodnam de eo meum foret iudicium. Ego, nihil sinistri suspicatus (Quis enim, cum Momo, cor dolosum intuitus est?) sincerè respondit: me quidem ex animalibus aliis diversis, eorumque partibus, Cornubus, Carne, Urina, &c. dudum novisse sales volatiles destillare, illosque etiam quodammodo fixare; verum non sine additione, sed superaddito quopiam spiritu: Item, quòd magna subrepat impostura cum sale Viperino; eò, quòd dictus sal Viperinus, quem magno precio ex Italiâ in Germaniam dimittunt, utpotè merx fraudulenta & adulterina, merus sal marinus sit, in cuius muriâ aliquot Viperas incoquant, & abjectis demum Viperis, salem denuò crySTALLIZENT. Respondit *Hippocr. Chymicus*, se non credere, quòd nossem salem volatilem ita fixare, & à fœtore liberare. Ego verò regerebam, me id in praxim velle redigere, supposito, ut & ipse, reciprochè, modum, quem nosset, fixandorum salium volatilium mihi concedere velit. Dictum, factum. Inivimus, stipulatâ manu, Germanoque pectore, & sinceritate, pactum, de reciproca communicatione fixandorum salium. Irrequietus igitur *Tackenius*, eò, quòd curiosus esset videndi hunc modum, stimulare me non desit. Igitur salem volatilem, quem eo tempore paratum, Urinæ, habebam, arripui; cui pedetentim affuso spiritu Vitrioli, ad sufficientem saturationem, aut imprægnationem, illum protinus, exhalando aquositatem superfluum, in salem quodammodo fixum, vitreo in vase, ipso præsentem, coagulabam. Hoc videns *Hippocr. Chymicus*, in hæc verba erupit: hoc non putassem; seu, in vulgari Germanico: *dat hått ich nicht gemeinet*. Sed nunc tuum est, D. *Tackeni*, inquebam (jam autem *Tackeni* se scribit, novo etymo) ut tuum mihi, pari fidelitate, modum commonstres, quo Salis Viperini, vel alterius, fixatio tua perficiatur. Ipse verò, nescio, an imposturam, an aliud quid, veritus, rem de die in diem differt, amicâ semper pollicitatione me pascens. Interim, dum honorificè eum semper excipiebam, Romam profectus est. Quæ autem ibidem sale suo Viperino, sine sale Viperino, præstiterit, Romani Celeberrimi Medici testabantur, & Cardinalis Mitra. Româ redux Patavium, ad me denuò confugit. Pristinam iterum in eum benevolentiam & beneficia contuli, de victu, & necessariis, eidem prospiciens: Herum me *Tackeni* dixisset. Vix elapsâ unâ aut alterâ septimanâ, accidit, ut cujusdam Mercatoris Veneti, Germani tamen, Ministrum, etiam Germanum, Melancholia hypochondriaca, cum delirio faceto ac jocoso, laborantem Patavium ducerent, curæ meæ committendum. Considerans ego Patientis statum, & morbi difficultatem, omnem diligentiam & operam pollicitus sum; non tamen citra prognosticum: rem nimirum esse arduam, morbum chronicum ac diuturnum, qui & ipsâ morâ sit futurus magis contumax & diuturnior, nisi in tempore prospiciatur. Hanc occasionem

arripuit

arripuit *Commenfalis* meus fidelis, nunc *Tachenius*, abiit ad quendam *Scri-niarium*, Germanum, cui dictus *Patiens* commissus fuerat, ac clanculum fa-miam meam, velut cuniculos agendo, subruere conatus, prognosticum meum rejecit, ac nimis audax & rigorosum dixit; eò, quòd ex ignorantia mea, ac indebita morbi cognitione, procederet. Contrarium igitur de *Pa-tiente*, & morbo, afferebat *Prognosticum*, magnis additis promissis, quòd intra unam aut alteram septimanam sanitati eum donare vellet, si suæ com-mitteretur curæ. Rei hujus seriem à *Scriuario* protinus, et fideliter, intel-lexi; verùm silentio componebam, cautius tamen, quàm solitus eram, hunc familiarem *Commenfalem* tractando. Subodorabat protinus hæc *Vulpe-cula*, quòd omnium machinationum & tentaminum conscius fuerim: quare, vel ut majora ab hinc tentare liceret, vel ut, quem nutriebat, conscientiæ vermiculum opprimeret; rem ipse mihi aperire statuit. Assidens igitur mihi in prandio, die quodam, incipit his me alloqui: *D. Zywelfer*, mihi ob-latus est *Mercator* quidam Germanus melancholicus, delirans, ad curan-dum: *Suscipiamus* igitur ipsum nos ambo, & brevî restituemus ipsum sani-tati. Ego subridens, regeffi: *Dns. Tackeni*, sitam brevi spatio hunc *Patien-tem* à tam contumaci morbo perfectæ sanitati tibi restituere fidis, ac præsti-teris, uti promisisti, verissimum erit, me nec morbum, nec curam, uti dixisti, intelligere. Proindè lubens soli tibi curam cessero, omnè interim felicitatem apprecans. Hæc fidelis, et sincerissima, quam attuli, responsio tanto ma-gis, pessimè sibi conscius, *Hippocrat. Chymicum* in fermentum egit. Proindè statim aliam sibi, ut vocant, *Cameram* locantem, et victum, constituit, manifestè conspiciens, quòd tam fraudulentâ societate gaudere nolim; ac *Tackenii* sim pertæsus. Curam igitur alacriter orditur; verùm non unâ aut alterâ, ut pollicitus erat, septimanâ, sed mensibus ac mensibus, me, et tota Germanicâ natione, fideliter arbitris. Cùm autem affectus de malo in pejus semper vergeret, nec ipse tamen dormire videretur *Medicus*, opprobrio suo pallium et velamen excogitat, ac *Patientem* incusat, quòd lautè nimis cibaretur, et molliùs tractaretur; quæ morbo, ac stultitiæ, non conferrent. Quare aliam, sed præposteram, methodum instituit: *Patientem*, læto delirio affli-ctum, cellæ obscuræ, velut ergastulo, includit, ut sic risum, et lætas cogita-tiones, exueret; ciboque tenuissimo & simplicissimo tractare jubet. Verùm afflictiſſimus *Patiens*, tam stupidi *Morionis* ac *Medicæstri* (cui potiùs, pro-fectò, ad unguem hæc *Cura* competeat) sui jam curationem nauseans, in-fanire totis viribus, reboare, ac tumultibus omnem viciniam inspectaculum & commiserationem trahere; adeò quidem, ut ex carcere denuò liberari eum oportuerit. Verùm & hæc non succedente curandi methodo, *Hippocrati-co* nova, miser *Patiens*, post multa perpeſſa incommoda, ac vanum falis *Vi-perini* usum, multò, quàm antehac, stultior *Venetias* tandem dimissus est. Quo autem plausu tota Germanica natio hunc *Tackenum*, novum *Hippocratem*, si profecuta, ipse conjecturam facito, *L. Amice*. Parum enim abfuit, quin, præ fermento, ipse *Tachenius* stultifaret. Huc adeſte ergò *Veritatis* amatores, vos jucunda & admiranda vestris oculis aspicietis, & manibus tractabitis, quæ absconſæ, & occultæ curæ à sensibus & cognitione hæcenus steterunt: pag. 7. lin. 13. Jucundum, sine dubio, & admirandum, ubi *Medicus* & *Patiens* pro stultitia duellant.

Hæc, tam dextera, curatio inſenſum mihi magis reddebat *Hippocratem Chymicum*. Unde non modò promissam falis fixationem (quam, sanè, ignorabat) communicare distulit, sed etiam famam meam, ac hono-rem, incidit clanculum, pro viribus: falem etiam meum *Viperinum*, quem præparabam, & Collegialibus meis, dum Collegia ibidem celebrarem, exhibui, ac scripto communicavi, iteratò sprevit, & annihilavit; *Patientes*,



(suo stipatus Patriotarum satellitio) qui se curæ meæ committere gestiebant, omni studio avertit; verbo denique, nihil petulantia prætermisit; ut merito sibi Gentilitium, quod habebat, symbolum inscribere posset: Sumus in mundo. Interim mihi pro clypeo, & galea, fuit patientia & benedictio divina, probè docto, quod malevolorum insultus nubecula sint, citò transitura. Non tamen destiti, promissi memorem facere *Tackenium*; licet surdo fabulam canerem.

Postremò, cum *Hippocrates* noster *Chymicus* de Doctorali eminentia, gradu, & excellentia, rem consideraret exactius, ad eam adspirare cœpit, sed deterruit eum via, modus, & examen, quo ad hæc ascēditur. Minus enim erat habilis. Quare amicitiam denuò mecum instaurabat *Novus Veterator*, ac ea, quæ sine numero mihi promiserat, multis verbis confirmabat, saltem in hoc Doctoratûs tentamine masculè illi assisterem. Ego huic homini ex animo omnia remisi, ac sinceram denuò familiaritatem cum eo colui. Unde, quidquid Librorum, Scriptorumq; ei defuit, subministravi; Examinis puncta tradidi, Objectiones, Casuum explicationes, resolutiones, modum Respondendi, edocui; infinitas penè curationes, aut casus, cum eo, repetitorio more, tractavi; verbo denique, nihil eorum prætermisi, quæ ad consequendam hanc dignitatem necessaria videbantur. Quo laborè tantum effeci, ut in æquilibrio eum servarem, dum per Pontem Doctorandus duceretur, ne in præceps ageretur: & factus, seu creatus est Doctor. Habito gradu, peperere tandem aliquando montes, qui diu parturiebant, &, ut solet fieri, natus est ridiculus mus: & *Tackenius* mihi falis Viperini volatilis, vel aliorum talium volatilium, fixationem communicavit, nudè, tersè, sine glossa, ambagibus, allegoriis, ænigmate, (*acidum informat alcali*) verbo denique, suo more, fidelissimè, uti aiebat. Sic igitur doctrina sonabat:

Accipe, inquit, *saltem volatilem Viperarum, communi modo paratum*, què dissolve in *Aqua simplicis* s. q. nec plus, nec minus affundendo, saltem ut in liquorem dissolvi possit. Hunc liquorè salinum infunde phialæ longissimi colli, ut tres partes maneant vacuæ; desuper affunde *Olei Tartari destillati fetidi*, ad altitudinem unius digiti circiter; clausam phialam superiùs probè, ne quid exspirare possit, in cineres colloca, & per mense, vel sex septimanas, in calore moderato, semper paulisper aucto, detine; & fixabitur sal volatilis, cum caloris sicci beneficio, tum etiam olei tartari, quod prohibet, ac impedit, ejus ascensum. Tandem ex phiala effusum salinum liquorem ab oleo separabis, filtrabis, vel clarificabis, ad & siccitatem reduces. Quis non crederet, aliquid veritatis subesse specioso huic Processui; qui hujus doctrinæ priùs non fecisset periculum, aut meo exemplo cautior esset redditus? Quis tam amicis blandimentis non annueret? Quis tam nudis, sine allegoria & ænigmate, (non sine mendacio tamen) verbis se ultrò non manciparet? Credidi ego, & deceptus sum, non obstante, quòd jurejurando confirmaverit perjurus. Abii proindè Ego illicò, & propriam, ad opus destinatum requisitam, fornacem, seu Athanorem, altæ turri eminentem, fabricavi: quò carbonibus refertò, octo, vel decem, diebus continuis, uti & noctibus, æqualem, & moderatum, servabam calorem; quem non solum unò mense, aut sex septimanis, sed ultra tres menses, constanter sic moderabar, ne meâ culpâ quid deficeret. Cum verò, elapsò tertio mense, calorem studiò non nihil augerem, ad experiendum, num alæ huic avi volatili ligatæ forent; mox cum fastidio perspexi, quòd eadem, quæ priùs, volatilitas perduraret. Indignatus fraudes, & imposturam, rem *novo Hippocr.* *Chymico* ore tenus, non scriptis, communicavi, adjunctâ humanâ postulatione, ne me falleret, & ex condicò in inanes expensas imponeret, atque labores. Ipse verò (ut solet hoc hominum genus) jurando ac pejerando in-

stitit;

stitit; non fore alium modum, quò salu huic volatilitas adimeretur, quàm hunc; non gravarer proinde, uno aut altero mense ignem continuare. Ego, licet prudenti jam conjecturâ de fixatione hâc desperarem, satisfacere tamen volui *Tackeni* voto, ne quid occurreret, quod excusationis in medium afferre posset. Quare non unò tantum mense, sed tribus, & medio adhuc, hunc laborem reassumpsi; sed, ut prius, irritò & vano conatu, perdurante eâdem volatilitate, ut ante solebat; nisi quòd *Oleum Tartari*, naturâ suâ crassum, adhuc crassius deprehenderetur. De quo *Oleo Tartari* differit *Idiota*, & *ridiculus Chymistaster*, quòd in *saponem* degeneraverit. Sed quo fundamento, & artis terminis, loquatur tam abulivè *ridiculus* hic *Blatero* de sapone suo, *insulsus Saponarius*, judicent Viri sapientissimi, & plausus dent *Blateroni*, ac mille cachinos; quòd ignorat, impossibile esse, nec in rerum naturâ, ut ex Oleis destillatis, & salibus volatilibus, sapo conficiatur. Vah! quàm temulentum est hoc cerebrum; quàm hirsutum ingenium *novi Hippocratis*. An non vides, quòd sal volatilis illicò avolaret in prima sui coctura, nec habeat vim & naturam abstersivam: uti etiam *Oleum* quoddam *destillatum* non habet eandem unctuositatem, prout *Olea expressa*. Non sunt imbuta *Olea destillata* sale terræ nitroso, prout *Olea expressa*; cujus beneficio cum alcalibus salibus congregi, misceri, ac uniri possint. Nec sales volatiles sunt alcalia, aut vim ullam abstersivam habent; nec lixivium ex illis abstersivum parari, aut unctuositas, seu pingvedo, illis ablui potest. Quare sibi habeat, ac reservet, *rudis* hic *saponarius Philosophus* saponem ex *Oleo Tartari* fœtido destillato, & sale volatili quodam, paratum: hòc ipse se abluat, donec tot infames maculas abstergat & eluat, mente deinceps, & experienciâ, cultior. Hæc per parenthesin, de miro Hippocrate: vos autem risum teneatis, Amici.

Nunc scæptum institutum prosequor. Postquam igitur comperi, quòd trabale mendacium, & imposturam, cum hac fixatione, mihi *ridiculus Cinislo* affixisset; patientia læsa in furorem verti cœpit. Quare austerioribus verbis hunc amicum tractandum censui, quem similibus ferè alloquebar: Vides, *Dn. Tackeni* (jam verò *Tackeni*) quàm sis falsus Amicus; quàm nulla observes amicitie jura, & sacras leges; quàm ingratus sis mortalium; quàm iniquè tot in te collata officia, & mutua obsequia, rependas & observes. Parum tibi erat, famam incidere; exiguum & leve, palam mentiri; nihil ducebas, fortunæ meæ, & progressibus, insidiari; & postliminiò semper deterior redditus, meo damno, sudoribus meis, meisq; expensis, experiri volebas, quod ignorabas, discere, quod nesciebas? Num scilicet sales volatiles sint per se fixandi, hoc dubitabas, hoc nunquam tentabas; interim nequitiòse me traducebas. Hæc Deo committo, reddet ipse ingratitude tuæ paria, vindex à tergo Deus, *Tackeni*. Hæc dum ampliori exegesi tibi exaggerarem, quid excusationis occurrit; quid pro innocua fama tua attulisti? Da gloriam Deo, & ediffere: buxo pallidior hæsitasti, deceptivos oculos demisisti, humeros attraxisti; verè juxta symbolum tuum dixisti: Sumus in mundo: & Cur fecisti? Hæc est vera historia de Viperino sale. Sic me Deus amet.

Progrediamur ulteriùs, & Acta *Novatoris*, & *recentissimi Hippocratis*, disquiramus, quantoperè nimirum hoc suo sale Viperino, & ejusdem fixandi modo, non solum Reformatorem, sed magnos etiam Principes, deluserit, ut suam celaret imposturam. Nam cum fama fallax pervolaret de *Tackenio*, quam præsentia postea minuit, & quamplurima, foris augusta, sed domi angusta, de *Ostione* nostro, apud Celsissimum Principem, Fridericum, Holsatiæ-



Sleswicensem, per Præconem ejus, Virum quidem Nobilem, D. Moltichen, percrebuisse; ad hunc Principem excitus, & evocatus, se contulit: ubi cum, peractis exiguis, uti sequitur, rebus, pro indole, & talentis, ferè nihil, dicto autem Celsissimo Principi, sapientissimo æquè, ac versatissimo Philosopho, & Chymico, nullam satisfactionem, in discursu, & opere ipso, dare potuisset; ad suum semper arcanorum complementum, salem scilicet Viperinum, confugit: cujus salis, tandem, fixandi præposterum modum, Celsissimo dicto Principi, ut saltem aliquid scire, & fecisse, videretur, sub Rosa, & silentio, pro magno secreto, communicavit; & quidem sequenti formâ, & formalibus, ipsum nimirum processum, Germanico; usum verò, & dosin, Latino Idiomate expressum concedidit: prout ex proprio ejusdem Manuscripto, de verbo ad verbum, puncto ad punctum, fideliter hic extracta & descripta sunt, uti sequuntur:

*Salis Viperini præparandi modus:*

Man nimt aufgetrucknete Vipern/zerstösset oder zerschneidet sie gröblich/ füllet damit eine Glas-retorta, und destilliret/ aus freyem Feuer/ in einen grossen Recipienten/ Salz/ Del/ und Wasser. Hier auf geußt man destillirt Regenwasser so viel/ daß das Salz darinn alles solviret werden kan: alsdann scheidet man das Del/ durch ein Gießpapier/ davon. Zu diesem klaren Liquori salso, geußt man/ tropffenweise/ so viel Spiritus Vitrioli, daß es nicht mehr aufstiehet: denn setzet man diesen Liquorem in gelinde wärme/ so scheiden sich viel feces heraus; denn coaguliret/ so bleibet das sal alcali volatile am boden/ wie ein ander sal acidum fixum, in suo gradu, doch unrein/ grau an farben/ welches frequenti coagulatione & solutione aufs höchste gereiniget werden muß/ bis es einem Demant gleich siehet. Dieses wird nun auf einem Marmor gerieben (nicht im metallischen mörser) zu einem subtilen pulver: den thut man hinzu noch so viel gereinigtes salis alcali fixi (es sey nun sal Tilia, Coryli, oder Tartari, gilt gleich) und fängt aus dem Sand an gelind zu destilliren/ in einen truckenen Recipienten/ so gehet/ mit gelindem Feuer/ das alcali volatile vorüber/ scharffes geruchs/ doch sonder gestank: dessen ursach ist/ weil das alcali fixum den spiritum acidum Vitrioli imbibiret; welchen zuvor das flüchtige alcali bey ihm verschlossen hielte.

*Alcali volatilis Viperini fixandi modus:*

Man nimt des salis volatilis 6. uncias, thut die in 15. unß Regenwasser/ welches nicht destilliret/ sondern durch reinen sand filtriret worden/ setzet das/ in einer wolvermachten phiol, ungefehr 3. monat/ in eine aschen digestion, alsdenn lassen sich sehen als Silberblätlein/ welches ein zeichen der fixität ist: dann coagulirt mans in gelinder wärme/ und behält es in wolvermachten gläsern/ daß keine lufft hinein kan/ sonst zergethet es/ und fleucht wieder in sein Chaos. &c.

*Virtus, Usus, & Dosis, salis Viperini, meæ præparationis: &c.*

Hujus medicamenti potentia non pariet illis admirationem, qui sciunt, plerumq; in natura, apud summum venenum, latere etiam medicinam efficacissimam, nam sigillum divinae bonitatis in operatione & virtute aliquatenus exprimere videtur.

Utimur singulo manè jejuno ventriculo. 2. 3. vel 4. grana lambendo scilicet ut paulatim liquefiat, eo, quod lingua sit similis apertæ pellis, & mox succedens saliva, quia medicamentosa deglutitur, ita permeat totum corpus, confortans humidum radicale, quod juxta Hippocratem morborum est medicatrix, purificat sanguinem ab omnibus impuritatibus, unde varii morbi oriri solent, consumit & exsiccat fluxus capitis, hinc senibus & pituitosis magnum est solamen. Tollit antiquam & recentem tussim, si quoties

Sal fixum.

quoties infestat gustetur, transit omnes venarum officinas; ac tandem, quia indigestibilis expellitur, per insensibilem transpirationem, in quo itinere quicquid praeclarum hoc Arcanum attingit sordium, dissolvit ac secum rapit. Vide Baldum Anglum de Admirabili viperarum Natura.

Sal fixum.

In febribus intermittentibus omnibus (praemissis praemittendis, (propinetur in ipsa horula ante paroxysmum, in Decocto hordei, l. Cichorei, stomacho vacuo, sudorq; preciciatur; repetatur Dosis (volatilis 4. s. grana. fixi dragma j. vel 60. grana) 3. vel 4. vicibus semper ante paroxysmum affatim febres tollit.

In continuis & aliis malignis porrigetur jejunò stomacho, & nisi per potum ejus actio inturbetur, plerumq; unica vice optatui satisfacit.

Fixum &amp; volatile.

Instante paroxismo podagrico, cui semper febris Diaria praecedit, utimur volatilis 20. grana, fixi 10. in aqua iwa arthetica & sudorem provocamus mirum quam citò combibit acidum humorem podagrae autorem & à paroxismo praeservat.

### Uſus externus, salis volatilis.

Hujus dragma una solvitur in aqua rosarum vel alia refrigerante uncia una & applicetur actu frigida cum linteo subtili saepius repetita podagra dolores sedat ita in ore detenta, confestim consopit dentium dolores; nisi sint erosi.

Tria circiter grana salis volatilis in uncia semis aquae pluviae soluta atq; oculorum angulis 3. quotidie instillata, Horum omnium vitia potentissim. tollit.

Sal volatile.

In Colica 5j. plus minusq; cum Clistere injecta dolorem miraculose levat, & alvum movet.

Summa omnibus in morbis magno cum fructu & agrotorum solamine utiliter adhiberi possumus.

Obturato vase cum cera quam diligentissimè asservari debet; alias in liquorem paulatim abit

Ottho Tackeni D.

Ex hoc processu, & manuscripto, Lector amice, perspice & agnosce impudicum Tackenum, quam fraudulenter tanto cum Principe egerit, parum sollicitus: Reges & Principes longas habere manus.

Si hunc Processum examinemus exactè, atque primum, destillandi Viperarum, modum, in Salem volatilem, Oleum foetidum, & similem Aquam; communis is est, & tritus, coincidirq; cum sale Cornu cervi, & quibuscunque aliis salibus volatilibus, ex animalibus eliciendis & destillandis, omnibus Pharmacopœis, eorumq; Tyronibus, notissimus. Si verò inspiciamus secundum laborem, saturationem nimirum salis volatilis Viperini, cum spiritu Vitrioli; hoc artificium à Reformatore habet, & mutuatus est: prout ex historiâ, paulò superius, patet. Et hoc est, quod olim ignorabat Tackenius, & adeò mirabatur, cum Reformatore ipsi primum revelaret, in hac, super illâ re, erumpenti verba: HOC NON PUTASSEM. Hoc est, inquam, quod in hoc suo libello tot querimonias & vituperia ipsi expressit; hic nimirum sal Viperinus, spiritibus acidis saturatus, quem, spiritu contradictionis, & congenitâ inconstantiâ, mox salem Armoniacum, omnem ejus similitudinem & proprietates habentem; mox salem vulgarem & communem, annexis compluribus sarcasmis & vituperiis, nequiter culpat & vituperat, nec non Reformatorem, hujus Authorem, (qui tamen dexteriori viâ, & methodo, spiritu nimirum saluberrimo, salis hanc aliqualem fixationem, aut saturationem salis Viperini, obire docuit) multiplicatis convitiis taxat & suggillat. Interim hunc ipsum salem, aut salis hujus volatilis imprægnationem, aut saturationem, spiritibus acidis obtinendam, in terminis, tanto Principi, pro arcanorum arcano, superciliosè concredidit, alienis plumis luxurians, Cornicula. Sed ut, ignobilium feraù ritu, omnia everteret, obscuraq; & invia redderet; jubet, in hoc Processu, salem Viperinum, spiritu Vitrioli saturatù, cum salis Coryli, Tiliæ, (ridete speciosum conamè!) vel Tartari,



duplâ quantitate unire, & destillationis ope, ex arena, salem volatilẽ Viperinũ denuò extrahere, acido spir. Vitrioli, cui colligatus erat, aut quo cum saturatus, sal Viperinus volatilis, cum sale Tartari in residuo manente. Sed heus, *mysteriose Chymice*, cur hunc laborẽ, saturationẽ nimirũ salis Viperini, cum spir. Vitrioli suscepisti, si, hoc non obstante, sal volatilis Viperinus aliâ via, & methodo, fixari debet; prout ex processu constat? Dicis quidem, quòd sic sal volatilis Viperinus transeat, acuti odoris, sed absq; foetore. At falsum asseris, *Tackeni*. Nam eundem servat odorem, & saporem acutum, urinosum, sal volatilis Viperinus, post suam saturationem, & reiteratam extractionem, beneficio salis Tartari, quem habuit prius, per se legitimè destillatus, ab oleo foetido, & aquâ, empyrevma spirante, separatus, ac pro debito per sublimationẽ rectificatus. Hanc meam doctrinam è propriis tuis eruo verbis, ac te simul convinco; dum, *in opusculo tuo*, asseris, quòd, si sal Viperinus *Reformatoris*, spiritu salis saturatus, cum sale Tartari fixo permistus, destilletur, idem sal Viperinus volatilis iterum transeat, ac prius erat. Cur igitur Entia hic multiplicas, ambages quæris, labores fingis, Principem hunc Celsissimum desudis, ac, sciens volens, ab umbris majestatem tibi sollicitas? Sequitur igitur infallibili cõsequentia, quòd hic, fixandi salis volatilis Viperini, modus, Celsissimo Principi communicatus, cum eò coincidat & concordet, quẽ fraudulentè olim *Reformatori* obtrusisti, & quidem speciosâ magis metaphorâ, superaffusione nimirum Olei destillati Tartari, ne tam facili negotio fixando ascenderet. Ut sic, multiplici affectu in te collata beneficia unâ hâc compenlares imposturâ. Hic enim Processus, quòd falsus ac nugatori, sit, ipsâ Praxi & Experimentiâ teste, nunc palàm cõfiteri cogueris; quem, pro vertigine tua, demens & hirsutum cerebrum tuum suggestit, ut incautos falleres, arcana à te sollicitantes callidè traduceres & arceres, & uti tritâ dicitur paræmiâ, *Capram simul sal vares, & caules*. Ast infelici sydere navigationẽ instituisti, infausto asterismo velâ votis & mendaciis tuis dedisti, incidisti in Scyllam, dùm Charybdim metuisti: non in socordem incidisti, & veterinosum, aut in *Tackeniũ* aliquem, cui illic *omnia sunt operosa*; sed in Reformatorem, nullos labores fugientem, iisvè domabilem, imò sedulum & curiosum, vestigiis tuis (vulpecula) ritè inhxerentem, concreditũ & ementitũ processum tuum, ad literam, longanimi patientiâ, non solum trium, sed & septem, mensium spatio, elaborantem, ignis moderamine, ad fixationem hanc requisito, anxie observato. Unde mirum non est, post tot scrutinia, & arcanas inquisitiones, palàm apparuisse, te *Orbis Impostorem* esse, & *nugacem Blateronem*, qui Principibus & Imis, Amicis & Extraneis, imponas, in fraudes natus, & ad fallendum educatus. Sed mento iterum, *Tackeni*, quæ ulterius, in opusculo hoc tuo, scribilles, nimirum: *Te nunquã clariùs de sale tuo Viperino tractasse, aut clariora ulli revelasse, quàm hoc loco & Tractatu*. Sed quid, obsecro, crebrius, quid aliud, doces in *antiquissimis salis* hujus *Viperini fundamentis*, novâ hyperbole, quàm: *Acidum informat alcali*? In hâc autem fraudibus abominabili, & falsâ, salis Viperini fixandi methodo *acidum* non *informat alcali*; sed solum ais: salem volatilem Viperinum, aquâ solutum, fixari trium mensium spatio, in calore sicco cinerum detentum. Verum hoc est, contra naturam salium volatilium, in praxi, falsum, & sesquipedale mendaciũ: prout eventus *Reformatorem*, longâ & læsâ patientiâ, edocuit.

Sed iterum *acidum* maximè *informat alcali*, in hoc tuo Processu ridiculo, & falso, quando salem Viperinum volatilem spiritui Vitrioli jungis; & sicut *Reformatore*, id perfici Spiritu salis, docet, aliquo modo saltem, sed non totaliter, à fuga coërces. Hunc autem salem Viperarum, acidis spiritibus sociatum, tu toties exhibilas, & spernis, nil aliud esse, nisi salem communem; esse item salem Armoniacum, omnes ejus proprietates habentem, & complura similia scurrilia, contra *Reformatorem*, sustinens. Quod igitur, in hoc tuo Processu, *Falsator*, semel statuis, & doces; iteratò, in *alcalino opusculo tuo*, reprobare, & negare, nõ te pudet.

puget. Sic omnia falsa, omnia vertiginosa sunt, & contradictoria. Quod enim jam ratum habes, mox, pro libidine & lubitu tuo, impudenter reprobas, & vituperas, totique mundo hisce imposturis illudis.

Ad quid, porrò, illa saturatio salis Viperini volatilis cum spiritu Vitrioli? Dic, amabo! Si salem volatilem Viperinum, beneficio salis Tartari, aut Coryli, vel Tiliæ, (ridete) iterum liberas, volatilitati pristinae iterum restituis, pro verâ, uti putas, & ultimata fixatione, trium mensium spatio? Idem enim sal volatilis Viperinus, eadem volatilitate, odore & sapore acuto, urinoso, elicitur, qui antea erat, ante ejus saturationem. Nihil enim hæc saturatio cum spiritibus acidis, & iterata salis extractio, conferre potest ad hanc fraudulentam & imaginariam tuam salis Viperini fixationem, etiam si per integrum annum in hoc calore detineres. At voluisti fortè, per hanc salis Viperini volatilis saturationem cum spiritu Vitrioli, & extractionem ejus, beneficio salis Tartari, salem Viperinum volatilem reddere? Hoc autem leviori negotio, unicâ rectificatione, aut repetitâ sublimatione, in phiala, dextraque separatione ab oleo suo foetido, fieri potest. Non igitur hæc saturatione cum spiritu Vitrioli, & iteratâ separatione cum sale Tartari, Tiliæ, aut Coryli, egebat. Vides igitur, fraudulente Vir, & callide negotiator, *Tackeni*, quantum emolumentum imposturæ tuæ, & præmeditata mendacia, trabalesque hyperbolæ, cum mihi, cum celsissimo Principi, prolatae, per Processus decursum, quò deliria tua, & insomnia, nobis affricare tentasti, aaceriverint, risum, nimirum, & cachinnos, quibus Te universus Literatus Orbis prosequitur, & in futurum comitabitur. Et verò, quod stipendii genus, *Tackeni*, quod encomion, & fidem, à Celsissimo Principe retulisti, per benè merita tua, & adulterini Processus communicationem? Edissere, quod est vero simile. Quantum non molitus es, ut D. *Wenglerum*, Virum probum & expertum, p. t. laborantis munere, apud Celsissimum Principem, fungentem, subrueres, & Laboratorio exturbares? Quot scommatibus hunc Virum, & convitiis, in Convivio quodam tractasti, justâ Principis indignatione. Acheronta denique movisti, ut in Laboratorium Te insinuares, suffragia undique collegisti, arcanissima quæque promisisti, novâ fraude, & audaciâ, per Præconem tuum, Dn. à Moltichen, Celsissimo Principi. At pro reverentiâ tuâ exauditus non es; Sophistam jam dum te novit Celsissimus Princeps, imposturas expertus, fraudes tuas indignatus est. Tàm gratus accidisti, ut etiam Laboratorium tibi præclusum fuerit, hospiti importuno, à quo, ut se Aula expediret maturius, gratiosè dimissus es, omnium unanimi voto. Sed, velut Regulus, & Stellio, Aulas iterum ambivisti, novos Tibi conciliasti fucos, alienâ infamia fidem, Philosophi nomen, Chymici prærogativas, comparare tentasti, & fumosam illam Epistolam, de *Liquore famoso Alcahest*, meditatus es; sed revertente vindictâ in caput tuum, & in propriam infamiam redundante scelere. Unde enim gratiam Celsissimi Principis tibi promiseras, indignationem tibi, & adversum vultum, conciliasti: sic semper *consilium malum consultori pessimum*. Hæc autem, quæ adduco, vera esse, gratiâ tanti Principis nimirum te excidisse, *Tackeni*, audi Literas Celsissimi hujus Principis, Italiam versus missas: quas invenies impressas in *Vindiciis Celeberrimi Viri, Helvici Dieterici, Archiatri Elector. Brandenburgici, pag. 23.* quæ ita sonant:

*Fridericus, Dei Gratia, Heres Norvvegiae,  
Dux Slesvici Holsatiae.*

**S**alutem & Clementiam nostram, singulariter Nobis dilectæ ac fidelis, Consiliarie.  
De D. Ottone Tackenio, quæ non debita submissione nobis relata sunt, tibi non potui-  
mus



mus non hisce significare: quippe qui non veretur quorundam ministrorum nostrorum, interq; eos præcipue D. Helvici Dieterici, famam atq; existimationem illibatam variis calumniis injurijsq; chartis sugillare; eâ maxime de causâ, quod illius huc transmissæ literæ de Alcahest publici juris sint factæ. Verum, cum non appareat, quâ de causâ tam moleste ferat istarum editionem, quam ipse per literas suas, uti clarè ex his constat, sæpè expetiit; inclementi animo illius minime licitum propositum accepimus, non intermissuri, ministros nostros in iusta causâ tueri ac defendere. Interea loci tibi hoc demandamus, ut certò quodam in loco D. Tackenium convenias, aut, si fortè ille nimis dissitus sit, per literas illicita illius ausa illi proponas, & admoneas hominem, ne pergat vel publicè vel privatim ita calumniari, ac maledicere: adhibita comminatione, ni desinat; Nos aliis mediis, ipsi fortè minus proficiis, contra illum usuros. Hâc in re implebitur Clementissima nostra voluntas, quâ ipsâ & Nos tibi manemus clementissime addicti. Dabantur in Arce nostra Cottorpii: Die 25. Octob. Anno 1652.

Fridericus.

### Inscriptio.

*Honesto nostro Consiliario, & Dilectissimi Filii nostri Aula-Magistro, singulariter Nobis dilecto ac fideli, Levino Nicolao à Moltichen.*

**H**æ sunt, Tackeni, illustres ceræ, & famosa monumenta, nova & vetera acta tua, quæ graphycète describunt. Mi Tackeni! non est tam efficax probatio, & demonstratio, quàm ubi quis propriis convincitur verbis; prout iteratò tibi, per decursum, accidit. Quis igitur succenseat Magno Viro, Helvico Dieterico, in commendationem præfatæ tuæ Epistolæ, de famoso liquore Alcahest, commentanti, dum ait: *Philosophus mansisses, si tacuisses, TACKENI!* Sed multa in vanum, & maledicus, garriebas, ut loquela te manifestum faceret. Sic iterum inquit: *TACENUS si esses, tacuisses fortè; sed quia TACKENUS es, garrire tuam ineptiam & ignorantiam, aliorum verò aptitudinem atq; scientiam Theonino tuo dente rodere, digitoq; ineptissimo tangere maluisti.* Quid verius his dici potest? pag. 24. Vindic. Helvv. Dieter.

Amplius aliquid dicam, & quod experientia propria mihi suggessit; ut ex magno experimentorum & observationum cumulo Hippocratis Chymici, ut ipse, pag. 5. lin. 23. loquitur, non nihil eruerem. Dum adhuc Patavii noster Hippocrates Chymicus floreret, monstravit is quibusdam doctissimis Studiofis, præcipue verò Excellentissimo Sennerto, singulari virtute ac doctrinâ prædito Viro, materiam Talcum similem, in aprico verò, seu aëre, resolubilem in liquorem, & aquam velut viscosam, quasi genuinum & naturale Talcum fuisset, pro quo etiam venditabat. Hujus mihi copia facta fuit à Doctissimo Sennerto, nec aliud & mihi videbatur, quàm verum Talcum. Et, ut verum fatear, ego, & complures, rem hanc haud parum appretiavimus; & secreti loco habebamus, Talcum, rem fixissimam, ita resolvi posse, redundante gloriâ & famâ in autorem, Hippocr. Chymicum, qui hos fumos etiam libenter odorabatur. Accidit autem, in continuis laboribus, irrequieto me, & indefesso, nec non in scrutinio naturæ occupato, dum, ita forte ferente, ex Tartaro varios instituissem labores, & Vini principia segregata ac purificata redunire tentassem, ut ignis, substratus cuidam Alembico, in arenâ locato, paulò violentius, me absente, adurgeretur. Domum redux, materiam, in Alembico contentam, ad instar oleosi liquoris, liquatam, sine fumo, absque strepitu, deprehendi. Rem miratus, illicò suppositum ignem removi, ac, omnia ut paulatim frigescerent, procuravi. Excepto postmodum Alembico vitreo, massam in eo contentam, quæ argenti splendorem, vel argentum fusum, æmula-

mulabatur, denuò aliquo liquore dissolvere nolebam. Fractâ proinde cucurbitâ vitreâ, massam integram eximebam; quâ per medium & frustulatim divisâ, terra illa foliata, de qua obscure saltem noster *Hippocrates Chymicus*, in hoc Opusculo, & cautè, loquitur, uno verbo, *Talcum* hoc *artificiale*, at quod pro *Talco resolvable* Tackeni haftenus Ego, & plurimi Doctissimi Viri studiosi, tenebamus, sic ab eo persuasi, in conspectum venit. Super hac re gavisus sum, non, quòd magna adeptus fuerim, sed quòd veritas mihi elucescere cœperit, quam etiam D. Studiosis revelare possem; quâ nimirum ratione dictum *artificiale Talcum*, non *verum* sit *Talcum*, ut neque *ex Talco*, sed *ex Vino, sal essentialis*. Quo cognito, nonnihil denuò Icaro, & novo *Hippocrati*, cereæ ventorum alæ, & fama, labascere visæ: Zwelferus verò in sublime magis ferebatur. Interim dictus *Hippocrates novus*, nescio quibus negotiis stimulatus, Venetiis, jam quò se contulerat, ibique eo tempore degebat, Patavium rediit, ac me invisere dignatus est: quem denuò, sine supercilio, humaniter excepi. Venit autem aptissimè *Lupus in fabula*, eò nimirum tempore, ac horâ, quâ hunc salelem tractabam, ac manibus adhuc continebam. Quare spectandum ei exhibui hoc *Talcum*, verbis sequentibus: Nostine, Dne. Doctor *Tackeni*, quid sibi hoc velit? Ille è contra, paucis verbis, ait: Si scis benè, tacebis. Ex me, replicabam, & mea experienciâ, non informatione tuâ, habeo. Aliud enim non animadvertēbam à dicto *Hippocrate Chymico*, quotiescunque ipsum conveneram, nisi quòd continuus esset, in destillando aceto Vini; ac etiam salelem Armoniacum, & Tartarum, ejusque salelem, sine fine tractaret: quia hi erant *molliculi casci* Tackeni; quemadmodum ipse loquitur. His pauculis, inter nos, verbis fufis, levior uno secreto, *Hippocrates novus*, mysteria portans Venetias denuò concessit. Ego verò hunc salelem essentialē ulteriùs elaboravi, addendo illi artificiosè salelem Viperinum volatilem, ut ulteriùs essentificaretur, ac odorem quasi virtutis ab eo sale mutaretur; quem etiam haud exiguis viribus dotatum reperi, in resolvendis & aperienti obstructionibus, abstergendis & attenuandis crassis viscosisque humoribus, tanquam digestivum universale, antipodagricum & antihypochondriacum nobile remedium: adeò, ut et virtutibus, & efficacîâ, nec non externâ specie, tanquam ovum Ovo, sali Viperino *Hippocratis* nostri *Chymici*, hic sal essentialis simillimus sit. Nolim tamen ego tanto Viro, *Hippocrati*, aliquid derogare, aut famæ ejus famosissimæ quidvis officere. Ipse secum deliberet, an veritati consona sint, ac ipse sibi conscius eorum, quæ Doctissimi & Celeberrimi Viri, de *Impostura* hujus *salis Viperini Tackeniani*, publicè impressis Epistolis, sensere & vulgavere: inter quos est D. D. Glassius, in hunc modum scribens: Porro *Tackeni* Epistola ad nos non pervenit, nec quicquam mihi de hoc homine innotuit, nisi quod ex quorundam literis, & fama *salis Viperini* venalis, habeo, quod apud Aromaturios Vestros prostat, & ante biennium Langermannus Vester mihi Lipsiæ, sed sigillo Tackeniano munitum, monstravit: cujus aliquot uncias cum Illustri Baro Rutenus nuper Venetiis adferri curasset, mihiq; copiam ejusdem faceret; primo statim intuitu, & gustu, deprehendi, esse illud medicamentum, quod D. D. Fabricius Bartholetus, Medicus & Professor Mantuanus, p. m. ante triginta ferè annos, mecum communicavit: proximè enim accedit ad vires *Salis Tartari* volatilis, Viperini autem ne tantillum quidem continet. Calumnias, & contumelias, quas, scribis, ab hoc homine tibi illatas, ut equo fortiq; animo perferas, velim. Neque enim splendori tuo ullam inde labem, aut maculam, adspergi posse, mecum omnes, qui te norant, VERI BONI, estimabunt. Quis



*allatranti cani, Vir prudens, oblatrabit unquam, aut asino calcitranti recalcitrat bit? Hicce vale, amicorum optime, & me amare perge. Dabam Gota, XXVII. Decembris, M DC LIV.*

*T. Balthasar Glasius D.*

Inscriptio:

*Nobili, Clarissimo Excellentissimoq; Viro, Dn. Helvico Dieterico,  
U. Med. Doctori, Archiatro Electorali Brandenburgico,  
Amico meo Veteri;*

*Hamburgi.*

**P**Lurimas, hujus tenoris, Epistolas hîc annectere possem, Clarissim. Medicorum; verum, ne Apologia hæc, vi exorta, limites suos, ac dimensionem, excedat, vela contraho. Ex quibus omnibus, Corollarii loco, tamen & hoc notandû, quantopere *novæ* huic Hippocrati negotium hoc displicuerit, quod *Reformator*, nullâ spe lucri, aut proprii emolumenti, secretum hoc communis juris nonnihil fecit, contra aphorismum Tackenianum, interminis docentem: Secreta non esse revelanda, nisi sub involucris & allegoriis; quò facilius quæstui, & insatiabili lucro, subservirent. Tamen enim avaro deest, quod habet, quàm quod non habet. Accedit secundo & alterum, quod rabiem hujus *novelli Hippocratis* exasperat; nimirum, quod *Reformator*, in suis *Animadversionibus*, pag. 277. editionis *Norica*, scripsit: aliam non esse, falis Viperini extrahendi, & fixandi, viam: &, licet plurimi de secretioribus modis multum gloriantur; impedire tamen fucum, & imposturam, quò minùs istos ulli ingenuè communicare, & publici juris facere, audeant, ne ex postfacto usura & dolus elucescant. Et hic erat Achilles, quo omnia Hippocratis argumenta expugnaveram. His machinis corruit & contabuit *Zoilus*. Cor enim fauciveram ei, & vitalia, dum has fraudes nonnihil saltem detexi. Et verò, si, quod à parte rei est, edisseram, non militabat hic textus Animadversionum mearum contra Tackenium; cum hæc impostura, & falis Viperini adulteratio, longè ante Hippocratis Chymici ætatem, in usu fuerit, & perpetrata: uti & in *meis* dictis *Animadversionibus*, pag. 275. & paulò antè, demonstravi; quòd nimirum hic subrepticus Viperinus fal, ante annos triginta, & ultra, multis Magnatibus Viennæ, & alibi, oblatus sit; cujus technas & imposturas illo tempore revelavi. Cur autem Tackenius his læsus sit, & succenseat *Reformatori*, aliam causam nescio, nisi quòd *Veritas odium parit*: ac quia sibi hoc vulnus, & ignominiam, appropriavit ultrò, ipse viderit. Forfan *culpa redarguit ipsum*: juxta, tritum illud Tevtonicum: *Wann man einen brügel unter die hund wirfft/ so schreyet nur der allein/ welchen man getroffen.* Et quanquam hanc Viperam non irritaverim, neque ullibi vel jota extet, quò contra eum quicquam scripserim: usque adeò nihilominus virus suum in me revomuit, ut vix calumniæ & injuriæ ipsi sufficientes suppetant, quibus me falsò aspergat. Quid mirum igitur, si & patientiâ meâ, tot, toties ab ipso læsâ, in furorem tandem versâ, vim vi, injurias injuriis, & calumnias calumniis, retudi, ac vindictam sumpsi. Sed nec artis, nec ingenii est, sarcasmos, & mille scommata meditari: in quibus tamen tota *Novi Hippocratis*, & *Pseudoscriptoris* mercenarii, ars ac talentum hætenus occupatum est; ut, jure meritissimo, ejus doctrinam Hippocraticam fasciculum calumniarum, & convitiarum epito-

epitomen, insignire possim. Et licet à Viris doctis severa monita acceperit, ne calumniosæ linguæ in tantum fræna, & habenas laxaret; prout in quadam Epistola ipsius *Echo* manifestum fit; nec non in sua *Epistola*, quam, Parænesis instar, Opusculo suo præfixit, iteratò promittat, ab injuriis & convitiis labia sua velle vindicare: pejora tamen prioribus præstitit, mendaciâq; & calumnias multiplicavit. Quas tamen, quantas quantas nunc effutit, omnes & singulas in sinum nequissimum ejus retorqueo. Nutriat ac custodiat eas *callidissimus Veterator*, & *tantorum scelerum Pater*. Narrat præterea exemplum, æmulatione dignum, *Calumniator* hic, in *Dedicatoria* hujus Opusculi: quòd nimirum Celsissimo Principi Brunsvicensi Epistola quædam fuerit oblata, quâ, sine dubio, condignæ *Tackenii* laudes, & elogia meritissima graphycè descripta sint; Principem tamen indignatum huic fuisse, asserit. Cur igitur tu, *Hippocrates novelle*, cûr tu, *rustica progenies*, nescis habere modum? Cur à sangvine hoc nobili mores civiles & illustres non hausisti? Cur non dedignaris calumnias; cûm videas, Principum & Regum esse, suum cuique honorem tribuere, & famam ampliare? Sed animum despondeo, quòd possis & tu arbor esse,

Seris factura nepotibus umbram.

Nam, ut Tullius, pro Publio, inquit: *qui semel Scurra, nunquam Pater familiaris*. Mirumque foret, fortiter ac laudabiliter aliquid dici posse, ab homine molliciem professò: teste Seneca, *Epist. 53*. Tu in Mephyti tua, & lingyæ spurcitiis, consenesces & contabesces: *consuetudo enim altera natura*. Perge igitur, Herostrati imitator, ac strenuè æmulator, succende Orbis miracula, dirue Augusta Dianæ Ephesiæ Tempia, ut famam & æternam gloriam his meritis consequare. Et quid evertis aliud, dum hominem proterere studes, quàm miraculum miraculorum Tvmaturgi Dei; attestante hoc totâ Philosophorum turba? Quid aliud homo, nisi templum Dei; teste doctore Gentium, Paulo? Perge igitur, quò te tua convitiandi libido trahit, quò te citat: neque dubita, quin paribus præmiabere muneribus, quibus sacrilegus olim, Herostratus, donatus fuit; qui ejus gesta & hortamenta strenuè sectaris: per scelera nimirum famam aucupando. Olim, Herostrati nomen proferre, aut Annalibus inferere, poenâ capitis cautum erat: cave, ne & tuum nomen de libro vitæ deleatur. Detractores enim Deo odiosi.

Ad textum *Tackenianum* pedem referò, in quo iterum contra Reformatorem furit ac stridet, & pro imposturæ suæ tegumento, fingit, impostores in causâ esse, quò minùs salem Viperarum ulli ingenuè communicare audeat; suorum denuò & propositi, & verborum, immemor, quibus, in Proœmio, & Opusculi decursu, iteratò pollicitus fuit, *novissimi salis Viperini antiquissima fundamenta* publici juris velle facere: cûm tamen in Tractatu de eo ne quidem somniarit. Pag. igitur 4. lin. 6. sic ait: *Nam quicquid medicos olim, laboris amantes illustres reddidit, illud ipsum impostores dolosè adulterant; hos timuit meus Hippocrates, ea de causa, medicamentum antipestilentiale, quo cum divinos sibi acquisivit honores, subticuit*. Mira iterum & arcana scilicet tractat noster *novellus Hippocrates*. Notate, Viri Illustres & Sapientissimi, ut se iterum hic malus Genius in Angelum lucis transfigurat; hic Proteus differentes assumit ideas. Est enim consuetum ignobili huic sectæ, ut, quùm propriis diffidant virtutibus, aliena arripiant merita. Sic *novus* noster *Chymia Præses* Divini senis se cohonestat prærogativis, cûm eum *Suum Hippocratem* vocat, societatis, & Duum-Viratus jure; dumque suam meus *Tackennius* magni Coi doctrinæ per omnia conformem esse, ac familiarem, putat: cûm tamen omnibus pateat, quòd ex Hippocrate parum, aut nihil, intelligat hæc *Simia*, omnia æmulans, quia tam absurdè textus Hippocratis citat,



& ferè ex solo libro 1. de diata, tam ineptè, infulsè, & inappositè applicat suo proposito, ut ridere sit potius hominis ludicros conatùs, quàm indignari. Et hic tamen Hippocratem familiarem suum & asseclam vocat. Non, *Tackeni*, non ! Magnum inter te, & Hippocratem, intercedit Chaos; ac tantum ab Hippocrate distas, quantum mulus ab Equo, aut Lux à tenebris. Quamquam videamus, quâ ratione etiam illos, quos Suos vocat, tractare solitus sit, homo, dum vix tria verba, vix illud, *meus Hippocrates*, absolverat, & ecce ! jam immane figmentum ac mendacium Hippocrati affingit; dum eum invidia arguit, virum charitate tam præfulgidum; & medicamentum antipestilentiale, quo divinos, in Græcia, nactus honores, subtrixisse, asserit. Mentiris, *Tackeni*. (aptius mihi non occurrit verbum) Mentiris, eum subtrixisse hanc Panacæam: alia erant illa sæcula, homines meliores frugi; non celabant remedia & experientias, sed publicè, Anathematis loco, ad aras & delubra suspendebant, adjectâ fusâ, clarâ, & dilucidâ inscriptione, quò, ac quali remedii genere Dii propitii pristinam huic vel illi sanitatem indulserint. Non erat illius ævi mos, nec audiebatur illud *Impostoris*: Si scis, benè tacebis. Minimè: sed, si nescis, benè informabo, fideliter communicabo, charitatem exhibebo. Ita, mi *Zoile*, procedebat Antiquitas. Deinde non legisti, ex Præceptore tuo magno, Helmontio, *Tackeni*, quæ scribit in *Tumulo Pestis*? Nonne clarè Hippocratis Cui remedia Antipestilentia tradit, ac demonstrat, quàm simplicibus, quàm obviis remediis, quàm paratu facillimis, mira, incredibilia, divina egerit, ad invidiam & confusionem secretorum alcalium, novissimi Salis Viperini, molliculorum caseorum *novi Hippocratis*, & plurium quisquiliarum *Tackeni*: quæ aliud non sunt, quàm confusum Chaos, simplicium ac efficacium pharmacorum interitus, Medici & Aegrorum opprobrium atque excidium. Nihil igitur timuit tuus Hippocrates, quin Panacæam suam nobis revelaret, nisi te forsân, & plures, hujus farinae, pyratas, ac prædones secretorum, qui omnia abscondunt, omnia publica bona privato suo quæstui suffurantur, & luci eripiunt, *nequissimi Tenebriones*, quò felicius genio suo indulgere queant.

Porro, *Paracelsum timuisse Impostores*, lin. 4. pag. 17. habet, quò minus sua secreta nobis communicarit: &c. qui insaziabilia corporis contagia, mirificâ arte sustulit, ut sonat Epitaphium; quod Salisburgi in Nosocomio: &c.

Advertis denuò, *Tackeni*, quòd calidum & frigidum uno ore & buccâ effles? Quòd vera & falsa audacter misceas? An non occurrit tibi amplius, quòd, multorum secretorum conscium, Theophrastum acriter suggillaveris, quòd plurima hyperbolica scripserit? & hic denuò, ut tuæ nequitiae larvam, & velamen, indueres, quasi & tu mirificâ arte multa curare nosses, & secreta, seu mysteria, tot nimirum onera, portares, quæ nulli revelanda, more Hippocratis, & Paracelsi, eum colludas: ut sonat ejus Epitaphium Salisburgi: &c. Hoc ipsum posthumum elogium Venerandi Præfulis, quod piis Theophrasti manibus posuit, est argumentum contra te detractorem; ut meliora de hoc Viro sentias imposterum, & mortuis parcas: quod & Pagani observarunt. Tu quidem Elogia, & Epitaphia, antea actæ laudabili vitæ perpetua monumenta, parùm observas: quamquam, ut supra notavi, jam tibi vivo Epitaphium inscripserint totius Europæ Universitates, & doctissimi Viri, vitæ antea actæ, & moribus, conforme. Et, nisi melior evadas, metuo, ne, post funera tua, generosus, olim, Stephani, Regis Poloniæ, Equus, cui Epicedion, & Rhythmos, composuit Doctissimus Vir, *Daniel Hermannus*, ultimo versu,

Huic statua erecta est monumentum testis equini:

ne,

ne, inquam, Regis Equus laudabilius mereatur Epitaphium : aut Xantippi Canis, quem in Promontorio sepelivit, locumque Cynossema, seu Canis monumentum, appellavit, splendidius obtineat Elogium, quam tibi haecenus promeritus es vivendo & calumniando. Lege de hoc Epitaphio Philipp. Camerarium, *Centur. 1. cap. 21.* ubi versus praedictos citat.

*Lazarum Riverium nostris temporibus timuisse imposturam, unde suum Febrifugum sub metaphora ediderit, falsum est.* Nam plurimis amicis, & familiaribus, illud concedidit, nec impostura prohibuit, quò minus ulli mortaliu ingenuè communicaret : sed palam quòd non impresserit, Harpyias, rapaces, impostores, secretorum falsarios, Te demum, *Tackeni*, timuit. Neque enim tu, caseum tuum molliculum in foro divendi, haecenus voluisti, nec ulli mortaliu unquam communicare. Quid times ? Cur *Riverius* sua communis juris, & omnibus palam facere debuisset, qui majora possedit ? Verum Oedipuses, & sagacissimus Molossus, qui à longè olfacis & odoraris omnia; prout in *Opusculo tuo* nobis imponis : & Febrifugum illud *Riverii* indigitare attentas; cujus tibi copia tamen non fuit haecenus.

Procedit novissimus Hippocrates, & ait, prudentissimè *Helmontium* abscondisse liquorem *Alkahest*, qui tamen ab impostoribus tutus non sit, quin pro eo, à reformatore acetum substituat. Heus, fodes, *Tackeni*, nondum dextrè mentiri didicisti. Nam mendacem oportet esse memorem ; in quo puncto tu cespitas, & deficis. Recordare, & memento tui, falsissime Hippocrates, qui hîc *Helmontium* laudas & extollis, quòd absconderit secretum maximum, & liquorem *Alkahest* ; & Libello tuo, seu *Epistola*, de famoso liquore *Alkahest*, hunc Virum circumvenis, cavillandoque multis convitiis incessis ; ejus secretum, scilicet hunc dictum liquorem, Non ens, (quod idem, ac *Chimæra*, & res in concavo *Lunæ* est) appellando. Verba tua formalia denuò subjungo : facile, inquis, credulus *Helmontius*, quæ scripsit non intellexit. Verum non deprehendi quod scripsit *Helmontius* de sale *Spiritus Vini*. Neque hoc verum est quod *Helmont.* scribit, quod *Spiritus* seu *Oleum Vitrioli* attactu *Mercurii* degeneret in alumen (& hoc tamen iterum verum esse, asseris ipse, in fine hujus libelli.) Plurima in *Helmontio* cum animi aversione, ad nauseam usque examinavi, ubique perspexi, quòd, in somniis, citra experientiam, nimiam fidem adscripsit. Ex his tuis propriis verbis ipse conspicias, *Tackeni*, quàm iniquus *Thraeo* sis, homo versipellis & inconstans, monstrum humane conversationis ; quòd eum, quem usque in cælum paulò antè extulisti, secundum vertiginem tuam, ad ima, & *Tartara*, illicò præcipitare studes. Quæ de Aceto, quod Reformator, loco *Alkahest*, substituerit, superius finxisti, alteri occasione reservo decidendum ; in eum nimirum locum rejiciendo, ubi pluribus, mendaciis tuis, de spiritu *Veneris*, satisfactus sum.

Audiamus ulterius nostrum recens inauguratum Hippocratem, in pompa procedentem, pag. 5. lin. 15. Unde non sine causa timidulus, ne præ torpore, & ignavia mea ad impostorum manus dimanaret, abscondi haecenus quod medicum nobilitat, & præcipue, ne dignus atque indignus eandem subiret sortem importunam autem reformatoris efflagitatio (*pharm. 487.*) effecit, ut ex magno experimentorum & observationum mearum cumulo ex cerperem, quæ (ut dicitur) mihi canerem, in quæ meum ipsius usum destinaram ; ad publicam utilitatem nunc profero. Et iterum, pag. 7. lin. 12. Huc ergo adeste veritatis amatores, vos admiranda & jucunda vestris oculis aspicietis, & manibus tractabitis, quæ absconsa, & occulta à sensibus & cognitione haecenus steterè.

Quæ causa, quòd, timidulus, (nequiculus, dicere debebas) absconderis haecenus, quæ Medicum nobilitant, *Tackeni* ? Ut quid lucem fugiebat fœtus tuus, si Solaris, si Aquilinus fuit ? Ut quid abscondebas, si proprius erat, & non



furtivus? Ut quid timidulus trepidabas, (homo cæteroquin non tam audax, quàm temerarius) & umbras somniabas, nisi quia fugit impius, nemine persequente? Abscondisti, fateor, hæctenus, quæ Medicum nobilitant, utpotè, homo facinorosus, opprobrium Medicorum, & ludibrium Artis nostræ; in quo nihil honestum & iustum, nihil decens, emicat. Non scientiam, & Medici redhonestamentum, sed scelera, &, portenta, ac iniquas calumnias, & injurias tuas abscondere debebas, quibus toti hæctenus Europæ prodigio simul, & scandalo, extitisti. Te, timere, peccantem, non vulgi judicia addecebat, sed inexhaustæ scientiæ tuæ æmulatores. Sed pergit Φιλόσοφος, & carpendi cupidus, *Hippocrates noster: importuna reformatoris efflagitatio effecit, ut ex magno experimentorum & observationum mearum cumulo exciperem quæ mihi canerem, &c.* Videte nunc, paulò antè timidulum, quàm audacter, quàm sine fronte & mente fingat, quàm avidè rumores ac titulos aucupetur! *Reformator* (qui semper tibi unguis in ulcere) hæc tibi secretra (è pumice aquam) expressit? *Reformatoris* importuna efflagitatio, & armatæ preces, arcana tua impetrarunt? Mentiris, inique *Tenebrio*. Sed superbia tua, ambitio, dolus, & mille fraudes, hastibi pagellas, & furtivum Opusculum tuum extorsère: videri, eminere, digito monstrari, cupiebas, *gloriosus Thraso*, & *Nugator*, qui portenta Medicinæ, & inexhaustas scientiæ abyssos, revelare promittis; cum tamen ne vestigia eorum, quæ magnificè & superciliosè jactas, invenerim, dum unâ nocte omnia *novissimi salis Viperini tui antiquissima fundamenta* sedulus scrutatus sum: ut proindè hoc compendium tuum, seu novum Hippocratem, evulgatum, *ex magno experimentorum & observationum tuarum cumulo depromptum*, aliter definire nequeam, quàm quòd sit mixtum quoddam, cujus elementa, sunt arcana furta ex Helmontio passim, & Libavio, deprompta; cujus materia prima, detractiones & scurrilia convitia; cujus forma, superbia; cujus unio, mendacia & mille hyperboles. His tamen non officientibus, fateor & meam imbecillitatem; quòd hæc tam magnifica, novi Hippocratis, promissa & mihi vellicarint aures, nec non avidum & promptum ad legendum reddiderint, donec unica mihi nox consilium dedit, ac montes parturientes glirem enixi sunt. *Reformator* verò, dum nugas, quisquillas, & pueriles conatûs, novi *Æsculapii* pervolvit, tunc, splene toto, in sinum suum ridens, vulgarem Italorum paræmiam secum obmurmurabat: **Troppo fumo, poco rosto; & illud vetustum, Latinorum:**

Qui captat risûs hominum, famamque dicacis,

fingere qui non visa potest, ———

———— hic niger est, hunc tu, Romane, caveto.

Et, ne nos hæc fallat opinio, *Amice Lector*, transeamus ad arcanissima *Tackeni* secreta, ad *cumulum experimentorum & observationum*, ac, utrum verbis nostris, & conceptibus, acta novi Hippocratis respondeant, perscrutemur. *Huc ergò adeste veritatis amatores, vos admiranda & jucunda vestris oculis aspicietis.* Venite, sed risum cohibete, Amici; venite ad fabulas; spectate histrionem; audite mendacia & apologostrum; venite, properate:

jam enim Theatrum panditur, & Scena  
secunda.

## CAPUT II. TACKENII.

*Qui nimium properat, serius absolvit.*

**R**ocede pompa, festina; sed lentè. Omnis, profectò, mihi indignatio, Tackeni, & justus furor, deferbuit; & vix plura risus effari indulgebat, hoc festivo lecto titulo. Neque me sic Apuleji, de Asino aureo, Commentum, nec Alcinoi Apologus, nec Sinesii, Calvitii laus delectabat, quantum hæc connexio, & Caput, demulciebat. Sed ad seria magis nos componamus. Reformator incipit, ait Tackenius, clato supercilio. Nunc ait; (a) nos convertimus, ad examinandum sa-

a. pharmac.  
fol. 481.  
difficiles ad-  
itus omnis  
imperiis ha-  
bet  
Nolite pra-  
cipiti judi-  
cio, & cau-  
sa non satis  
excussa in-  
fontes da-  
mnare.

lem Theriacalem antiquorum, cujus preparatio tam infantilis & absurda est, ut nullo veterum simplicitas delucidius, atq; in illa appareat &c. & paulo post: animalia duntaxat gaudent sale volatili, & fere nil præter solam terram mortuam, in violenta calcinatione, post se relinquunt imò reliqua absurda silentio non involvenda, quod loco salis communis armoniacum substituerunt, re profectò ut video, ne tantillum intellecta, quia sal armoniacus totus in auras pulsus est, & sic non de viperis nec de suo addito sale quicquam illis remansit, hæc ille.

Redarguere  
ea qua non  
recte dista-  
sunt, mini-  
mo institui  
Hippoc. de  
dieta lib. 1.  
imaginarie  
hic non tra-  
stantur.

Mihi autem non videtur, veteres hoc loco inculpandos, absurditate, & simplicitate, adeo ut reformatoris immaturam reprehensionem perferre debeant. Sed priusquam judicentur audire oportet, & alteram partem, & indagare, quid sit sal armoniacus veterum? & quæ ratione, loco communis illud substituerint? & in quem finem? & ubi deniq; peccarint ut reformatoris præcocem iram & acerbam contemp-  
tionem perferre mereantur?

Sed hæc omnia, ut clariora fiant, necesse est salium quorundam intima subire, & exacte horum naturam, & differentiam, ex accidentibus propriis, & sensibus cognitis, non syllogismo logico & convertibili, vel imaginariis non entibus, sed plane experimentaliter, & naturali historia examinare.

Dico itaq; & confirmo, non solum quòd animalia duntaxat, sal volatile possideant, sed præter opinionem reformatoris, quod & vegetabilia omnia, non habeant à natura neq; granum salis fixi, nisi arte illud acquirant; & primo de notioribus dicam, & paulatim ad occulta progrediar.

Naturalem saltem armoniacum, veteribus magno in usu fuisse, testatur Plinius (a) Reperitur, inquit: in Affrica, in Regione Cireniaca ad Hammonis oraculum usq; oblongis glebis, & sub harenis. Id confirmat Dioscorides, quod sal armoniacus natione laudatur. Hic sal est constans in igne, suo modo sapore multo sals-acidior nostro sale communi cibario, ut ostendam, & ob id medicinis, utiliorem invenerunt, ea propter commendarunt id veteres pro hac re.

a. lib. 1. c. 7.

Illud autem quod ad nos adfertur, non est in oblongis glebis, ut neq; est naturale, sed componitur arte: ex naturali scis; & alcali volatili animalium, id docet ejus resolutio juxta Aristotelis axiomata (a) dividitur nimirum in acidum salis spiritum; ut etiam in alcali volatile (omnia salsa in duas dividuntur substantias in alcali nimirum & acidum, ut paulatim ostendam) quæ ambo se parata, & rursus re conjuncta, fiunt sal armoniacum quoderat. Acida pars, vel acidus spiritus, habet omnes proprietates, ut ille, qui distillatur è communi sale: Alcali autem ejusdem est conditionis cum illo, quod ex humana urina sublimatur, minus tamen fatulentum: unde suspicor, quod non humanam sed camelorum urinam ad illud compositum elegerint. Horum enim urina, ut notat Plinius (b) fullonibus utilior, quam reliquorum animalium, unde alcali ditiôr sit necesse est: fortasse, quia ut reliqua animalia, sal non comedunt; commune enim, sal non abluit. Nausicaa enim, Alcinoi filia lavabat lintea ex fonte in siltore maris, ut scribit (a) Homerus

a. in quo  
quid res lvi  
potest ex illo  
necessario  
debet cen-  
sare.

b lib. 28 c. 8.

a. Odys. lib.  
6 à versu 85  
u. 96.

Fit



*Fit autem sal armoniacum artificiale, eodem modo, sicut sapo, natura enim operatur in omni re simile, docet Hip. (b) ex acida nimirum parte salis armoniaci; & alcali urina camelorum (vel animalium perinde est: ex alcali fuliginis, & spiritu salis acido, alio deficiente, feci simile sal) urina enim per macerationem dissolvit sal; & alcali urinae, quod alias dierum cursu, in auras abiret; hic per moram reperit acidum; quod combibit, fitq. ex acida parte salis, & alcali ex urina, nova creatura artificialis, falsæ saporis. Quod autem similes mores non habet (c) neq. cum novo falso concordat, sponte segregatur ad fundum; supernatantem falsum liquorem clarum, coquunt & despumant, ac iterum feces deponere sinunt, quem deinde coagulant in placentam. Hoc est sal armoniacum, quod ad nos defertur; non tamen illud, quod veteres pro sale Theriacali elegerunt, ut existimat reformator: sed illud est naturale, quod sub arenis (αμμορ) reperitur ut docet Plinius citato loco, quod tamen in progressu clarius Nunc priusquam progrediar, quid sit alcali, dilucidius explicandum.*

Salutemur igitur, Auditores, novum Augustani Vindicem, Zuvelseri Reformatorem, qui innumeros, ac conspicuos errores, quos Reformatore, totius Europæ plausu, & assensu, è Scholis & Officinis proscripsit, postliminio revocat ac libertate donat, multorum criminum Mecanatem, Tackenum. Sed, heus, Impostor! Num & hoc de magno cumulo tuarum Observationum & Experimentorum est, illico nimirum, in ipso limine, mentiri; textus meos adulterare: prout quaternis vicibus te practicasse, palam, ex hoc uno textu, & pagina mihi 273. & sequentibus, demonstrabo? Cur sine commate, & puncto, Elementariorum, & Puerorum more, textus meos debito nitore defraudas? Cur suppressis absurditates Veterum, in hoc sale Theriacali commissas; quas Reformatore clarè, & graphicè, in Animadversionibus suis, ex hoc textu, notat & eventilat? Quæ tales erant: 1. Ratione salium addendor, utrum communis, tum Armoniaci, ejusque liberali nimis quantitate, librarum nimirum xxxx. respectu paucarum Viperarum, & quatuor tantummodò. 2. Ratione calcinationis destructivæ Viperarum; quòd planè nihil salis fixi, post suam calcinationem, seu combustionem, relinquunt, præter ossa arida, nigerrima, (tanquam in vase clauso) effæta, nullius frugis, omni sale volatili privata. 3. De Trochiscis, ex adjectis speciebus prius conficiendis, quòd post earum trochiscationem eas demum calcinationi destinarint; quasi verò prius comburi, & quidem melius, non potuerint, nisi prius ex ipsis simplicibus contusis, cum melle, Trochisci efformentur. 4. De Scillis recentibus addendis. Et, 5. De calcinatione demum, mirum in modum ineptè, & perperam peractâ; vi cujus non in cineres, neque salem, sed tantum in carbones majusculos convertuntur. Hæc tu, Neo-Augustana Pharmacopœia Vindex, Tackeni, tueri, & in his Reformatorem, sine fallaciâ, & impostura, convincere debebas, ac demonstrare, quòd sint ineptè castigata; neutiquam autem subdolè præterire, ac, pro libidine, quidvis addere, & demere. Vides, quòd, qui nimium properat, tardius absolvit? Lentè, paulatim, fideliter, omnia ex Reformatore textu allegare decebat. Sed nimium properasti, Hippocrates novelle: metuo profectò, ne & malè absolvas. Deflectit noster Scholiastes ad salem Armoniacum veterum, ad Plinium, cæcus Erro, Græcamque fidem, quòd sæpè mercatus confugit; licet in citatione aberrarit, pro xxi. libro, primum adducendo. Verum facit hoc irritò conatu, multisque erroribus imbutus. Legere potius conveniebat, pro Plinio, nec Chymico, nec Medico, Doctissimum Olaus Wormium, in suo Museo, pag. 20. vel Cæsium, Matthiolum, & complures Classicos, qui fusiùs hanc salis historiam tractarunt, in hoc uno omnes consentientes; quòd ille sal Armoniacus ad nos transmitti desierit dudum: Nunc & antiquitus artificialem quendam substitui, qui sit ex quinque partibus urinæ inspiss. humanæ, parte una

unâ falis communis, & parte dimidiâ fuliginis lignorum, simul coctis ad consumptionem humiditatis superflue, reliquoq; sublimato, iterum soluto & coagulato. Similia fere reperies in Libavio, *syntag. arcan. Chymic. cap. 38.* de Sale: quem consule. Cum igitur sal ille Armoniacus Plinii pridem desierit, nec vel unquâ reperiatur, vel, ab Antiquis ad salem Theriacalem fuisse adhibitum, ratione & authoritate comprobari possit: (nisi fortè confugeremus ad magnum cumulum Observationum & Experimentorum, vel ad illa admiranda & jucunda, absconsa, & occulta à sensibus & cognitione, *Tackenii*) ruunt novi Hippocratis, & Philosophastri, rationes, cum Plinio & tota Græciâ. Quid igitur frustra nugaris? Cur te inaniter torques? *Reformator* his nugis non vincitur. Posito enim, acceperint Veteres hunc salem Armoniacum fixum Plinii, pro sale suo Theriacali conficiendo: quid, quæso, laudabilius effecissent; quàm si salem communem, vel salem gemmæ, adhibuissent, æquè fixum? Perinde enim esset: & ob id non fugis, vel declines absurditates. Nam & illum errorem, de sale simplici tanquam etiam fixo, & sali Armoniaco Plinii, hac in parte, simili, clarè & dilucidè etiâ discussit *Reformator*, in dictis suis *Animadversionibus*: quas paulò post denuò adducam. Repete igitur, & revolve tecum, mi *Reformator Zwelferi*, doctissimum marginale tuum, & aptum scholion, fol. 7. tibi notatum, nimirum: *Difficiles aditus omnis impetus habet.* Si sic substitueris, profectò Augustanum non vindicabis. Item revoca alterum marginale tuum, fol. 8. *Nolite præcipiti iudicio, & causa non satis excussa infantes damnare.* Nimium properasti; tardius rem absolves. Nam cogitare debebas, quòd *Reformator Augustani* non sine prægnantibus causis, & validis rationibus, Animadversiones suas adinvenerit; quòd solidiora fundamenta jecerit, quàm ut uno viperino sibilo tuo subsidant, ac evertantur. Impetuosis igitur fuisti, præcipitis iudicii; & causa non satis excussa. Nimium properasti, *Hippocrates*. Igitur serò, & tardius, absolves. Et hoc responsi genus vocant Philosophi *Retorsionem argumenti*, seu *Argumentum ad hominem*; prout tibi jam respondi, *Tackeni*. Et tales Philosophi plerumque ducuntur ad saccum: & ejusmodi Chymici in manica Hippocratis plerumque suffocantur.

Subjungit novum Aphorismum, & theorema Chymicum, Hippocrates noster. *Dico itaq; & confirmo, non solum quòd animalia duntaxat, sal volatile possideant, sed præter opinionem reformatoris, quod & vegetabilia omnia, non habeant à natura neg, granum salis fixi, nisi arte illud acquirant.* Egregiè, profectò, Doctoraliter, aphoristice, & audacter, mi *Tackeni*. Verba caro non constant, sed ad probam, & demonstrationem. Dic, *Neo-Hippocrates*, si animalia, ut ais, duntaxat salem volatilem possident; quid igitur tibi, vel Antiquitati, residuum fuit, in calcinatione violenta viperarum, cum sale tuo fixo Armeniaco Plinii? An non coincidis in doctrinam *Reformatoris*? An non tibi spiritus contradictionis est? Dic, secundo, quare, *præter opinionem meam*, ais; animalia duntaxat salem volatilem possidere? Cur iterum mentiris, & claros textus adulteras? Cur falsarius es? Legisti ne Animadversionum mearum textum, pag. 273. in quo dilucidè, ac optimâ methodo, tibi, *Agyrta*, ad invidiam, minimè æmulationem, qui minùs es habens, animalium analysin, & ad ultima resolutionem trado; tam quoad eorum salem volatilem, quàm reliqua contenta? Ut autem rem discas, veni iterum, *aurite & mysteriose vir*, lege, quæ, ex nostris *Animadv.* pag. 273. col. 2. lin. 40. editionis Noricæ, subjungo; quæ talia: Et licet in primo errore, quem in combustionem viperarum committunt, connivendum esset; cum forsitan eo tempore artificiosiores destillationes (quibus perfecta rerum analysin



stitui potest) illis nondum innotuerint, consequenter etiam nec scire potuerint, quòd animalia sale duntaxat gaudeant volatili, & fere nil, præter solam terram mortuam, omni virtute Medica exutam, in violenta calcinatione post se relinquunt; ex qua terra mortua licet exilis portio salis fixi (forsitan ex mille Viperis vix uncia una) elici posset: id tamen tanti precii non est, quin potius vires alterius cujusdam salis fixi æmuletur, atq; ita tota animalium virtus, & efficacia, in meris volatilibus, sale, spiritu, & oleo, quæ ignis violentiâ, & levi saltem calcinatione, totaliter in auras pelluntur, consistat, remanente terrâ mortuâ, vel ossibus, salinis partibus spoliatis. Hinc & testæ Probatoriæ, sive Capellæ, super quas metalla fixiora purificantur, ex ossibus calcinati, utpote quòd falsedinem nullam contineant, quæ huic operi refragari aut impedimento esse possit, & ex cineribus, crebris lotionibus itidem à falsedine sua omnimodè liberatis, construuntur. Reliqua autem plurima absurda silentii sipario nullatenus involvenda, minimeq; conticenda sunt. Posito enim, quòd Viperæ, post calcinationem violentam, salem præberent fixum; quid autem hæ quatuor Viperæ inter tam multa, salis nimirum vulgaris quadraginta libras, & tot simplicium, juxta præscriptum modum calcinatorum, cineres, vel potius carbones, præsertim si adhuc reliqua simplicia contusa supperaddantur, efficere aut præstare valerent? Porro tradunt, quod aliquando etiam salem Armoniacum, loco salis communis, in pari quantitate Viperis superaddiderint; re, profectò, ut video, ne tantillum intellecta. Etenim, ubi salem communem addiderunt, totus ille à calcinatione remansit: quia sal communis fixus est. Si verò huic salem Armoniacum substituere, totus is in auras pulsus est: & sic nec de Viperis, nec de suo addito sale Armoniaco, quicquam illis remansit, nisi ossa mortua, & cineres, vel potius carbones, ex adjectis herbis. Præterea omnium maxime mirari subit, quòd etiam Trochiscos ex adjectis speciebus nonnullis confecerint, priusquam illas combustionem, vel calcinationem, destinarunt; haud secus, ac si simplicia, his trochiscis destinata, comburi non potuerint, nisi prius ex ipsis contusis, cum melle, Trochisci efformati fuerint. His, pariter nulla ratione suffulti, quinq; Scillas prægrandes recentes, in minuta frustra dissectas, junxere; cum tota Scilla ex aquosa, & volatiliori substantia constet; unde exiguum terrestre itatem post sui calcinationem relinquit; prout quoque jam antè, in Animadversionibus Trochiscorum de Scilla, innuimus, & experientiâ demonstravimus.

Hâc calcinatione demum mirum in modum, & perquam ineptè, peractâ, non cineres, postquam ollam aperuerunt, sed integros carbones, ex adjectis herbis, & trochiscis, ac ossa ex Viperis nigerrima adepti sunt. Verùm Carbones, tali permixtos, exhibuisse ægris, id equidem insulsum planè, & absolum est. Quippe illi ipsi ferculum fecere nimis ingratum, quodq; vel solo intuitu stomachum movere potuit. Si saltem cineres ex herbis facti essent, potuissent forsan, propinati, aliquid, sudorem nimirum commovendo, effecisse. Quod autem revera carbones, non verò cineres ex adjectis herbis & trochiscis, ac ossa nigerrima ex viperis acquisiverint; quotidiana experientiâ comprobari, imò à Carbonariis, qui calcinatione clausâ suos efficiunt Carbones, exemplum evidens desumi potest. Namq; nulla herba, vel planta, aut lignum, in clauso vase, calcinatione etiam violentissimâ, & diuturnâ, in cineres redigitur, ut ex ipsis sal elici queat; sed remanet carbo semper nigerrimus, nullo modo pro sale extrahendo aptus.

Ex his *Reformatoris* fundamentis, & genuina Philosophiâ claroque textu, ediscito, *Neo-Hippocrates*, veritatem & mendacia devitare, simul & palinodiam canere, quod, *præter opinionem meam, animalia duntaxat sale volatili consent.* Non enim umbras ego amo, non Laconismos, & aphoristicas doctrinas, quales tu affectas; adeò, ut opus tuum sit confusum Chaos, omnia docens, nihil demonstrans; ex omni aliquid, ex toto nihil; ridiculum denique Quodlibeticum. Ulterius: *Vegetabilia*, doces, *non habent à natura neque granum salis fixi, nisi arte illud acquiratur.* Hic textus tuus bifariam intelligi potest; & quod habeant salem fixum; quia duæ negationes constituunt affirmativam. Dicis enim, *quod non habeant à naturâ neq; granum salis fixi*: vel quod non habeant, absolute. Quàm partem quod tu defendas, negativam scilicet, arguit illa particula: *NISI.* Quæ conclusio, præterquam quod toti Philosophiæ, ac omnibus doctis Viris, adversetur; est puerilis, & tanto Hippocrate indigna. Falsitatem hujus doctrinæ eruo ex consueto, tibi quæ etiam trito principio Philosoph. Nimirum, ut ais: *in quo quid resolvi potest ex illo necessario debet constare.* Subsumo: atqui vegetabilia, pro parte sua, resolvuntur in sales fixos; animalia in volatiles. Ergò ex his constant: ergò hi illis insunt; ergò de potentia in eos resolvi possunt. Et habent etiam vegetabilia omnia actu salem aliquem nitrosum terræ, qui in forti calcinatione conflatur; qui & suo modo, fixus dici potest: prout tu, in sequenti incineratione, & utione, Absinthii affirmare videris. Mirum proinde est, post tot magnifica promissa, tam gregaria, quin imò tam absurda, te docere. Ut proinde garrulitati tuæ aliud aptare non possim, quàm illud Excellentissimi Medic. *Dieterici Philosophus, & Chymicus forsan, mansisses, si tacuisses, Tackeni*: quod tacere, sapientis tantum sit; & ut Democritus philosophatus est, Stultus nunquam possit tacere. Nam loquendi Magistros habemus homines; tacendi, Deos immortales.



Reliqua, quæ scenicus noster Hippocrates Chymicus, de sale Armoniacco, affert, pag. nimirum 10. lin. 4. quòd illud quod ad nos adfertur, arte componatur, quodq; id doceat ejus resolutio : Item, pag. eadem, linea 13. Omnia falsa in duas dividi substantias in alcali nimirum & acidum : & plura alia ; de urina Camelorum, quòd, ut reliqua animalia, sal non comedant : Item, pag. 11. lin. 9. fieri sal Armoniacum artificiale, eodem modo, sicut sapo ; & naturam operari in omni re simile &c. Hæc omnia ac singula ludicra sunt, indigna viro, & sapiente, ut his operam deludat. Quare non immoror talibus : solum hortor Amicum Lectorem, ut admiranda hæc contempletur, ad quæ noster Hippocrates, velut classico, totum orbem spectatum provocavit. Nos de his absurditatibus plura in sequentibus afferemus.

Accingit se ad tractanda alcalia, & salem Kali, noster Hippocrates, capite tertio ; sed nunquam magis insulsus, quam ubi in salinis occupatur. Transcripsit hanc alcalicum materiam ex magno Helmontio, tractatu de Blas Humano : titulo, de Potest medicam. item, titul. Complexion. atq; Mission. Elemental. figmentum ; & reliquis locis : hoc uno tamen Helmontio dispar, quòd ejus sanam doctrinam corruperit, & ineptias multas adjunxerit ; ut vel sic furta celaret. Quid enim ridiculum magis, quam quòd, lin. 5. pag. 13. suis alcalibus trinos genitores & incunabula assignat, velut totidem spuris : Naturam scilicet, Ignem, & Philosophum ; quòd iterum docet, non reperiri sal Kali in natura, nec in omnibus tribus regnis, nisi ab artifice ignis ope producat ; quòd, pag. 13. in margin. Vacuum & inane, statuat, esse alcali. De quo inferius pluribus disseram ; ubi vacui implicantiæ pluribus ostendam huic Philosophastro : quòd sal Kali sit compositi pars, ut reliqua salia, virtutibus tamen seminalibus orbatum. Quæ hujus majoris est ratio ? Habere virtutem absterisivam, saponariam. quòd hujus inanitionis gratia, quasi in formis, absorbeat omnis generis acida, hinc omnia salia quæ acida mortificant, unico & generali nomine Alcalia appellentur : reperiri non solum in vegetabili, sed insuper in animali & minerali, familia.

Rem miram, profectò, assumpsisti, dum Caput, de Alcalibus, inscripsisti, Tackeni ; de quibus Tyrones nostri Pharmaceutici, ubi vix La lare cæperunt, aptè discurrere novère ; quorum mysteria imbelles vetularum genus per lixiviam penetrat ; de quibus tota natura clamitat. Sed venite, spectate mirabilia, Hippocrates novus explicat alcali de herba Kali : cujus historiam, modum operandi, & differentias, fusè Bulcasis descripsit. Hic magnam statuit differentiam inter alcali de Kali Arabicum, Sarracenicum, & Syrium ; quem consule. Historicam Alcalium Chymicorum fusè tractârunt Ægidius Everartus, Leon. Suavius, Bodensteinius, Tholdenius Hassus, Agricola, Dioscorid. Matthesius, Libavius : & quis non, Scriptorum ? Et tamen hæc admiranda sunt, nova, absconsa & occulta à sensibus, apud nostrum Hippocratem. Vides, nequissima Vulpecula, quòd vestigia tua, & latibula, investigemus, furta pateant, superbia alieno fuco elucescat ? Et verò, si ex Authoribus nudè rem furatus fuisses ; adhuc forsan industriam dixissem : sed quòd sanam doctrinam stultitiæ tuæ fermento, & vertiginosis additamentis, pessumdas ; grande est nefas. Et talia sunt : 1. quòd alcalia undiq; aberrant in natura, & tamen nihil sunt, nec reperiuntur : 2. quòd alcali inane & vacuum sit : 3. quòd informe tres numeret Patres : 4. quòd salium lixivialium, omnibus tritam ac notissimam præparationem, & historiam, vel ipsis lotricibus notam, pseudologia sua adhuc cupiat obfuscare. Et plura, quorum indignitas me conticescere & ad alia transire facit.

Jam,

Jam, postquam egregiè noster *Hippocrates novus* salia lixivialia & alcalia, cum mineralium, & animalium, salibus confudit, dum omnia salia, animalium, & mineralium, vult, appellari alcalia, unico, & generali, nomine (quæ tamen repugnant; uti sequentibus demonstrabo) malè distinguens, per consequens pessimè docens; declinat ad historiam, & calcinationem, silicum, & ipsam calcem: quâ connexionem, quò ingenio, quibus arcanis, Lectori patebit. Si exactam lapidum, ac silicum, genesim, per salinos spiritus sua derivantium primordia; si differentias, & rationem coagulationum corporum, & lapidum; cur quidam vegetabiles; quânam ratione sumant sua incrementa; aut his affinia, tractasset *Neo-Hippocrates*: licet à multis actum egisset; nonnihil encomii tamen hic novissimus scriba retulisset. Sed quòd, spreto omni *avroψία*, & legitima theoria, axiomata sua à Mechanicis deducit, ac docet, quòd Murano Venetorum, à Vitriariis, habeat, silicem unius Centenarii, etià extra matricem, singulis annis decem libris augeri, quia (quod in marginali annotat) *in aère est occultus vitæ cibus*, & *Jovis omnia plena*; hoc certè ridendum potius, quàm refutandum. Quæ enim silicum, & lapidum, portenta ubique orbis nobis proponeret, sitam hyperbolica doctrina, & silicum augmentatio, in natura probaretur. Castiganda ulteriùs est nostri *Tackenii* altera stoliditas, quòd lapides, & silices, velit calcinare. An fors hunc locum Helmontii consulere neglexit, Titulo: *Tartarus non in potu*: ubi, in terminis, docet, silices & lapides non calcinari. An ignorat, calcem, & cineres, toto ente distare, neque, calcinationem silicum in calcem, esse incinerationem? Ex cineribus enim sal purè falsus elicitur, resolutivus, & abstersivus, acidis planè contrarius: ex calce verò neuter horum producitur, neque falsus, neque acidus sal. Calx mortificat & pessundat omnia, præsertim animalia, quæcunque attingit, occulto quodam igne, urente, & caustica qualitate: cineres, contrariâ indole, omnia ab interitu & corruptione vindicant. Calx sales volatiles animalium, tum etià fuliginis lignorum, mortificat, ac in terram exsuccam, sterilem, ac emortuam convertit: sal verò ex cineribus sales volatiles amplectitur, cum illis unitur; nullâ contrarietate dissident: quoniam ambo naturæ homogeneæ, ejusdem, quoad puram falsedinem, indolis. Calx petrificat, vitrificat, exsiccatur: salia verò ex cineribus contrarias dotes habent; resolvunt enim, abstergunt, & humectant. Vides, *novæ Hippocrates*, harmoniam tuæ inauditæ doctrinæ? *Paginâ*, præterea, *15. lin. 4.* non Hippocratis Coi, sed veterem, scioli cujusdam, falsam distinctionem affert: *duo nimirum salia reperiri in calce, sibi invicem contraria, acidum, & falsum, in igne tamen ambo constantissima*; quod falsissimum est. Neque enim unquam seu falsus, seu acidus, sal in calce reperitur. Si enim hoc verum esset, tunc, juxta *Tackenii* axioma: *in quo quid resolvi potest, ex illo necessario debet constare*, calx in acidum & falsum salem converti, ac resolvi deberet. Sed in neutrum hoc solvi potest, nec quidvis horum ex illa extrahi: ergò his non constat salibus. Non posse autem ex calce hæc salia extrahi, me, & per Ignem Philosophos longa experientia docuit. Inest igitur calci, salium loco, spiritus quidam igneus, urens, mortificans, & lapidificus; prout tibi ratione & experientiâ remonstravi, ubi de salibus volatilibus animalium fixandis egi, *pag. 276. Animadversionum*: non, quòd docuerim, salia dicta volatilia cum calce viva fixari; uti nequitiosè mihi affingis, *pag. 15. lin. 22.* sed quòd calx viva animalia, & eorundem salia volatilia, totaliter mortificet & destruat, ac complura incommoda in Medicina ab



intro afferat. Vides igitur, *Chymiaſter*, quòd miranda dicas, ſed non æmulanda, mendacia ſcilicet, textuum adulterationes, & probra noſtræ Artis. Plura tibi, de calcibus & alcalibus, afferrem, ſi alicujus frugis eſſes, & vacuum caput tuum in tantum non tinniret. Plura reperies, de Alcalibus, ex ſupra citatis Authoribus, & maximè tuo Pædagogo, Helmontio; ex quibus alcalia tua ſuffuratus es. Benignuſtamen Lector, ut tantò æquius judicium formare poſſit, ea recolat, quæ, in *Animadverſionibus*, loco citato, pag. 275. & ſequentibus, de Calce, & ſalibus volatilibus animalium, clarè, & fundamentaliter, ſcripſi: quæ ſi noſter impoſtor, *Tackenius*, non ſuccifivis horis, ſed ſeriò, & accuratè, conſideraſſet; tam ludicra, & meritò omnibus doctis viris oſtendui habenda, voce lamentabili non eructaſſet, neque de Calce, neque ſalibus lixivialibus, (quos ille nunc, tanquam *δύτος ἔφα*, alcalia baptizat) tam gregaria, obvia, omni tyroni trita, ex cumulo experientiarum ſuarum protuliſſet; memor ampliſſimæ promiſſionis: ſe nihil, niſi rara, inaudita, admiranda, & jucunda; quæ abſconſa & occulta à ſenſibus & cognitione hætenus ſtetere, ex naturæ, & myſticæ Chymix, gazophylacio velle depromere. Sed, quid mirum? Semper enim, ut divinus Paræmiſtes loquitur: Sapientior ſibi videtur Stultus ſeptem viris loquentibus ſapientiam: *Proverb. 26.* Igitur, ut totus ejusdem textus, hujus Capituli, conſtet, & quilibet ex illo haurire poſſit admiranda & jucunda, quæ, pag. 7. lin. 11. faſtuoſè promittit, & veritatis amatores ad ea invitat; huc adeſte, & auſcultate.

## CAPUT III.

*Alcali Sal, quid ſit.*

Sensus du-  
ctores vita et  
omnium a-  
ctionum ru-  
co.



*Inſtituti mei non eſt, hic, ut dicitur, rem ab ovo, aut ab elementis arceſſere, ſed de rebus naturalibus, phyſicis, materialibus, & ſenſu notis, demonſtrationem aggredi.*

*Fit itaque ſal Kali ex herba Kali, magna copia in Ægypto proveniente, quæ ibidem viridis exurit, & ad nos transfertur, à quibusdam vocatur etiam ſoda, alumen catinum, & vero nomine ſal Kali appellatur; non reperitur tamen ſal Kali in natura, nec in omnibus tribus regnis, niſi ab artifice ignis ope producat, hinc tres habere patres hanc virginem antiqui ſcripſerunt; Naturam ſcil. ignem & philoſophum.*

Alcali, eſt  
inane & va-  
cuum.

*Eſt etiam ſal Kali, compoſiti pars, ut reliqua ſalia, virtutibus tamen ſeminalibus orbatum, habet ſaltem virtutem abſterſivam, ſaponariam, & reſolutivam proprietatem, hujus inanitionis gratia, quaſi informis, abſorbet combibit, omnis generis acida (impregnationem dixerunt Patres) hinc omnia ſalia, quæ acida mortificant, unico & generali nomine Alcalia appellantur, quæ reperiuntur, non ſolum in vegetabili, ſed in ſuper in animali & minerali familia, ſunt etiam in his tribus multiplicia, fixa nimirum, volatilia, manifeſta, occulta, media natura, ex animalium partibus deſumpta quæ ad oculum ſunt demonſtranda; & primo à notiori incipiam, quod reperitur in ſilice, qui quatenus ſilex, conſideratur ab imperito quaſi unico freno regeretur*

Silex.

regeretur vitrarum autem periti Muranenses, observarunt, quod, licet ab utero aut natali loco exemptus, centum libras annuatim decem (a) plus minusve acquirere, inde discit Hippocraticus Jovis omnia plena, & etiam in ambiente nutrimentum accipere sed quamprimum ignis externus & artificialis accedit; tunc illum peritus, mox in vitrum liquat, mox in calcem vertit.

a. in aëre est occultus vita cibum docet Cosmopolita,

In silice itaq; comprehendit Hipp. Philosophus & Chemicus duas differentes facultates, à magistro & Doctore IGNIS & AQUA (b) sic propter suas rationes b. lib. x. de appellatas quæ silicem constituerunt, quas, per ignem debitum alterat chemicus, diata, quæ alteratio vocatur incineratio, in pulverem enim sponte abit. Vnde communi nomine calx appellatur.

Hoc in cinere vel calcinato, rursus comprehendit, supra nominatas facultates, quæ nunc semel pro semper pro majori intelligentia ACIDUM & ALCALI ubiq; nominabimus ab effectu.

Acidum, & Alkali natura instrumenta. Ignis vero acidum, & aquam alcali esse. suis locis ostendamus.

Calx itaq; habet in se duo salia, Hip. duas facultates acidum nimirum & alcali, ambo in igne constantissima, & unum alteri contrarium, cumq; irrigatur calx, tunc salia solvuntur aguntq; in invicem: Alkali absorbet & agit in acidum, & hoc vicissim assumit alcali: non quidem pro destructione (a) sed pro novâ generatione, & quicquid in illa actione apprehendunt, non procul recedens ab eorum natura, indurescit cum illis, in lapideam durittem sic contrarium congelatur à contrario.

a. Homines ex manifestis, obscura considerare non noverrunt. Hipp. lib. i. de diata.

Hanc notitiam, de Calce si ex Hippocrate didicisset reformator, non instituisset miser alcali viperini cum calce fixationem, ut lamentabili voce, in discursu de Sale (b) Theriacali declarat.

b. pharmac. fol. 485.

Postquam Hippocraticus juxta leges naturæ, contrariis facultatibus notavit calcem petrificari, rememorat Magistri & Doctoris documentum, quod nimirum similia similibus debeant dissolvi, & id, non solum in artificialibus, sed etiam in naturalibus, præsertim in Medicina & corporibus humanis, ut paulatim apparebit: artes nimirum naturam humanam imitantur verba Hippoc: & concors concordi adherere docet idem. (b)

Contraria contrariis coagulantur.

b. Hip. lib. i. de diata.

Hujus capitis absurdissima principia partim superius attigi, partim sequentibus destino; ubi tuum vacuum & inane alcali, pro viribus, replebo. Duo interim singulariter hoc capite me solata sunt, Tackeni: aptissima nimirum textus Hippocratis Cui citatio, ex lib. i. de diata. Abstemius, profecto, & jejunos Philosophus es, ac multum vacui, & parum judicii, habes: Secundò, quod sensus ductores vitæ, & omnium actionum, vocas. Aptius vitam tuam, ac fidem, definire non poteris: qui omnia sensibus, & sensualitate, appretias, fidus Epicuri affecta. Foran ex doctrina hac, & marginali, Clarissimus Vir, Theodoc: Lünckerus, Marpurg. Professor, occasionem hausit, ut te hominem, ex malitia & atheismo constantem, in testimonio,

Anno 1653. impresso definiret; seu hominem, cui Deus venter, & vitæ ductores, sensus, His missis, accedo ad



## CAPITULUM IV.

cujus inscriptio:

*Alcali & Oleum fit sapo. pag. 16. lin. 12.*

Nter reliqua, in hoc Capitulo, stupenda & admiranda secreta, & experientias, Magni Hippocratis novi, est etiam Saponis mechanica, & conficiendi opificium; quo, ut ait, *Alcali & Oleum fit Sapo*. Confirmat hoc ex Hippocrate *Coo*, & lib. 1. de *dieta*: item, per *Nausiccam*, *Alcinoi* filiam, *lotricem*, qua lavabat lintea ex fonte in *maris littore*. O te rancidum Saponarium! quâ spongiâ, quo smegmate, has absurditates tibi abluam, quo te fricabo pumice, *novissime Hippocrates*? Profectò, inter viros doctos, *Morionem* & *Sycophantam* agis. Cur non etiam in foro, *Venetis*, & divi *Marci* atrio, saponem, & smegma, pro pediculis, lentibus, & maculis vendis? Cur non super abacum *Stentorem* agis? Potestne cadere in virum sensatum, ut qui paulò antè, per præconem, populum collegit, & admiranda & jucunda, qua hætenus absconsa, & occulta à sensibus, & cognitione steterunt, ex magno experimentorum & observationum suarum cumulo, secreta promisit; saponem tandem edoceat, ac concedat nobis remedium ad callos pedum; in *marginè*, pag. 17. ex calce & melle, fit mixtura, qua callos pedum mortificat? Saltem dixisses, fit mixtura (salva reverentia!) ad callos pedum; & si non *Chymicus*, sic saltem *Aulicus*, fuisses. Profectò, *Tackeni*, es mente captus. Adducamus tamen, pro nostra recreatione, joco, & genio, hoc, de Sapone, Capitulum; quod tale est: Calx, ut dixi, habet duas diversas facultates acidum & alcali: alcali habere saltem saponariam & abstersivam virtutem supra dixi, quam extrahere & separare docuerunt Hippocratici suo simili (c) saponarii itaq; addunt calci, Alcali factitium, ex vegetabilibus exustum, in tripla proportionem, eò quod acidam partem in calce mortificat, & alteram suo simili liquat. Humectant itaq; cineres alcalizatas paucillum, quibus cum cooperiunt calcem extinctam, sic relinquunt, donec calx dehiscat, pro signo mutue actionis, tunc commiscunt, affunduntq; aquam, ut massa humidior fiat, juxta regulam; salia non agunt nisi dissoluta: tunc sufficienti aque quantitate, extrahunt alcali lixiviale igneum (igneum dico, consumpsit enim in momento, bulliens hoc lixivium ebrium hominem, cum laneis vestibus, ut nil repertum fuerit, præter lineum indusum, & duriora ossa, ut accepi à fide digno, hujus artis professore) quod lixivium igneum, *Magistram* vocant; qua tanto alcali saturata, ut ovum in illa non submergatur. Ex eadem mixtura, fit & aliud lixivium, minus saturatum, quod ovum non sustinet, cum ultimo hoc, oleum vel pinguedinem (alcali contrarium, acidum enim occultum continet, ut apparebit paulatim) primo commiscunt (propter suas causas) coquendo saponem, coquunt inquam lento igne, donec albescunt, tunc adjiciunt magistram in tripla (a) olei vel pinguedinis proportionem coagulat autem bulliendo oleum alcali, donec in unum corpus coeant, ut contraria & permixta, nunquam enim simul in eodem consistunt, sed semper alterantur (a) necessarium est etiam, qua ab ipsis secernuntur, ac producuntur dissimilia fieri, ex alcali nimirum manifesto, & acido occulto in oleo fit aliquid neutri, falsi saporis: lingua quandoq; explorant, si sapor dulcis addunt magistram, si mordax coqui debet, donec oleum absorpserit, sin verò mordacior, sensim addunt oleum, ad discretionem, ut docet Hippoc: spiritus alter inquit: (b) trahit alter protrudit, idem autem uterq; facit, & in utramq; partem tendunt, & sic hominis naturam imitantur.

c Similia similibus solvuntur.

ex calce & melle, fit mixtura qua callos pedum mortificat.

a. & auge- scit majus à minora Hip. lib. 1. de dieta.

a. Hipp. citato libro.

b. lib. 1. de dieta.

*Sal maris, quia non est corpus vacuum, ut alcalia, cum pinguedine in saponem non coagulatur, habet enim ambas facultates difficulter separabiles, ut postea ostendamus, ea de causa Nausicca, Alcinoi filia lavabat lintea ex fonte in maris littore, ut habet Homerus 6. Odys.*

Plura non addo, nec castigo, ex hoc Capitulo; in quo panè oblitus fuit *Reformatoris*. Ipsa rei dignitas perorabit. Vos interim, *veritatis amatores*, ridete, quòd hoc nostro sæculo, omnium anteaكتورum ingeniosissimo, crepundia sint secreta, sint stupenda, inaudita, & novi Hippocratis mysteria, ex magno experimentorum & observationum cumulo extracta.

## CAPITULUM V.

inscribitur:

*Vitrum componit & dissolvit, pag. 19.*



Demonstranda, novissimi falis viperini, antiquissima fundamenta, tota etiam ars vitrificandi debet adduci. Puto, quòd paulò post ad Sutoriam confugiturus, & Cerdonem acturus sit. Sed nihil magis artificiosum, quàm quòd ubique citat Hippocratem Coum, & sine hæsitatione, mentitur *Fabulator*, dum tantum virum passim nugarum suarum cupit esse arbitrum, & Mecænatem. Tritam igitur, vulgarem, & omnibus obviam mechanicam, & vitrariam, hoc capite recenset admirandus hic Artifex; quasi verò Lippis & Tonforibus nota non satis esset: cum tamen (*admirandorum & inauditorum promissiones*) longè alia, & Chymico digna, ex suo Præceptore, *Helmontio*, de vitro agitare potuisset. Quà nimirum ratione solidissimum vitrum aliàs, igne & aère invictum, labentibus tamen annis, terræ defossum, diffuso ejus sale, fracedinem admittat, ac fatiscat, solâ superstitie arenâ: quâ ratione Magnes opacitatem ei tollat, ac è viridi pellucidum reddat; cum tamen ipse Magnes, vitreæ massæ adjunctus, rubeo colore saturatus sit, ac diverso quasi feratur Magnetismo: dum non ferrum, sed opacam aëris portionem, è vitro trahit, intra fornacum incendia. An vitrum in concreto cinis & arena sit; an corpus, per ignem, neutrum, & nova creatura. An vitrum, substantiæ solidæ, poros tamen non admittat; quod nobis svadere videtur constans ejus, sub aquis, splendor & fulgor; dum ignitum vitrum undis immergitur; carbo interim, in instanti, sub aquis resistitur. An, per additionem, tractabile vitrum reddi possit & flexibile: & admissâ ejus possibilitate, an id per homogenea, an verò heterogenea, accidere possit. Et innumera talia, de vitrificatione, Philosopho digna, sub Problemate, enodare potuisset mirabilis Chymicus, *Tackenius* noster. Sed abundè satisfecisse sibi visus est, modò vitrum ex eodem filice, regulâ à contrario; non autem via humida, ut sapo componi, dixerit. Interim tamen, postquam ea, quæ, Murani, à Mechanicis edidicerat, palàm fecisset, ad Reformatorem, & vitri ulationem, deflectit, & ait: *Tunc caperunt veteres vitrum in silicum pulverem (a) reducere per extinctionem, in acidum salem, cum felici successu. Hanc reductionem & preparationem planè Hippocraticam & ingeniosissimam, vocat Reformator: (b) more suo Levidensem, inutilem ineptam (ulationem nimirum vitri Augustanorum) & omni jure explodendam. Videant inquit: quàm turpiter se dent tales philosophi putatitii, & sermocinales, qui vera philosophia destituuntur, & in quantos ruant errores, ut non solum illis, qui penitus naturam ejusque penetralia scrutantur, sed & rusticis ipsis, imo lippis & tonforibus,*

a. vitri ulatione.

b. fol 732.

pharmac.

Monstruosus

sermo, monstruosi ingenii est index

ait noster

nec Galenus.



*Tantumne est ab re tua otii tibi, ali- na ut cures?* nec non vetulis & anis, se deridendos propinent. Vitrum hoc modo preparatum (pergit Reformator aculeis pungi) sine periculo, aut detrimento, agrotis, licet illud protinus non senserit, exhiberi minimè potest.

Terent.

Ego verò probabo, contra Reformatoris frivola fundamenta eum, qui docuit vitriustionem recte, illumq. sensisse à calumniis, quibus illum aspersit vindicabo, & præcipuè contra illud; Quod vitrum hoc modo preparatum, & sine periculo, aut detrimento agrotis exhiberi non possit.

a. Vitrum unde habet suum com- poni, in id per idem su- um habet resolvui.

b. In appen- dice phar- mac. Reg. fol. 136.

Curiosulus reformator qui in anti- quorum pe- ctore, oculi gestans, suas interim er- rores non videt.

a. Simpliciti- vera prapa- ratio & co- gnitio totius hominis vi- tam prope- modum sibi requirit.

Accipe ergò vitrum clarum, pellucidum, illudq. pluri, & vitro (a) simile, al- cali liquato, postea aëre humido expone, & reperies mox totum vitrum resolvi in a- quam, huic affunde sufficiens acidum, id est Alkali contrarium, & cadit silicium pulvis. Hic pulvis, amplius vitrum non est, sed silicium pulvis, quem reformator abhorret, & sine detrimento agrotis non exhiberi asserit: immemor, quod silicium pulverem Regi- nis (b) commendat ad generandum Lac.

Veteres separandi artem, mortalibus divinitus concessam non habebant, per- discursum tamen hanc cognoscebant, extinguere itaq. ceperunt vitri pollinem, in cine- ribus stipitum fabarum, quorum sal est ex acido falsus, ut mox ostendam, extinctio- nem repetebant, semper novo cum cinere, pulveremq. vitri aqua abluebant, ita ut, qualibet extinctio fuerit Vitri vel Alkali destructio, illudq. abluebant, & rursus ex- tinguebant, donec fabarum cinis, omni alcali destruxerat, & impalpabilem pulverem relinquebat. Hic pulvis est silicium, sicut ille, qui supra cum alcali liquatus, & cum acido præcipitatus, quem reformator plebeis per os exhiberi tuto non posse putat, & ut dixi in Regnis lac generare promittit.

Hæc in præparatione (a) quam Reformator ex ignavia & inscitia Levidentem appellat, latet profunda naturalium rerum notitia, ut paulatim apparebit, & nullo modo ejus assumptio est timenda, ut falsè docet reformator. Sed plurimum igno- rantes, timere plurima necesse est.

Sed quis non ingemiscat, tam absurdis & frivolis, tot e mentitis, refu- tandis ac explodendis Tackeni sententiis, tempus tibi & eripi? Cogor iterum, nò sine verecundiâ, fraudes & imposturas, textus adulterationes, absurdissima dogmata, hujus Chymiastræ revelare; non absimili modo, ac de fale Theria- cali factitatum. Viam igitur Regiam noster Neo-Hippocrates, quò liberius mendaciorum plaustris, ac calumniis, in me vehi possit, sibi apparat; dum textum meum, *Animadvers. edition. Noricæ, pag. 418. col. 2.* turpiter mutilat & detruncat. Quærit, secundo, latibula, & tenebras, Nequiculus, dum inful- so, vitioso, & caliginoso stylo suo Vitri inversionem docet, & meritò ab ejus lectione viros Sapientes arcet; prout etiam epistola sua de famoso liquore Alkahest, practica verat. Quis enim penetrabit, quid sibi velit hoc: Accipe vitrum cla- rum, pellucidum, illudq. pluri, & vitro simile, alcali liquato. An hæ sunt tuæ al- legoriæ, & metaphoriæ, de quibus superius gloriabaris? Ego quidem sen- sum (quem Tackeni Mercenarius assequi non potuit, ac ideò etiam commata neglexit) penetro; interim tamen aliud non eruo, nisi mille absurditates. Primò enim recolat *Mysteriosus Hippocrates* tritum illud suum, & quod sæpe sibi accinebat, nimirum: *Vitrificantia cum vitrificantibus vitrificantur.* Et illud Magistri optimi, *Helmontii* sui: quòd vitrum sit rerum ultimum, & ipsa mors rerum. Hoc tu nihilominus, *Tackeni*, discipulus supra Magistrum, resuscita- re tentas, & postliminiò reproducere illibata ejus principia? sed concedamus tibi hoc miraculum, quid resuscitabis: & quid compendii, & lucri nancisce- ris? Salem alcali à silicibus separas, (quod impossibile, & falsissimum) juxta expressissima verba tua, *pag. 21. lin. 5. & pag. 22. lin. 17.* Et filex, lapis, separatus à suo alcali, quid est? Tuo suffragio, & formalibus: prior filex est; sed non pristinus filex est; sed est reverà filex calcinatus: quod unicuique manifestum est. Verum quid est, aut quid connotat, filex calcinatus? Calcem, & nihil, nisi

nisi calcem. Ergo vitrum in prima sua principia constitutiva, & realia, postlimiò nullâ arte revocari, aut resuscitari potest: quoniam extremam ignis torturam, & activitatem iteratò perpeffum, in aliud ens, cum suis constitutivis, commigravit; unde regressus dari nequit. Quid igitur ingenii, & artis, in hac metamorphosi seu anastasi, & vitri in prima principia reductione, sit, facile cuilibet pater. Cogor proinde non tam Hippocraticam, quàm fanaticam, stultam, seu *Tackenianam*, industriam hanc, omnium penè Chymicorum & doctorum virorum assensu, nuncupare. Sed indulgeamus infantiæ tuæ, *Tackeni*, ac dato, non concessio: vitrum in primogenea sua constitutiva posse reduci, in silicem nimirum: demus etiam, in alcali. Quid inde mysterii? Quid portenti? Quam Panaceam hinc erues? Quid proficies, silices primum, in vitrum, addito sale alcali, liquando, purificando, ablatâ spumâ, vel felle vitri, seu tuâ axungia vitri, & sale Anatron Crolliano, (quod longè præstantius est omni vitro calcinato) & denuo vitrum paratum, ac perfectum, addito pluri alcali, vitro simili, (dic iterum, *Oedipe*, *mysteria portans*: quid sit alcali illud vitro simile; ut & vitri ustulatores tua mysteria assequantur. *Alcali enim vitro simile* esse non potest; aliàs non esset alcali. Nam est implicanti in adjecto) liquando, aëri humidiori exponendò, ut vitrum totum solvatur (dicere debebas, ut jam totum hoc compositum; non tantum, aut solum, vitrum) affundendo porrò toti huic composito, aut liquori, sufficiens acidum, id est, alcali contrarium; ut denuò ex hoc liquore, & vitro, uti putas, resoluto præcipitetur, & cadat, silicum pulvis? Post tot igitur molimina, & irritos conatus, quid emolumenti, quid commodi effecisti? Si nihil aliud accepisti, nisi silicum pulverem præcipitatum simplicem; uti ipse affirmas, & reverà, à parterei, nihil, nisi silex calcinatus, ac emortua calx, est, per præcipitationem rerum destructivam enata: quid igitur his tuis nugis proprium Caput destinatum fuit? Quid stultè in Reformatorem involas, & nequitias illi tuas affricare gestis, *Curiosule*, (stylo tui marginalis utor) *Nequicule*, *Tackeni*, qui in Reformatoris pectore oculum gestas, tuos interim absurdos errores non vides? Edisfere, *Philosophe*, an non satius foret, ipsos silices, qui præstans sunt remedium simpliciter tritos (lege artistamen præparatos) in calculo, & pluribus hisce, morbis, exhibere, quàm post vitrificationem, & ultimam partium constitutarum mortem, & recessum (uti, cum *Helmontio*, firmiter teneo) multis dispendiis, & tantis laboribus, in calcem redactos, cum sic nihil nisi calx sint, naturæ & vitæ humanæ inimicissima & ex toto hostilis: uti sæpe jam comprobaui. Quare his maturè & Philosophicè consideratis, falsum est, & absolutè nego, quòd tuus, *Tackeni*, è vitro calcinatus, & præcipitatus pulvis, sit silex, & substantia silicis indestructa ac inviolata, è qua virtus & efficacia vitri & silicum resplendat; sed, quòd sit calx, vitæ inimica, gleba inutilis, terra effœta & mortua, ex contrarietate solventium & præcipitantium liquorum, lixivialium & acidorum, exorta & resultans; consimili planè inutili artificio, & lege, ac Corallia, Perlæ, Oculi Cancr. aut ipsi etiam Silices, spiritu aliquo acido, vel aceto, solvuntur, roduntur, & contrario quodam liquore præcipitantur, ac, totali sui corruptione, in calces mortuas abeunt, neutiquam ampliùs resolubiles, ac ad pristinum Esse reducibiles; nihil minùs, quàm pristinam virtutem & efficaciam referentes. Hac eadem lege præcipitatus pulvisculus tuus, ex vitro, nihil minùs est, quàm silex indestructus; neque prioris naturæ & efficaciæ, sed calx emortua, pulvis effœtus, nullius energiæ aut virtutis, indissolubilis, nec revocabilis unquam in vitrum diaphanum, quod prius erat, medicamentum noxium, pondere saltem suo ventriculum & vitalia aggravans, si intra corpus assumere contingat, omnem sanitatis medelam denique eludens. Hic, pace tua, *Impostor*, furtivo tergo tuo cretâ appingam, quod nequiter, in sequentibus, mihi adscripsisti:



Ibo ad Medicum, & me toxico morti dabo.

Ibo ad *Afinum*, *Tackenum* & *Musicam* addiscam. Ibo ad *Imposforem*, & veritatem experiar. Ibo ad *Ignorantem*, toti Europæ promulgatum hominem, ut ibi scientiæ, literaturæ, Chymicæ, & artium prærogativam & famam apprehendam. Disce prius, quàm doceas; informa te, antequàm Reformatorem refutes; & melius stude meis Animadversionibus, quæ tuos errores & absurditates refellunt, & innumera utilia, de Præcipitatis Pulveribus, tradunt advertenda.

Porro scribis, *Neo-Hippocrates*, pag. 22. lin. 25. *Veteres separandi artem, mortalibus divinitus concessam non habebant, per discursum tamen hanc cognoscebant, extinguere itaq. ceperunt vitri pollinem, in cineribus stipitum fabarum, quorum sal est ex acido falsus, ut mox ostendam, extinctionem repetebant, semper novo cum cinere, pulveremq. vitri aquâ abluebant, ita ut, qualibet extinctio fuerit vitri vel Alkali destructio &c.* Pauca quidem, sed argutè, *Tackeni*, attulisti: dubito tamen, impudentius ne, an stolidius, hæc dixeris. Quis enim non demiretur abortivam Philosophiam tuam, & anile commentum, quo nobis modum calcinandi vitri tradis? Profectò D.D. Augustanorum vitri ustio, seu combustionis & præparationis modus, multis parafangis, & rationibus his (quos narras) abusibus tuis præferendus; quibus silices præcipitas: quod facile demonstro. Nam Veteres, te multò sagaciores, extinxere vitrum in pollinem redactum, & candefactum in acervo: hoc est, in lixivio, facto ex cinere stipitum fabarum, & quidem toties, quousque non resplendebat, & intra digitos attritum, asperum non esset, neque, intra os repositum, strepitum, vel sonitum, dentibus ederet, nulla prævia destructiva præcipitatione, aut separatione à lixivio, seu ablutione prorsus ridiculâ; prout tu stupidè præcipis, in tua divinitus, profectò, revelata Praxi ac Methodo. Probè novè Veteres, in acervo, seu lixivio, facto ex cinere stipitum fabarum, quod cum vitro remaneret in extinctione, vitrumque veluti solveret, potiores vires residere; hoc, inquam, separare totaliter à vitro extincto, calcinatum & extinctum vitrum toties abluere, omni alcali, seu sale stipitum fabarum privare, ingentis esse stoliditatis: quod tu tamen palàm, & ex cathedra, *novus Hippocrates*, profiteri non erubescis. Deinde ubi gentium, in quo codice, legisti: quod Veteres vitri pollinem extinguere ceperint in cineribus fabarum? Quâ ratione, & quomodo, potest vitrum candescens in cineribus restingvi? Insanis? aut quo Enthusiasmo, aut ecstasi, hæc scribis? In acervo, in lixivio, ex cineribus stipitum fabarum parato, extingvitur, non in cineribus. Ulterius: unde probas etiam, quod pulverem vitri extincti abluerint toties, quoties extinxerint? Est iterum novum hoc paradoxon, seu figmentum tuum. Pœnâ igitur Talionis dignuses, qui hæc probra in Veteres, ac D. D. Augustanos, conjicis, tuæque eos insanie participes reddis; quasi & ipsi huic stupidæ, & destructivæ vitri exustioni subscripsissent: cum interim aliud longè eruamus ex textu D.D. Augustanorum; quem tu in totum corrumpis & adulteras. Vides igitur, verissimum esse, quod Græcus ait: καλὸς Θεόκριτος ἢ μόνον ἀνθρώπων οὐκ. Hoc est: Bonus Theocritus haud solus hominum videt. Ita argutus *Neo-Hippocrates* haud solus Chymicorum sapit, ac videt, in hâc temporum caligine; prout inanes pagellæ ipsius magno gloriolæ pruritu, ac ridendo conatu, demonstrare nituntur. Prius igitur te à mendaciis, & mille absurditatibus, immunem reddito, & Augiæ stabulum tuum expurgato, antequam D. D. Augustanos vindices, & Reformatorem refutes. Longa enim tibi diffluit à tergo mantica; quod tam sint perspicuæ, & manifestæ, absurditates tuæ, ut non egeant curiosulo (prout, pag. 23. in margine, scribis) qui in pectore oculum gerat. Agminatim, & ultrò, occurrunt, palpanitur, & oberrant ubique. Scurriliter igitur egisti, quod imbelli calamo, & phanatico

tico stylo, chaos tuum, seu furtivas collatiunculas, & Authorum repotia, seu *novissimi Salis Viperini antiquissima fundamenta*, sine sale, *Vipera*, edideris contra Reformatorem; cujus vigilias, & Animadversiones, tota haec Europa, sibi proficuas fuisse, testata est. Ne igitur mirere, quod tuas ingentes calumnias, & injurias, ad quas te nunquam stimulavi, durius excipiam, ac vertiginoso capiti tuo acrius, ex veratro, lixivium apparem. Tales enim talia decent labra lactucæ, & talia caput talia ferra. Interim quæ, *p. 22. l. 19. & pag. 23. lin. 14.* scribis: quod lapides, ac silices, lac generare Reginis promiserim, in meis Animadversionibus; hoc falsum est & probrosum mendacium. Cita locum, signa paginam, *Nequissime*, in qua simpliciter Reginis promiserim silicibus lac generare, & indiscriminatim quidem omnibus silicibus. An ignoras, *caliginosè Chymice*, quod non omnes silices tutò usibus internis destinentur; sed illi solum, qui molles, friabiles, qui cultro atteri, & faciliè contereri possunt, è quibus, chalybe alliso, scintillæ non eliciuntur, securè exhibeantur ad lac generandum, ac reliquos affectus, tam divitibus, quàm pauperibus; ipsis non tantum Reginis, sed Deabus etiam, (aut si Venetæ tuæ Veneres id expeterent, *Tackeni*) magno emolumento, & successu? Denique: argumenta tua vox sunt, prætereaque nihil: ac

Stultitiæ est index lingua; mensque tuæ.

In fine hujus capituli, *pag. 23. lin. 20. & seqq.* iterum obgannit mihi *Tackeni*: quod ex ignavia, & inscitia, præparationem hanc (sive vitri ustionem) *Reformator Levvidensem* dicat: & quod profunda hic lateat rerum naturalium notitia, ideoq; ejus assumptio non timenda: & plura irrita. Ad quæ aliud responsi non occurrit, quàm, ut amicam veritatem fatear, pro quâ hætenus vindicandâ pluribus, in supra dictis, certavi, & uti confido, luculento omnium Sapientum suffragio, contra iniquum *Tackenium* evici: fateor, inquam, hanc præparationem *Levidensem* me vocare; imò & stolidam, ac tanto *Æsculapio* dignam: prout fusiùs supra demonstravi. Propero itaq; ad nostri *Hippocratis*

## CAPUT VI.

quod inscribitur:

### RUMOR SINE CAPITE.



Propositè, & proprio etymo; uno hoc desiderato, ut non solum caput hoc, sed totum opusculum, brevi, sed nervoso hoc lemmate condecoraret, ac titulum præfigeret scriptor: *Ottonis Tackeni Hippocrates Chymicus*, seu RUMOR SINE CAPITE. Ne proinde L.B. lateat, quid sibi velit hic rumor sine capite, potius integrum textum hujus capituli annectere placuit. Ait autem, *pag. 24. cap. 6.* Circumfertur & modus eliciendi ex silice calcinato vim diureticam per alcali destructionem, id est per regulam alcali contrariam, cum spiritibus acidis, hac via. In spiritum salis, frustulatim injiciunt calcem vivam, qui statim ab alcali calcis absorbetur magno impetu, & vehementi ebullitione, phlegma insipidum evocant, & calcem acido sale saturatam, in crucibulo levi igne fundunt, & in mortarium frigidum percolant, frigesactam tundunt (igneas scintillas tum spargit) in pulverem, ex quo, aqua calida, salsedinem eliciunt, hanc purificant, & coagulant, & rursus sponte in liquorem salsum destuere sinunt, non inutilem. Reperiuntur autè sophistæ & impostores, qui promittunt, hunc liquorem distillare per alembicum; miscent nimirum dictum liquorem calcinatis silicibus & pulverizatis, in quadrupla proportionem, & distillant aperto igne, in spiritum acidum, quem spiritum calcis *Basilii*, per verso nomine appellant.

Videamus nunc, cujus sit filius, dictus distillatus spiritus. Primo absorptus fuit, spiritus salis, ab alcali vitrificante, & in igne constantissimo.



Deinde acida pars silicis, per aquam fuit separata, & rejecta, sub facum larva. Tertio Alkali fixum silicis vel calcis, combibit acidum salis spiritum, sitque sal ex volatili acido, & fixissimo alcali.

Quarto, commiscet hoc sal cum silicibus calcinatis, id est cum calce viva, quæ ditior est alcali quam acido, ut ostendi in vitro & sapone.

Et licet hæc mixtura urgeretur igne validissimo, quid aliud exillare posset quam acidum volatile? id est, idem spiritus salis, quem alcali absorpserat.

Hunc spiritum, viri celebres, & docti commendarunt in podagra & lithiasi, tanquam quid singulare, eventu tamen plane euanido. Sed Basilius sinistre intellectus non scripsit impostoribus, ea propter ab his iniquè, pro falsario proclamatus. Rectè itaq; monet comicus si sapias, quod scis nescis.

Addo huic examini.

Natura nil  
quicquam  
habet occultum,  
in hoc  
sublunari  
globo, quod  
medicinam  
spectat, ut  
Hippocratico,  
hæc metho-  
do, non  
manifestum  
fiet.

Quod hæc methode, quilibet processus, tam chemicus quam Medicus potest ingenio & discursu probare, & verum à falso discernere, sine expensis ullis, & temporis perditione, postquam imbutus fueris hæc Hippocratica doctrina, quam brevi compendiolo hic trado, nec amplius ab impostoribus, sophistis & deceptoribus circumveniri; imo hæc methode, poteris, operando, & libros scribendo per omnia tria regna, animale scilicet minerale & vegetabile, in hæc naturali Hippocratica vera & antiquissima philosophia, recto tamite progredi sine errore ullo in infinitum, nec seduci! ut in progressu fateberis.

Quamquam, in hoc capitulo, genericè, ac neminem determinando, calumnias suas prosequatur Tackenius, suppresso Reformatoris nomine, forsan scopum quærens, in quem sua tela jaciat & convitia, in concavo lunæ; nihilominus tamen eadem operâ hunc subibo laborem, ac ad ineptias quasdam, quas in hoc capitulo affert, respondebo. Non suscipiam quidem causam Sophistarum & Impostorum, de quibus loquitur, pag. 24. lin. antepenult: qui promittunt, uti dicit, liquorem ex calce viva cum spiritu salis distillare per alembicum. An autem tales dentur, aut qui nominentur, qui hæc attentant, ignoro. Patet tamen hujus hominis pessima affectio, & paronychia, quæ homines rabidos, canes efferos reddit; ut, semper irrequieti, obvia quæque arripiant & discerpant. Sic Tackenius, dum Reformatori non nihil indulget; erga alios interim linguam exasperat: ne quid desit malitiæ. Hæc autem, de spiritu diuretico, dissertatio (an sit Basili, vel alterius, non decido) quam sophistas parare, aut adulterare, dicis, meliorem requirunt discursum, doctiorem Chymicum, & Philosophum, ac tu es, Tackeni, si pro rei dignitate argumentum tractari debeat. Ego hoc labore supersedeo; cum extra forum nostrum sit: ne in immensum occuper. Non possum tamen præterire superciliosum & arrogans hujus Sophistæ marginale, in quo audacter ait: *Natura nil quicquam habet occultum, in hoc sublunari globo, quod medicinam spectat, ut Hippocratico, hæc methode, non manifestum fiet*, pag. 26. Ecce! plus quàm Salomon hic, qui ab Hyssopo ad Cedrum, quæ est in Libano, cognovit omnia, nihil hæsitans. Ecce proto-parentem! cui infusa scientia. Ecce Luciferum! cujus indumentum Sapientia, quam quidem superbia, neutiquam doctrina, æmulator. Profectò tibi, Tackeni, ævi nostri Æsculapio, aram erigere convenit, laudabili Veterum exemplo. Sed, cum quisquiliis tuis, harà interim contentus esto. Non enim sapientum, & Hippocratis, more nos doces, sed adversus viros doctos grunnis. Profectò, Divinus noster Senex, (cui antonomasticè, ac per eminentiam, Medicorum principatus attribuitur) tam temerarium non est ausus edere aphorismum, ac hic Sophista ac Nugator attulit, quasi omnia sibi paterent: quin potius, humanè memor imbecillitatibus, magno artis fastigio, magnis inscriberet literis; EXPERIMENTUM DIFFICILE,

ARS LONGA. Verum prudens Lector adeat libellum ejus, ac, velut ex signo rem, ex linea hunc Apellem cognoscat : legat, inquam, confectaneum ejus, fol. 26. quod ipse inscribit : *Addo huic examini.* Ex quo manifesta ejus deliria resplendent, nugæ, vanitates, ac rumor sine capite, non sine risu legenda. Accedo ad

## CAPUT VII.

quod inscribitur :

*Qui benè distinguit benè docet.*

**I**N hoc capite vel maximè prosequitur institutum suum, ac promissis satisfacit ; illudque *mirandum, jucundum, absconsum, & occultum à sensibus hætenus*, tandem revelat ; diversa alcalia, scilicet lixivialia Salia, edocendo. Hoc unum argumentum sufficeret, ad demonstrandum, quod Impostor sit, & rumores venetur. Quid enim notum magis Pharmacopœis ? Quid Tyrones, pro prima lectione, ediscunt prius, quàm, quod unum vegetabile ab altero distet plus minusque ; acriorem, ac mordaciorem, ac quasi igneum, magis salem foveat, & obtineat, &, ut exemplo illustremus, quod, v. g. Herba Kali Egyptiorum, aut Soda Hispanorum, stipites fabarum, quod ramenta vitis, Tartarus, & illè magis, vel minus, calcinatus, acrem magis, & mordacem, obtineant salem ; helleborus verò lignum Sanctum, China, saraparilla &c. è contra in minori quantitate, tum etiam minus mordacem præbeant salem ; ad unum tamen omnes acidis contrarium, quia purè falsum ? Adjungit postmodum marginalia quædam, quæ *nihil ad Rhombum* sunt : &, dum legi illa, occurrit mihi illud tritum Germanorum adagium : Pueri & Stulti ubique parietes collutulant ; seu, ut Latini jocantur, festivo illo : Stultorum manus depingunt latera domûs. Nam per totum Opusculum illa marginalia sunt merè incisa, levitates, & atomi, ex vacuo cerebro evolantes, indigna gravi, ac seriis intento viro. Ex horum censu est & illud : *Segnius irritant animos, demissa per aures ; quàm quæ sunt oculis subjecta fidelibus.* pag. 27. Ergo : *qui benè distinguit, benè docet*, quod erat demonstrandum, juxta Capitis titulum. Eruat, qui vult, hanc consequentiam : meam Dialecticam hoc artificium exsuperat. Pergit deinde ad demonstrandum, ac ostendit per mechanicam, uti dicit, quàm mira sit illorum salium lixivialium differentia, nimirum : *Dissolve unciam semis mercurii sublimati, (qui ex acido & alcali in falsum est mutatus (a) permixtione) in a.* Hipp. lib. I. *de diætâ.* *aque communis destillata, uncis quinquaginta ; in particulam hujus claræ solutionis, guttatim, sed celeri lapsu, stilla, alcali tartari fixum, (est liquor tartari sponte resolutus) qui in momento dividit compositum, absorbet acidum, & Mercurius illico petit fundum obscure rubens.* Secretum, profectò, nulli revelatum, à constitutione mundi : dignum, quod obsignet magni Coi autoritas. Quare & Hippocratem, Avum suum, allegat iterum, ex libro primo de diætâ, in marg. pag. 27. Videtur mihi primò, quod & nihil ex Hippocrate legerit Tackenius, quàm solum, de Diætâ, librum primum : Secundò, & quod hæc citatio apogrypha sit. Nam sedulo Hippocratem volvi & revolvi, sed nihil horum reperi, cujus mechanicam Senex noster foveat. Quinimò huic Proto-Chymico irascitur, quod tam confidenter se suum Hippocratem vocet, ac ad Saponariam Coadjutorem velit, indignum tanto viro opificium. Mihi interim testimonium dabunt Pharmacopœi, quod artificiosa hæc Mercurii solutio, uti & illa præcipitatio Mercurii, sit verissi-



verissima, sibi quæ ac suis Tyronibus, ac pueris nota & tritissima; nec absconsa à sensibus hætenus, & cognitione.

Attamen ulterius audiamus, & scrutemur, quid mysterii sub tot involucribus & figuris lateat. Metuo, ne nux cassa sit, sine nucleo. Primò, si consulamus Tyrocinia Chymica, inveniemus, hunc secretissimum processum, ab Hippocrate Chymico delineatum, ubique sub titulo Mercurii præcipitati in momento, vel Turbith mineralis rubri, descriptum esse. Et nihil tritum magis, & vile, cum Pharmacopœis, tum discipulis, quàm sublimatum citò, vel quasi in momento, præcipitare, oleo tartari per deliquium factò affuso; quod oleum tartari Hippocrates Chymicus (ne forsan Impostores audiant, vel intelligant, imposturam) *Alcali Tartari fixum* appellat. Ut autem notum per ignotum explicet, aut notum planè ignotum reddat; ait, in parenthesis: *Est liquor tartari sponte resolutus*, pag. 28. lin. 5. Oportebat enim novum Hippocratem recentibus quoque, & novatis aphorismis instructum, luci donari. Igitur, dum adhuc Pharmacopœum agebat, & trivialem Medicum, Scapham baptizabat Scapham, & liquorem hunc, appropriato etymo, Oleum Tartari per deliquium indigitabat: factus autem Hippocrates (*impostor*) hoc, per deliquium, Oleum Tartari *alcali Tartari fixum* nuncupat, ac demum, factò nequitiae progressu, *Liquorem Tartari spontè resolutum* designat. Sed quis non videt, quàm sit impropria hæc locutio? Nam primò: Oleum Tartari spontè resolutum non est adhuc alcali Tartari fixum. Debet enim prius ab humiditate sua elementari, per evaporationem, liberari, donec reducat in alcali fixum, hoc est, in siccum salem Tartari. Nam elementaris humiditas, quæ à sale tartari evaporat, & potior pars hujus liquoris est, non est fixa, sed sal, seu alcali, illi inhærens. Secundò: Tartarus non potest sponte sua in liquorem resolvi, nisi prius calcinetur: est ergò hic liquor Tartari calcinati spontè resolutus. Hæc, quæ attuli, levia sunt, magni tamen ponderis factum ac superbiam arguunt, nec non invidiam, quâ posteritati injurius, obvia quæque celavit, Deo, proximo, ac sibi infidus Tackenius.

Alterum magis consideratione dignum, in hac simplicissima Mercurii sublimati solutione. *Dissolve*, inquit, *unciam semis Mercurii sublimati (qui permixtione ex acido & alcali in salsum est mutatus) in aqua communis &c.* pag. 27. paragr. ult. Ex contextu hoc si parenthesis tollas, talia addiscimus, quæ Tyronum vulgus passim crepat, Lippis nota & Tonforibus. Est enim Mercurius sublimatus vulgi, & ejus solutio in aqua, communis, omnibus obvia & trita; Parenthesis autem popularia hæc limitat, & à genere ad individua trahit; hoc est, nota & notissima, velut inducto peplo, obscurantur, & verborum amphibologiâ omnibus notissimus Mercurius sublimatus redditur ignotus ac extraneus; adeò, ut etiam exercitata & sapientissima ingenia ambigant, quid novata hæc sibi velit Philosophia. Falsissimum enim est, quòd *Mercurius sublimatus ex alcali & acido in salsum sit mutatus, à permixtione*. Et, quod amplius est; ineptam hanc ac impropriam locutionem magni Hippocratis auctoritate fulcire nititur, ex libro 1. de diata, jejunos Philosophaster. Quis enim ignorat, quòd Mercurius sublimatus ex toto corrosivus sit, beneficio mineralium & salium acido-salforum, in corrosivum tale, & summum quidem, conversus, sublimatione & solutione: ad quod opus alcali nullum accedit, tanquam omnibus acidis contrarium, & eorum destructivum; prout ipse Hippocrates novus, pag. 27. lin. 21. disertissimè asserit, & sequentes, prorsus lamentabiles, probationes ejus, ex hoc fundamento contrarietatis, acidi nimirum Mercurii, & salium purè salforum, seu lixivialium, procedunt? Reincidunt igitur querelæ nostræ, ad raucedinem & fastidium Lectoris prolata: quòd Tackepius ambitiosus ac lividus nugator, nec non nequitiosus Idiotæ sit, quem

quem salium differentiae, & rerum analyses latent : quo errore prævento ipsi perinde est ; sal acido-salsus sit, seu purè salsus, seu sal volatilis, seu fixus, lixivialis, seu sal Alkali ; communis, an nitrosus, vegetabilis, an animalis, seu denique mineralis : omnia, uno novato etymo, alcalia illi sunt, & alcalia perseverant ; stat pro ratione indoctâ voluntas, & autoritas novi Hippocratis. Cum interim tanta sit inter prædicta salia differentia, quanta inter nigrum & album, quanta inter privativa & positiva. Quâ igitur ratione subsistet hujus Capituli præfixa inscriptio : *Qui benè distinguit benè docet* : cum ipse legislator sit foedifragus ; ac portentosus Hippocrates errores, & mille artis hæreses, è suggestu edoceat ? Si novus Dictator noster, & è Stoâ Cous, rem mihi communicasset, priusquam abortivum hanc suum embryonem, & Chymicum Theriiten, enixus prælo fuisset, tria illi verba in aurem dixissem, ac author fuisset, ut reformasset multis erroribus imbutum cerebrum, revolvendo, quid Zwelferus, de Salibus, pag. 67. usque ad pag. 74. Append. ad Animadversiones, dictasset ; profectò tale monstrum nunquam peperisset. Sed surdo nunc cano fabulam ; illi, cui semper illud Apollinis in ore :

Inventum Medicina meum est, mihi creditur illa :

quanquam, re jam conclamatâ, sera in fundo sit parsimonia, juxta illud : Posteriores cogitationes sapientiores ; aut, uti melius Persius, *Satyr. 3.*

Helleborum frustra, cum jam cutis ægra tumebit,  
Pascentes videas : venienti occurrere morbo.

Actum est ; te, velut deploratum, sustinemus, & insanum lugemus. Hæc per modum parergi, & marginalis, in aurem tibi, *Tackeni.*

Tandem si & reliquas alcalium probationes, & differentias, cum soluto Mercurio sublimato, pag. 28. exactè consideremus ; experiemur, etiam illam differentiam colorum, in præcipitando Mercurio, non tam à proprietate seminali, ut ita loquar, vel proprietate substantiæ cujuscunque vegetabilis, emanare ; sed potius ab intensa, vel remissa, calcinatione cinerum vegetabilium, tum eorundem extractorum salium lixivialium aut alcalium : uti videre est in sale Tartari. Et hoc ipsum innuit Author, pag. 29. lin. ult.

Porro, pag. 29. lin. 5. & seq. iterum Paradoxum affert Hippocr. Chymicus, sic scribens : Cum verò idem Mercurius præcipitatur, alcalibus ex herbis cephalicis, ut rorismarini lavendule &c. hæc, quidem sunt alcalia, sed non cinerum ut priora, at multò volatiliora, hæc inquam dejiçunt quidem Mercurium rubidum lucentem. Quid igitur audio denuò inauditum & absconsum hætenus, alcalia ex herbis esse quidem alcalia, sed non cinerum, ut priora, at multò volatiliora ; & tamen præcipitant, seu (ut author, altiori stylo, loquitur) dejiçunt Mercurium rubidum lucentem ? Hoc paradoxon mihi videri, fateor, nec non implicare : Esse simul alcali, & non esse, nec ex cineribus esse. Nullum enim dari potest alcali verum, nisi ex cineribus, seu calcinatis vegetabilibus, extrahatur. Et ipse auth: Hippocrates Chymicus, alcali ex Roremarino, pag. 27. lin. 20. inter alcalia fixa reliqua, ex cineribus parata, expresse numerat : nec alcali volatile esse potest, quia cineres, è quibus elicitur, magnam ignis torturam passi sunt. Ergò iterum implicat, quia ex cineribus sal, seu alcali volatile, extrahi nequit.



Progreditur author, pag. 29. lin. 14. *Sic chelidonia habet alcali mirabile (ut non sine mysterio laudetur à Paracelfo & Lullio, ejus quinta essentia (quam tamen cæli donum existimo) id est hujus salis spiritualis alcalisatus liquor &c.)* Quale ingenium; talis genius; qualis sermo; talis Magister: obscurus loquitur obscurissima. Oedipo profectò opus haberem, qui mysteria panderet, ac tot parentheses parentheses arceret. Neque enim intelligo, quâ ratione huic obscurissimo sermoni de salibus lixivialibus vel alcalibus, unicuique Pharmacopœo notis, imò Tyronibus jam attritis, competat illud marginale, quod aliàs de Lapide Philosophorum loquitur, ac sic sonat: *Qui non gustaverit salium sapes, nunquam perveniet ad optatum fermentum fermenti, inquit Rosat: Author.* Proh! quantum fortè in alcalibus *Hypocr. Chymici* latet fermentum fermenti Rosarii; imò ipse Philosophorum Lapis, cum omnibus, quæ multis suspiriis, & indefessis precibus, multi inquilivè! Profectò miranda & inaudita, sed Tyronibus & discipulis nota, edidisti, *novæ Hippocrates*, talia nimirum, quibus si obscuritatis larvam, & mendaciorum temeritatem, demas & subtrahas, puerilia sunt reliqua, ac cachinnis digna: ea tamen eximo à mea censurâ, quæ ferè paribus verbis ex magno Helmontio, nonnunquam etiam Libavio, depeculatus es; quæ cum tuis absurditatibus disparia sint, velut ex ignobili massa, & quisquiliis tuis, proprio nitore emicant, & consurgunt. Sed quid immoror, cur tam levibus negotiis tempus fallo?

Sienim totam machinam, & miraculum hoc Chymicum, ad calculum revocemus; aliud non deprehendimus, post tot arroganter à *Tackenio*, 7. *hoc capite*, allata promissa, quàm, ut Mercurius corrosivus, simpliciter solutus in aqua simplici, per salem aliquem purè falsum ac lixiviale, quem *novus Hippocrates* alcali appellat, denuò ex solutione præcipitur in pulverem magis vel minùs rubentem; quem pulverem sæpius edulcoratum Tyrocinia, & Pharmacopœi, Turbith minerale rubrum, vel Mercurium præcipitatum rubrum dulcem, flavum, vel croceum, à colore, indigitant; qui color autem accedit à salibus illis alcalibus, lixivialibus, quatenus magis vel minùs calcinati sunt, vel propius ad naturam salis Tartari, aut salis alcali veri, accedunt. Efficitur autem illa præcipitatio propter contrarietatem liquorum acidorum & purè falsorum salium; quia in vulgari Chymia omnibus Tyronibus notum, quòd, quando acidi & falsi (subaudiendi purè falsi) liquores junguntur, unum destruit aliud. Ita etiam hæc accidit: ut sal, sive Tartari, sive alterius vegetabilis cujusdam sal lixivialis sit, acidus spiritus, Mercurio sublimato junctus, in solutione ejus, & sublimatione, destruat, inque aliud quoddam esse convertat ac immutet; quibus acidis spiritibus destructis, Mercurius à vinculis, quibus ligatus, solutus, vel liberatus, fundum petit, &, ut author loquitur, *dejicitur*, in forma pulveris rubicundi, vel etiam albi. Acidi enim spiritus, licet corpus aliquod minerale, vel aliud quoddam, cum impetu solvant & arrodant; majorem tamen gerunt hostilitatem in salia purè falsa, utpotè Tartari, & lixivialia omnia alcalia, volatilia etiam animalium. Et illa salia, è contra, in spiritus acidus cum impetu feruntur, & agunt; adeò, ut, ubicunque se mutuò attingunt, acidi spiritus prius solutum corpus deserant, & salia alcalia, seu lixivialia, manifestâ hostilitate aggrediantur; ubi eadem ferociâ dicta salia in spiritus acidus, reciprocando, agunt; ut ex mutua illa actione & reactione, ex duobus illis, acidis nimirum spiritibus, & salibus lixivialibus purè falsis, neutrum quid, & mitius, resultet, neque purè acidum, neque purè falsum, sed veluti acido-falsum, impotens tamen, ut prius solutum corpus in gremio suo contineat, sed

totum

totum in fundum delabi sinat, in forma pulveris. Et hæc sunt præcipitationis illius fundamenta, cui *Hippocrates Chymicus* tam speciosam destinabat panegyrim, *verbosus Encomiastes*, ac laudis amore tumens: quasi verò in his tam arcanis & inauditis totius Chymiae verteretur cardo; cum interim trita & obvia nostræ artis sint principia, & quilibet Pharmacopœus non solum has simplices Mercurii, sed & reliquorum Metallorum, tum etiam rerum ustibilibum ac destructibilium, (utpote Perlar. Corall. &c. de quibus, in sequentibus, pluribus agemus) solutiones & præcipitationes optimè nôrit, & nihil notius sit in Officinis, quàm, ut si quando acidi & falsi liquores, intellige, puri falsi, confunduntur; ex contrarietate horum, & actione ac reactione, seu passione, (quodnam autem horum in aliud magis agat, vel repatiatur; sub iudicelâ est) neutrum quid fiat, & ambo in novum velut ens, & novam creaturam demigrent, quod ens neque purè falsum, neque acidum est, sed quasi nitrosi saporis; uti apparet in præcipitatione, seu præparatione, Tartari Vitriolati, & aliquali fixatione salium volatilium, sive fuliginis, urinæ, sive viperarum sit; sive ex sale Armoniaco, aut ex ossibus, carnibus, aut sanguine sint parata. Adeoque nihil novi, nihil mysterii hîc latitat, de quo nos ter Hippocratestamen, tam ampla & magnifica præfatus, tanta miracula promittit, nullam interim methodum, ac artis leges, aut limites, observans, sed omnia confundens, salia nimirum volatilia, salia communia, salia lixivialia, ad unum omnia alcalia nuncupans, quæ cuncta non tantum magnam in artē accersunt caliginem, nec non Chymiam prostituunt, sed etiam ex natura rei implicant: ratio est; quia alcalia salia ex fundamento, & rei naturâ, solis cineribus ex herba Kali (cujus magna penus Venetiis prostat, ex Ægypto translata, ad saponem & vitra apparanda) competunt, postmodum vero, per quandam analogiam, ad lixivialia salia extenduntur; quatenus etiam ex herbis & vegetabilibus incineratis & combustis extrahuntur, ideoque alcalia nuncupantur: quod, uti dixi, non proprio etymo fit, sed analogicè; idque à paucis practicatur. Præsupponunt autem omnia alcalia, aut lixivialia salia, combustionem aut incinerationem rerum, è quibus extrahuntur; & differunt insigniter à reliquis aliis quamplurimis salibus, utpote à sale communi, vel Gemmæ; aut Maris, quæ salia terræ, acido falsa & fixa sunt: à sale Armoniaco, qui etiam acido falsus, sed volatilis; à salibus porro volatilibus animalium purè falsis; à salibus item nitrosis, peculiari studio è determinato solo decoctis, qui etiam acido falsi; & tandem à salibus etiam aëreis, quasi nitrosis, qui ex aëre, à rebus summe calcinatis, utpote è capite mortuo Vitrioli, ad extremam calcinato, alliciuntur, sibiq; corpus assumunt. Quæ enumerata salia omnia nullam præsupponunt incinerationem, aut extractionem sui è cineribus; proptereaque nullo modo sunt alcalia, & ab his quàm longè dissident, cum essentiâ, tum actione, ac modo operandi. Horum autem salium differentias theoricè, ac ex fundamento, tractavi, in *Appendice ad Animadv. loco supracitato*, ex quo Philosophi, sapientiæ ac veritatis amantes, omnem capient satisfactionem. Talia enim inserui, quæ cum Chymico, tum Medico, & Pharmacopœis, dignissima. Ex quo satis mirari non possum hebes tardumque ingenium *Tackenii*, quòd hic cavillator falsa salia (uti desumo ex ejus doctrina) è censu salium proscribere vult, ad decipiendum saltem, quasi salia non essent. Sic enim, pag. 30. lin. 19. loquitur: *Salsa autem, cujuscumq; sunt generis Mercurium non præcipitant ex dicto soluto, & quo falsis vicina minus acidis nocent.* Quæ verba Authoris paradoxa nonnullis videri possunt, in re ipsa tamen falsissima sunt; & præcipitant etiam Mercurium sales communissimi ex sua dicta solutione, licet minus potenter, ac remissius: largiori proinde quantitate solutioni Mercurii infusa,



infusa, illum in albicantem pulverem præcipitant, qui *Mercurius præcipitatus albus* dicitur, vel *Turbith minerale album*, prius tamen edulcoratum, ab omni falsedine ac acrimoniâ liberatum. Igitur termini Authoris, prout simpliciter sonant, accepti, involvunt contradictionem & implicantiam; scilicet: *falsa quo falsis viciniora minus acidis nocent*. Hoc inter terminis repugnat, & ex naturâ rei, arguitque decumanam ignorantiam artis & naturæ, quia ex essentia sua, & natura, falsa acidis contrariantur: intellige purè falsa; quibus purè falsis salibus nomen salis rectius competit, quàm salibus acido-falsis: quod omnibus notum, nec eget alio aphorismo *novi Hippocratis Chymici*, qui per parabolas nobis loquatur, & evangelizet, ac *salia* (utor usitato Artis, non Grammatices, termino) *salia* inquam, *alcalia*, seu *lixivialia* non *salia*, & mox iterum *salia* appellet & indiget; nec non ea, quæ multis seculis clara & indubitata extitere, umbris suis, æquivocationibus, & captiosis terminis, obscurer, *Sophista*. Neque etiam opus habebat dictus *Hippocrates Mimus*, Mercurii sublimati unciam semis, in quinquaginta unciis aquæ communis destillatæ (tanquam pro Panacea sua, & Anti Venereo medicamine secreto & hæc in aures!) dissolvere, & tandem tot diversis salibus alcalibus levidentes suas probas, salibus alcalibus solutioni Mercurii infusis, instituere. Compendiosius multò, & arti conformius, ea omnia experiri licuisset, quænam *salia* *lixivialia* ignipotentiora, (sic ipse loquitur) vel magis ac minus ad naturam veri alcali accedunt, aut etiam in igne diutius retenta fuere; si Mercurio sublimato, in pulverem saltem redactò, *salia* dicta *lixivialia*, in liquorem saltem resoluta, affudisset, & illicò effectum extemporaneum spectasset.

Subintro nunc Augiæ stabulum, dum *novi Hippocratis* ignobiles doctrinas, exempla, contradictiones, quas, pag. 31. 32. 33. 34. 35. affert, nescio, an indignabundus, an in risum effusus, perscrutor. Fateor n. tam obscura sunt, & tam clarè falsa, ut refutatione partim nonegeant, partim non digna sint: & volumen totum expeterent. Jam enim *salia ex herbis diureticis omnibus, stipitum fabarum, genista, hypericon: &c. acido-salia* proclamat; quod falsissimum: *alcalizari acri flamma*, etiam falsum est; quia non demum alcalifantur, sed acriora fiunt, *ignipotentiora*, *Hippocratis novi* etymo; unde differentia colorum ex parte, in ejus Mercurii præcipitationibus, accidit acortum habet. Paulò antè verò omnia hæc *salia* non *salia*, sed *alcalia* voluit. Jam verò iterum: *Salia cinerum, ex classe vulnerariarum, ut betonica &c. fundere planè falsum salem*, dicit, ob id vitrificatione inepta, & Mercurium non præcipitant, qui (scilicet Mercurius) ejusdem est saporis. Proh! quantu mendacia! quàm absurda! Omnia autem dicta *salia per fusionis ignem mutant naturam, fiuntq; alcalia, vitrificantur, & Mercurium præcipitant rutilum*. Et, ut honestus hic vir benè subsistat, teste eguit, quem reperit. En! adest. Hinc Zoar, super Exodum notat quòd ex quovis cinere vitrum paratur. Sed hæc est contradictio priorum, quòd *salia* *lixivialia* per fusionis ignem mutant naturam. Addit autem perversè *Hipp. novus: id est, quando in alcali reducuntur*. Quasi verò Zoar ignorasset cineres, & salem alcali. Sed venite, & spectate, Senatus Populeque Academicæ, typum, ideam, ac simulachrum homuncionis, Philolophastri, ac hominis crassæ ignorantie: audite, quem spectastis, nunc loquentem Idiotam, Tackenum, pag. 34. lin. 8. ubi ait: *Quod veterum ille doctissimus, qui vitrum ignitum in cineribus stipitum fabarum extinguere jussit, & non in sale ejus, rectè vitri usionem instuit, ne nimirum ab imperito reformatore, sal imprudenter alcali naturam indueret*. O sapientiam! (parcite: & sit venia verbo) O stultitiam! dicere volebam; ô incuriam! ô deliria, & mendacissima dogmata! Quis est ille doctissimus Veterum? Designa illum morionem, qui tui imaginem & stulticifero

titiam & præfert? Quis tibi par doctrinâ & talentis, *Tackeni*: qui cum Lucifero jam pridem exaltasti solium tuum, ascendisti ad latera Aquilonis, ut esses similis Altissimo? Omnis decor indumentum tuum, & lapis preciosus operimentum tuum; vicaria sapientia, experientia, *inaudita, nova, admiranda, stupenda, & invisâ* doctrina tua, in folio, & ex pag. 7. cap. 1. : Quis unquam ausus se Hippocratem promulgare: quis Divini Senis diademati infidiari? Procul dubio sapientissimus Europæ, Urbis, Orbis, *Tackenius*. Ergo ille Doctissimus Veterum novissimi salis Viperini author est: tu es ille probrosus vir, jocus puerorum in Gymnasiis, ludus & fabula tyronum Pharmaceutices: tu es, *Tackeni*, qui vitrum in cineribus stipitum fabarum extinguere jussisti; & tu solus hoc doces ac defendis, *Veterator*. Ubi unquam legendo aut practico hoc præceptum assecutus es, quo cavetur, ut vitrum in pollinem redactum, & candefactum, extingvatur in cineribus siccis? Mereturne hæc operatio extinctionis nomen, si vitrum ignitum super cineres conjicitur? Cur Veterem illum Doctissimum (ex concavo Lunæ ortum) cur etiam D. D. Augustanos, tot monstrosis figmentis & hyberbolis, viros innocuos, lacestis? Hujus enim dogmatis veritas, est D. D. Augustanorum, quos defendis, impunitas. Quis mentem assequi potest, quâ ratione vitrum, subtilissimè tritum ac ignitum, cineribus injectum, illisque commixtum, denuò è cineribus erui ac separari, & ex atomis atomi colligi possint; maximè pro secundâ, tertiâ, & repetitâ vitri ejusdem ustione, & extinctione. Profectò stupida sunt hæc phasmata, & inaudita, *novæ Hippocrates*. Præceperunt D. D. Augustani, pag. 417. m. *Animad.* ut vitrum subtiliter pulverisatum ac cribratum, ac in olla ferrea ignitum super prunas, extingvatur in acervo, factò ex cineribus stipitum fabarum: & hoc toties repetatur, donec optimè in cinerem sit redactum. In acervo? In acervo: in acervo (*Domine Hippocrates* ausculta, aphorismum loquor) factò ex cinere stipitum fabarum, hoc est, in lixivio, factò ex cinere stipitum fabarum, D. D. Augustani, & si quis dixisset Veterum Doctissimus, vitrum extinguere præceperunt, non in cineribus. Imponis D. D. Augustanis, malus caufidicus es, turpior *Hippocrates*, *Tackeni*, Rudis enim solummodo notâ Arcadiæ linguâ; minimè Apophorismos nos doces, ut in lemmate tuo promissisti, sic Philosophando. Et quid sonat hic rugitus, & hæc tua eruditio? *Non in sale ejus, rectè vitri ustionem instituit: ne nimirum ab imperito reformatore sal imprudenter alcali naturam indueret.* Risum teneamus Amici. *Veterum illi doctissimus non in sale stipitum fabarum vitri ustionem rectè instituit: & cur? ne sal stipitum fabarum imprudenter alcali naturam indueret ab imperito reformatore.* Certè si sal hic alcali naturam demum indueret, id sanè non ab imperito, sed à peritissimo, Reformatore accideret, qui vires, naturam & causalitatem ignis exercebat. Juxta te enim, mendaciorum immemor *Tackeni*, in igne, & per ignem, salia alcalisantur; ergò non per Reformatorem. O imperite Philosophe! Jam demum incusas salis stipitum fabarum imprudentiam. Vides, quas nœnias & nugas, quas fabellas, ad colum à vetulis recenferi solitas, publicis typis evulgaris, ridiculus magis, quàm Æsopi commentator, aut, cum aureo Asino, Apulejus? Profectò: *Inimici hominis, domestici ejus.* Nam si vel ab hoste consilium sollicitasses, deterius famæ tuæ consulere non potuisset, quàm svadendo, ut hæc novissimi Salis Viperini stultissima fundamenta prælo (teste ære perenniore) subjiceres, sicque toti Europæ ludibrio te exponeres. I: perge, & innocuo Viro, D. Hellwig Dieterico succense, quòd famosum liquorem tuum Alcahest typis mandavit: nunc tibi ipsæ, *novæ Hippocrates*, insultat. Nam: perditio tua ex te; nec recedet malum à domo tuâ.



Prosequeris institutum tuum, pag. 35. lin. 15. *Sal ex viperis, Mercurium non præcipitat.* Etiam hoc veritati imponis. Nam verus sal volatilis viperarum præcipitat Mercurium, æquè benè, ac alia salia volatilia animalium, Urinæ, Ossium, &c. uti ipse asseris. Crediderim tamen ego perfacile in favorem, quòd neque Sal Tartari, aceto saturatus, Hippocratis Chymici magnum secretum, hoc præstet.

*Salem Absinthii esse ex acido falsum*, pag. 35. l. 19. Hoc iterum falsum est; falsum quoque, quòd *Mercurium non præcipitet*: uti etiam falsissimum, quòd *spiritum Vitrioli non absorbeat*, nisi priùs alcalisetur. Quia à prima sua origine è cineribus est extractus, ergò alcalisatus, & sal lixivialis est, ut reliqua salia lixivialia omnia; neque requirit ex natura suâ, ut denuò alcalisetur. Denique tot spuria dogmata, mi Tackeni, enixus es in hoc novo Hippocrate tuo, semper Compatrem tuorum monstrorum, & abortivi fœtus, innocuum Divinum Senem, ex libro 1. de diætâ, exorando, ut me & tædeat, & pudeat, plura ulterius producere, ridenda nostris, dedecorosa tuis. Audiamus tamen adhuc elegantem textum ac paragraphum, pag. 35. lin. 29. *Hinc discitur: fortiori igne, quam rei natura fert, fixari, & in neutrum verti. Fiunt itaq; quamplurima solo ignis regimine, non quidem ut ex Orco in lucem auctum generentur, ut credit vulgus, hujus Hippocratica doctrina ignarus, sed saltem simplici alteratione subjecti, ut docet meus Hippocrates, lib. 1. de diætâ, illi que sciunt, qui internum cum externo harmonicè conjungere norunt.* Digna profectò, aureis quæ scribantur characteribus; digna, quæ ad Apollinis aram, Anathematis loco, suspendantur; atro (ut dicitur) dignissima calculo. Venite, properate, huc adeste, veritatis amatores, vos admiranda aspicietis, vos absconsa manibus vestris tractabitis, vos occulta audietis: cap. 1. pag. 7. Annon videtis, quòd vos Lumen, & Ignis fatuus, præcedat, Tackenius? Quòd Phaëthon hodiè Solis moderetur quadrigam? An vos latere potest candela supra modium, supra candelabrum, posita? Ut ut tamen se res habeat, ego, pro meo talento, ad hunc Solem, ad hunc ignem, ad hanc candelam denique, caligo; mihi tenebræ videntur & confusum chaos. Qui potest capere, capiat hanc doctrinam: ego me non fatigârim.

Iterum, pag. 35. lin. 19. ait: *Sal absinthii, est ex acido falsus, propterea Mercurium non præcipitat, ut neq; spiritum Vitrioli absorbet, ut docet reformator, sub titulo spiritus Vitrioli coagulatus; cum verò alcalizatur; Mercurium præcipitat flavum, & tunc etiam acidum spiritum Vitrioli absorbet & vitrificat, &c.* Brevishic est paragraphus, sed in compendio multa junguntur mendacia, superiùs notata. Contra reformatorem non habet de jure, quod latret; quia fundamentaliter de spiritu Vitrioli coagulato, pag. 454. *Animadv. edition. Noricæ*, scripsit. Nam sal Absinthii est de natura, & prosapia sua, sal lixivialis, è cineribus extractus: juxta Hippocratem novum autem, plurimis in locis, salia cinerum sunt alcalia omnia; & juxta ejus opinionem, non vera salia: quia solus sal communis propriè ipsi sal dicitur. Nam alcalia dicit esse vacua. Sic enim paulò superiùs docet: pag. 35. lin. 4. *Sal commune, Mercurium ex dicta solutione non præcipitat, & licèt per longum tempus & celeri flamma concremaretur, nunquam fieret alcali, ut neq; sub digestionem mutat naturam, est ergò ex omnibus perfectissimus, & non sine singulari prerogativa ab Helmontio, salium summus, vocatus.* Nunc, Philosphæ Hippocraticæ, si sal communis, qui est acido-falsus, nunquam mutat naturâ, ac, etiamsi celeri flamma cremaretur, neutiquam fieret alcali; qua ratione igitur sal absinthii, qui, juxta dogma tuum (falsissimum) eadem hâc pagina, lin. 19. etiam est ex acido falsus, & propterea, ut asseris, Mercurium non præcipitat; uti nec spiritum Vitrioli absorbet; quomodo, inquam, ille tam citò alcalizari potest, ut spiritum Vitrioli absorbeat, & Mercurium præcipitet;

cipitet; cum sal communis, qui etiam est ex acido falsus, alcalizari nequeat, neque naturam suam alteret, etiam si celeri flammâ cremaretur? Spectate iterum, Audit: novi Hippocratis nova absurda, de sale Absinthii, quod sit acido-falsus, & tamen sal lixivialis; quod *implicat* in terminis. Quam verum est illud Philosophi! Commisso uno absurdo, sequuntur infinita; ita etiam hic sequitur alterum, quod *sal communis non precipitet Mercurium*: uti supra dictum, sed experientiæ refragatur. Falsum est ideò, quod *sal Absinthii sit ex acido falsus*. Hoc enim experientiæ & rationi contrariatur, ex natura rei, ac parandi modo, quod ex cineribus sal merus acido-falsus extrahatur. Falsum est, quod *sal Absinthii Mercurium non precipitet, nisi prius alcalisetur, ut neque spiritum Vitrioli absorbeat*. Implicat, & involvit contradictionem, unum salem-acido falsum posse alcalizari, & alium, ejusdem rationis & conditionis, tam falsedine quam aciditate æqualem, nullo modo posse in alcali converti: & plura hujus prurientis Philosophi ridenda commenta. Revolvat B. L. *meas Animadversiones, loco supra citato*, & reperiet, magno fundamento me, de spiritu Vitrioli coagulato, tractatum absolvisse; & tamen, etiam post omnem industriam, ab hoc iniquo homine tumultuosè lacescitum esse; quum nihil tam sacrum sit, quò sacrilegus non adrepat: ut ait Seneca. Pergit, *fol. 36. lin. 19.* Lazari Riverii Febri-fugum, & secretum, quisquiliis suis admiscere; quasi & illud ex fundamento alcalium erui posset, & ipse hujus Panaceæ foret arbiter & Secretarius; quia, uti dicit, *pag. 26. in margine, natura nil quicquam habet occulti, in hoc sublunari globo, quod Medicinam spectat, ut Hippocratico, hac methodo, non manifestum fiet*. Sed novimus hoc genus hominum audax, & ambitiosum; fucos quærit. Non credimus tibi, *Tackeni, fanum habes in Cornu*, ut ait Satyricus, & *alienis plumis te ostentas*, Pavo. Jam pridem magnificus Vir, Riverius, cavir, ne tam sagaces Thra-fones, & comilitones Tui, *recentissime Hippocrates*, talium secretorum arbitri forent: tumulavit hoc secretum ferreo sarcophago, ac de foris cellæ inculpsit eandem epigraphen, quam, ad lucem perpetuam repertâ Patavii, asserit Petrus Apianus, *Mathemat. Ingolstadt: libr. antiq. Inscription: quæ ex illo sic sonabat: Abite hinc pessimi fures! Vos quid vultis, cum oculis vestris emissitis? Abite hinc vestro cum Mercurio petasato, caduceatoque. Donum hoc Plutoni sacrum fuit: Riverii arcanum Deo & probis consecratum*.

Plurima præterea, in capite hoc, absurda profert, quæ iteratò Divinus Cous, ex libro 1. de diætâ, cohonestare deberet: sed frustra medemur diætâ, ubi malum serpit ex inanitione, & cerebri vacuitate. Ideò & ego imposte-rum ab his nugis me abstemium geram, breviori calamo & verbis reliquas nugas pertransiturus, eaque ferè saltem succinctè retorsurus, quibus Reformatores nequitiosè arietavit. Caput itaque hoc septimum, & totus textus, ut pateant; totum hûc adscribo.

*Pro majore lumine, & intelligentia, opera pretium erit alcalium differentiam, & quid sit contrarietas, vel acidorum absorptio & imbibitio, priusquam progrediar, ad oculum demonstrare.*

*Sunt autem, ut dixi, varii gradus & species salis alcali fixi, ut tartari singula-ris privilegii, tiliæ, coryli, omnium quercuum genera, & quæ in Noruegia, Litua-nia & Muscouia in desertis ex viridibus lignis in cineres alcalizatas exuruntur: item omnes herbe calidæ & oleosæ, ut rosmarinum lavendula ruta &c. omnia unico ver-bo acidis sunt contraria, illorumq; destructiva, quorum differentiam ostendit sequens mechanica.*

*Dissolve unciam semis mercurii sublimati (qui ex acido & alcali in falsum est mutatus à (a) permixtione) in aquæ communis distillatæ, unciis quinquaginta; in particulam hujus claræ solutionis, guttatim, sed celeri lapsu stilla, alcali tartari fi-*

*Signis irri-tant animos, demissa per aures: quàm quæ sunt o-culis subje-cta fidelibus.*

*a. Hip lib. 1. de diætâ,*

*xum*



xum (est liquor tartari sponte resolutus) qui in momento dividit compositum, absorbet acidum, & Mercurius illico petit fundum obscure rubens.

Alcalinum fixarum mira differentia.

Ex aceti fecibus calcinatis, elicitur cum aqua, alcali tartari, & licet ex eadem viti cum vino productus, Mercurium tamen precipitat rutilantem & splendentem.

Cum vero idem alcali, arte ad rubedinem calcinatum fuerit tunc cadit idem Mercurius, ut cinabaris contritus.

Tartaro exusto si calcem superaddis, & alcali extrahes, aqua simplici, tunc Mercurius cadens, rutilat.

Ex herba Cali extractus, Mercurium precipitat multo obscuriorem priori.

Lixivium, quod saponarii magistram vocant, quod constat ex calce & alcali quercuum, dat Mercurium obscure flaventem.

Ex Hispania adfertur alcali, incertum, utrum simplex an compositum, Mercurium tamen precipitat fulvi coloris.

Cum vero idem Mercurius precipitatur, alcalibus ex herbis cephalicis, ut rosmarini lavenderule &c. hæc, quidem sunt alcalia, sed non cinerum ut priora, at multo volatiliora, hæc inquam dejiciunt Mercurium rubidum lucentem.

Qui non gustaverit salium sapores, numquam perveniet ad optimum fermentum fermenti, inquit Rosas: Auhor.

a. Arsenicū (à Paracelso vocatur fuligo metalorum) fixatū cum nitro, & resalutū nō excipitur. Balsamus Samech.

Sic chelidonia habet alcali mirabile (ut non sine mysterio laudetur à Paracelso & Lullio, ejus quinta essentia (quam tamen cæli donum existimo) id est hujus salis spiritualis alcalisatus liquor &c.) & dejicit Mercurium rubicundissimum. Vasculum hoc ex incuria neglexi, neq. lavare jussi, post, mensem circiter, in liquoris summitate, effloruit color aureus chelidonei flore non absterilis (striarum more coaluit ut nitrum) non sine spectantium admiratione.

Exempla hæc docent, alcali, quo ignipotentius, tanto obscurionem cadere Mercurium, eò, quod in ipso absorptionis puncto, igneum alcali, ferit ejus sulfur, fulguris instar; quò autem longius, ab igni potentia recedunt, tantò lucidior cadit, adeò, ut volatilia alcalia, fuliginis (a) nimirum & omnium animalium, Mercurium candidi & nivei coloris, ex dicto soluto precipitent, quæ omnia in progressu clariora evadunt.

Si Mercurius à Balsamo samech precipitatus, cadit nivei coloris, parum in flavedinem vergens cum verò affuderis plus, quàm ejus natura confert, tunc rutilat.

Salsa autem, cujuscunque sunt generis Mercurium non precipitant ex dicto soluto, & quò salis viciniora minùs acidis nocent.

### En Exempla.

Alcali salis petreæ, licet ejus prima origo ex alcali urina; cum sulphure autem, in alcali fixatum (sapitq. ideo quodammodo falsum) Mercurium sic solutum, turbat quidem, non autem precipitat. Cum verò huic mixtura pulverizata, & priusquam deslagrat additur alcali quoddam fixum, & exsiccatum (tartari) supra, blando igne teneatur, tunc sulphur primò liquat, & pingue acidum sulphuris, ad fugam se preparans, ab alcali quoque pingue avidè combibitur, ut in lactis sulphuris preparatione (humida via) contingit: per durante interim calore; liquatur etiam nitrum, ejus sulphurea & inflammabilis pars, associatur suo simili; sulphuris nimirum pinguedine; imò avidè ab alcali excipitur (cujus media pars, respectu specierum sufficit; ut (a) nitri; partes tres Alcali tartari; partes duas. Sulphuris pars unica) fitque falsum. In salsa hæc massa, bullit uterq. sulphur, igneq. perseverante & aucto; flammam concipiunt, quæ tunc in accensione angustum locum in sale, non perfert, adeoq. cum fulmineo fragore, in auras erumpunt. Hæc sic se habere docet relictum aliquando alcali, præsertim quando non in concavo; sed in plano, & longa mora accenditur, quod, ab acidis spiritibus, in falsum mutatus, & Mercurium amplius non precipitat. Obiter hîc. Quod

Ex hoc fundamento, etiam CERAVNOCRYSON strepitum edis.

Spiritus

*Spiritum enim nitri, in alcali, tartari nitrum fieri, alibi ostendi. Aurum* Aurum ful-  
*est fere totum sulphur (suo modo) ut suo loco mechanice quoque demonstravi, ob id* minans.  
*non corroditur ab acidis. Auro itaq; soluto, in aqua salsa, ex nitro, alumine & sale-*  
*armoniaco vel communi si paulatim (non confertim) alcali quoddam instillarveris,* a. hac est  
*acidus spiritus nitri (spiritus aluminis vel vitrioli in aqua fortis destillatione non* causa quod  
*ascendit) in alcali vacuo sibi corpus assumit, & fit naturale nitrum. Nitrum* Aurum in  
*autem sulphureum (a) Auro sulphureo ex similitudine, in humida via facile ad ha-* spiritu salis  
*ret, & commiscetur, adeo ut nulla ablationis arte separentur, id est, cum acidum* solutum &  
*nitri ab alcali combibitur; coagulatur in nitrum naturale, quod reperit sulphur* idem alcali  
*in auro soluto; cum illo, eosdem scilicet mores habens, ut utar verbis Hippoc: coagu-* precipitatum  
*lum suscipit, ut in calce ostendi. Cum vero plus de alcali affuderis, ut nitri gra-* nora sit ful-  
*dum superet tunc etiam nitrum in Alcali desleat, & aurum fulminans amplius* minans, re-  
*dici non potest, quod in progressu clarius. Nunc unde digressus redeo.* dit enim in  
sal quod

*Sic etiam fel vitri (b) eundem contaxit saporem, ex aciditate silicis, fit salsum,* b. Anatron  
*Mercurium enim plane non precipitat.* collis in

*Talci Liqueor (non oleum, ut vult ignara vulgi turba, flammam enim non con-* lapide me-  
*cipit) Mercurium ex sua sede non movet: ut neque.* dicamento-

*Salia ex herbis diureticis omnibus, spiritum fabarum, geniste, Hypericonis,* fo. Suin de  
*Herniariae, urticae &c. omnes inquam sunt acido-salsa, & Mercurium ex dicta so-* verre Gal-  
*lutione non precipitant, cum vero Alcalizantur acri flamma aut fusione, tunc cadis* licea  
*rubidus.*

*Hinc liquet, quod veterum ille doctissimus, qui vitrum ignitum in cineribus*  
*spiritum fabarum extinguere iussit, & non in sale ejus, recte vitri ustionem instituit:*  
*ne nimirum ab imperito reformatore, sal imprudenter alcali naturam indueret, de quo*  
*supra dixi Cap. 5.*

*Salia cinerum, ex classe vulnerariarum, ut betonica Agrimonia, pyrola, vere-*  
*nica, stellaria, Achimilla &c. omnes fundunt plane salsum salem, ob id vitrifica-*  
*tione inepta, & Mercurium non precipitant, qui ejusdem est saporis, ut docetur suo*  
*loco. Omnia autem dicta salia per fusionis ignem, mutant naturam, fiuntq; alcalia*  
*vitrificantur, & Mercurium precipitant rutilum. Hinc Zoar, super Exodum no-*  
*rat, quod ex quo vis cinere vitrum paratur: id est, quando in alcali reducuntur.*

*Sal commune, Mercurium ex dicta solutione non precipitat, & licet per lon-* Salis con-  
*gum tempus, & celeri flamma concremaretur, nunquam fieret alcali, ut neq; sub di-* stantia De  
*gestionem mutat naturam, est ergo ex omnibus perfectissimus, & non sine singulari prae-* illo dici pos-  
*rogativa ab Helmontio, salium summus, vocatus.* test: proba-  
sti me per

*Sic sal ex viperis, Mercurium non precipitat, nisi rursus acidum & alcali ab*  
*invicem separentur, de quo infra.*

*Sal absinthii, est x acidum salsum, propterea Mercurium non precipitat, ut neq;* a. fol. yss.  
*spiritum vitrioli absorbet, ut docet reformator (a) sub titulo spiritus Vitrioli coa-* pharmac.  
*gulatus; cum vero alcalizatur; Mercurium precipitat flavum, & tunc etiam aci-*  
*dum spiritum vitrioli absorbet & vitrificat.*

*Hinc discitur: fortiori igne, quam rei natura fert fixari, & in neutrum verti.*  
*Fiunt itaq; quam plurima solo ignis regimine, non quidem ut ex orco in lucem auctum*  
*generentur, ut credit vulgus, hujus Hippocraticae doctrinae ignarus, sed saltem sim-*  
*plici alteratione subjecti, ut docet meus Hippocrates (a) illi que sciunt, qui internum* a. lib. a. de  
*cum externo harmonice conjungere norunt.* diam.

*Sic quoq; citra ignem, mutantur salia in diversam à natiuitate naturam, ut:*  
*confunde pro exemplo liquorem salis absinthii non alcalizati, cum resinarino, solutio*  
*fit lactea, & ambo in neutrum coagulantur.*



Riverii Fe-  
brifugum.

Hoc ex fundamento, procedit Lazari Riverii Febrifugum, hætenus paucis cognitum, nobis tamen licet illud nonnihil, manifestius, declarare. Fit inquam ex unico subjecto, alcali representante, & binis acidis, omnibus ignem nondum expertis; sed per exaltationem toties repetitam, donec ex nigredine iterum in candidissimum volatile (salsum artificiale, gustui non ingratum, conversum videas, cui postea additur quartus arletha (id est diagridium) ut constet in processu.

Sed quis potest metamorphosin enarrare, quæ ex salium permixtione exoritur? accedentibus illis huc, his vero illuc, & inter se permixtis, ut Hippoc.

a. lib. 1. de  
diata.

Alcali Ful-  
iginis sit sal.

Notandum, quod Sal Fuliginis, ex vegetabilium prosapia oriundus, Mercurium ex dicta solutione candidum spongiosum & leuem præcipitat, sicut omnium animalium alcalia volatilia, ut dicitur: sin vero in salia convertuntur, tunc non cadit amplius.

b. vide Ri-  
pleum Bac-  
conem &c.

Hinc concludere licet, quod ferè herbe omnes oleosæ & quæ calidæ appellantur, & sunt pingues, levi & simplici incineratione sal alcali edunt: cui si Hippocraticus propriam reddit pinguedinem, convertuntur arcana coctione, in salsum admirabile; quod tunc Elixir paruum vocatur à nostris (b) magnarum virium, in medicina, de quo suo loco. Reliquarum herbarum salia vel in imperfectè salsa vel in acida defle- ctunt; & acri flamma, aut fusionis igne in alcali vitrificans reducuntur.

Ad Octavum Capitulum transitum facio, quod inscribitur: *Fusoria ars* porrò, alcalia, acida absorbi docet. In hoc capitulo per pauca notanda veniunt, nisi quòd, dum metallorum fusionem & præcipationem tractat, falcem suam in alienam messem ingerit; cum hæc non ad Hippocraticos, sed ad Metallurgos, pertineant. Exempla, quæ adducit, trita sunt Tyronibus, nimirum: alcalia acida absorberi; hanc denuò igitur crambem toties repetit. Quæ de Regulo Antimonii affert, ut plurimum manca sunt, parum, vel nihil, emolumenti Tyronibus allatura. Transit iterum tamen postliminò ad consuetas cavillationes & calumnias, ac, ritu ignobilium ferarum, dum Reformatorem aggredi non licet, ex insidiis obvios laceffit, ac in Medicos passim sequentia jact, pag. 41. lin. 6. dum eos Ignavos Patres appellat, additque, lin. 12. *Hi à vulgo, idiotis & mulierculis simplicibus, canonici vocari amant*: quâ ironiâ, & sarcasmo, per decursum opusculi sui, traducit Medicos Dogmaticos ac Rationales, eosque ideò hoc epitheto designat, quòd, ut ait, quidam ex illis quæsierit ex Pharmacopola, *utrum Sal prunellæ ex prunis sylvestribus, vel domesticis paretur*. Ædepol! quanta in hunc virum perfectio commigravit! vix mihi non ultrò illud excidit, quod D. D. Knöselio Tackenius festivè objicit, in sua Echo ad Vindicias: *Tu, Tackeni, qui in templo spueres nefas ducis, mingis in altare?* Quantum est in Tyrone Medico, verbi æquivocatione in sinistrum sensum abripi, ut, pro sale Nitri, ac Prunellæ, Prunellam à Prunis derivari, autumet? Hæc sunt Juventuti & Tyronibus blando vultu condonanda. Sed heus, Aristarche! an non oportebat te misereri conservi tui? An non condonare aliquid delictis juventutis? An forsan immemores verborum tuorum, quòrum, in Epistolâ, ad D. Rotgerum Timplerum à Te datâ, & ab Excell. D. Helwigo Dieterico, bonæ memoriæ, publicè impressâ, inter cætera, formalia hæc erant: *Non possum non denuò precari, ut misero mihi atq; indigno, qui corrigias solvat, admissum scelus & crimen benignè condonare, nec nunquam ejus rei erga ullum mortalium mentionem facere velit. Hoc ut iterum deprecarer, assiduus mala conscientia stimulis nocte dieq; & sine remissione agitat & coactus sum. Et inferius: Væ tante miseria! væ væ commissi flagitii, peccati & criminis!* &c. Quid, inquam, ad hæc, D. Dieterico objiciente, ac te ultrò confitente, respondisti? Audi verba tua, in Echo ad Vindicias: *pe-*  
*nitens*

nitens facti, ad ipsum Timplerum literas misi deprecatorias, quas citas, ex quibus apparet non malitia, sed mera ignorantia, & pueritia errasse, nam pueri puerilia tractant. Hæc, inquam, suntne nova? His formalibus te purgabas. Et quid post tot v& & v& post tot stimulos, nocte & die, sine remissione; agitatus (difficiliter, profectò, ob pyra assa) excusationis attulisti, in tua Epist. ad D. Timplerum? Audi mox sic te scribentem: *Eheu juvenem me miserum! qui tum temporis, quod nunc experior, mente meâ omnino privatus, fallaciter & dolose seduci me (an Adamus ab Evâ?) passus sum.* Vides, mi Tackeni, delicta juventutis affers, & veniam speras, & nulli revelari, precaris: & benè egisti; forsân meritis veniam. Sic & tu juvenum Medicorum errata, qui docibiles Dei sunt & bonæ mentis, arguere non debebas publicis Typis, de Prunis cavillando; cum tu ad meridianum celsitaveris. Ecquid & tu, *Hippocrates nove*, haud ita pridem edoctus es; cur Nitrum, in crucibulo, super igne, sulphure frustulatim injecto fustum, per metaphoram, falis Prunellæ nomine circumferatur? Nimirum Chirurgi, qui Nitrum, præcipuè in crucibulo fustum, & sulphure purgatum, ac in tabulas redactum, vel maximè in Anginæ speciebus, quas vulgò die *Breun* cognominant; seu, quòd, velut Prunæ accensæ, anginosos exurendo, prodesse, experientiâ edocti sunt, ideò Tevtonica translatione, salem prunellæ, quasi ad Prunum, & Prunellam, specificum denominarunt; attestantibus pluribus viris doctis. Et hic tibi Canon, *Tackeni*, de Medicis Canonicis, sufficiat. Plura eventilanda hoc capite affers, nimirum, pag. 41. ad marginem: *Nitrum falsum fieri cum sulphure combustum.* Quod falsissimum. Item, pag. 41. lin. 4. *quod nitrum per alcali separatim vocari caperit sal prunella.* Hæc levia sunt; licet falsa cuncta: ideò & leni manu tango. Addo tamen integrum capitulum, ut Lector ex fundamento miranda & inaudita Hippocratis novi addiscat; & est tale:

## CAPUT VIII.

*Fusoria ars porro, alcalia, acida absorbi,  
docet.*



Mnia mineralia, cujuscunq; sint generis, qua metalla corpora absconsa gerunt, associata sunt acidis (sulphure nimirum vario) qua impediunt, quo minus metallum, ab impuritate fodinarum, segregari possit. In hac angustia, necesse est confugere ad alcalia, qua celerem præstent opem.

In pulverem itaq; reducunt minerale, idq; alcali commiscunt, ac in crucibulo fundunt; fusionem nitro accelerant, quod cum sulphure accenditur, ut pro parte deflagrat, pars vero, cum tartaro in alcali vertitur, istud alcali, absorbet omne acidum, quo cum alias metallum aufugeret sed hac via fatile petit fundum, id que arti-  
sta Regulum, id est purum metallum sulfuribus prius appellat: quod rursus sub  
cupella probatoria cum plumbo ulterius ad puritatem deducunt, de quo vide docima-  
sticos: mei saltem est de salium fundamentis loqui.

Dixi, metalla ab acidis mineralibus in fumum verti, quod in argento, fuso  
cum plumbo in testa, facta ex cinere lauta manifestum fiet: in hanc, frustula-  
tim injice sulphur, cujus aciditas cum fugit, etiam metallum in fugam vertit, quod  
recolligere licet, madido linteo in camino ex panso.

Aliud experimentum, quod probatur, metalla ab acidis minerali in fugam verti:  
est cementum illud quod Regale vocant, fitq; ex sale communi & laterum pulvere,



Aurum fu-  
git cum aci-  
do minerali.

Regulus An-  
timonii.

quo cum stratificant aureas monetas cupro ligatas, hoc in cemento, aurum, sine fusio-  
ne, dimittit cuprum, simulq; cum acido salis spiritu, in fumum abit; qui tamen etiam  
de auro non nihil secum auferit: sed cum spiritus acidus, puro gravatus tentans co-  
percula testacea transire, precipitatur aurum, & coperculis adharet, dum spiritus  
hæc rodit, quæ post ea conteruntur, cum argento vivo & aqua, quod aurum recolligi-  
git, & hero suo reddit, quando per corium ab illo separatur.

Quem ad modum mineralia metalla ferentia, in regulum eadem via ex Anti-  
monio regulus precipitatur, cum Tartaro nimirum & nitro, eo quod Alkali tartari,  
acidum sulfur ab Antimonio combibit purumq; regulum segregat.

Funditur quidem etiam antimonium, cum sale commune, sed hujus aciditas  
rodit antimonium in ignis tortura, elevatur in bullas minusq; cadit reguli. Hæc  
exempla de precipitatione in via sicca satis sunt.

Nitrum cum  
sulphure cõ-  
bustum,  
in angina  
magis nocet  
quam pro-  
dest. Salsum  
enim euadit.

Sic alcali quoddam, in aqua solutum (viam humidam appellant) ut semper a-  
cida absorbet, mundificat etiam salem petræ ab omni acido, quem ideo emunctiores me-  
dici in angina pro summo refrigerante elegerunt, ob id sal prunellæ vocari cæpit (qui-  
dam ex ignavis patribus, cum fortè laudari à nostris audivisset, sal prunellæ, accessit  
noctu ad pharmacopolam peritissimum: Sal prunellæ inquit: paraturne ex prunis  
silvestribus, vel domesticis? Hi à vulgo, idiotis & mulierculis simplicibus, canoni-  
ci vocari amant) coquunt inquam nitrum in lixivio alcalizato, donec gutta in frigi-  
do ferro, ut seuum constat, tunc in frigidum locum seponunt, sine effusione in aliud  
vas, & per noctem, in strias concrefcere permittunt nitidissimas & purissimas, quas  
sequente mane abluunt. Alkali enim, omne acidum nocivum & impurum ab illo ab-  
sorsit, sicut in humano corpore etiam contingit, ut docet Hippocrates. Primo de  
diata. Accedo ad

## CAPUT IX.

cujus inscriptio:

*Privilegium Alkali Tartari.*

Textus hîc sequitur:

Salis Tarta-  
ri præparati-  
o.

a. Aurum  
est fere to-  
tium sulfur  
minimum  
dat Mercuri-  
um, omni:



**D**ixi, quod inter fixiora alcalia, sal tartari gaudeat singulari privilegio, &  
licet sit corpus grave, terrestre, impurum, & sordibus inquinatum, di-  
gestus tamen, cum quocumque metallo, (a) per debitum tempus id con-  
vertit in Mercurium currentem, quod expertus, incredulis pro veritate  
affirmo, si qui verò credere id nolint, parum sollicitum me reddit.

Mercurius  
ex argen-  
to.

Amicus quidam, cum tartarum ex vino generoso, maturo, & claro, quarebat,  
eliciebat spiritum, & exhalare permittebat phlegma, crassum remanens ut syrupus, in  
frigido concrefcere permittebat, in tartarum pellucidum, quem exussit, & aqua com-  
muni, ut moris est, alcali extraxit, quod in liquorem sponte decurrere permittebat.  
Obtulit se occasio, ut hic in opinatè Romam pergere deberet, cum magno nominis viro,  
ut interim non periret prætiosus liquor, jussit famulo liquorem asservare, in tali vase,  
quod indicabat. Famulus per errorem, hunc fundit in aliud vas vicinam, simile  
priori, in quo erat argentum, in aqua forti solutum, cui superadditum fuit, salarmo-  
niacum sublimatum, & in aceto destillato solutum, pro alio opere inceptum, rediit  
amicus post novem menses, quærens liquorem tartari, sed cucurbita famulo assignata  
erat vacua; tunc Famulus, quod in vicinam infunderat; non autem ibidem liquo-  
rem, sed aridam terram (per novem menses exsiccata) invenit, quam bacillo te-  
tiguit. & magna pars Mercurii currentis sese manifestavit, tunc temporis, non credi-  
dit ex perfectis metallis Mercurium currentem fieri, sic persuasus, juxta axioma,  
quod facilius sit, metalla perfectæ construere quam destruere, & ex perimentum ne-  
glexit,

glexit, sibiq. persuasit, casu quodam Mercurium in vas incidisse. Tandem ex Basilio Valentino didicit, quod tartari sal, præ omnibus reliquis hanc haberet prærogativam.

Hoc experimentum confirmabat ingeniosus Helmont (a) his verbis. Senti inquit: cruditatem saturni pinguedine fixorum salium solubilem, sic que dividi partes compositi, ut crudum argentum currere permittit.

a. Tracta: potestas medicaminum. §. 40.

Tunc memoria subvenit, lixivium forte, quo cum vetule coquunt litargyrium, ad capillos denigrandos (quod habet etiam Porta in magia naturali) cui instillavi spiritum vitrioli, & statim alcali permittit metallum, in album pulverem cadere, quem reduxi in plumbum, certò itàque cognovi, quod alcalia, metalla calcinata, in horum ventre invisibiliter abscondunt.

Habito hoc experimento, pergit Helmont; Calcinata acerrima inquit: cum sale armeniaco resoluta, & tartaro putrefacto, dulcorantur: id est, vertuntur in Mercurium currentem, qui non est amplius acris vel mordax ut calcinata, sed lingua insipidus.

Nunc redeo ad sal tartari, quod liquoris forma in cucurbitam fuit fusam, in qua erat argentum aqua forti corrosus cum sale armoniaco. Hac omnia naturam mutarunt in salia neutra & diversa à priore statu; sic argentum non referebat amplius faciem argenti de quo Basilius (a) de tartaro:

a. libro de magno mundi miraculo.

Durch meinen geist, das sie sich rechen  
und alle metalle ganz zerbrechen.

Sicut enim omnia sublunaria, experientia teste, ex duobus, ACIDO nimirum & ALCALI constare (ut in hoc scripto mechanicè) ostendam: id etiam de argento intelligendum volo: huic argento, alcali tartari, per debitam digestionem & coctionem, tantum acidi Sulphuris absorpsit, quantum mercurio in argenti statu (ab eo nunc segregatus) pro sui constantia satiserat; in mercurii locum successit alcali (ad-  
ulterium vocant philosophi) quod ab argento amplectitur, perdit ideo formam & pulchritudinem & mutat ejus naturam; ita ut liquetur, levisimo igne, sicut plumbum, vel (sal armoniacum mislum cum calce silicum; vocatur que à Crollio (a) luna cornea, eò quod cornuum instar, Cultro scissilis est. Hæc cornea luna, licet centies aqua calida ablaeretur (b); liquareturq. celeri fluxu ex tartaro & nitro, separare tamen ab invicem possibile non esset, nisi in saturni balneo: in quo, quicquid argenti super est, reddit in purum; Salia autem, cum plumbo, in scoriam & litargyrium; quod etiam rursus simplici fusione in plumbum reducitur: scoria verò quæ salia erant in elementa rapiuntur, simul cum argenti sulphure, quod absorpserant.

Diana nuda.

a. Luna cornea.

b. ut de auro fulminante alibi dixi.

Hederà non egent Magnalia hujus Viri & Chymici. Ipsemet prudens Lector ea depromet ex citato contextu. Nonnulla tamen superaddam. Afferit novus noster Hippocrates, Mercurium ex omnibus metallis, per solum salem Tartari, fieri posse: quod tamen olim palam & constanter negabat; & impossibile statuit, posse Mercurium aliquo ex metallo arte elici. Nunc verò per exemplum, & historicà inductione, Affirmativam tuetur (historiis & narratiunculis, non per ignem, Philosophus) quod secretum ex abdita penu, & experientiarum cumulo, nobis communicare studet. Verùm nos missa facimus hæc arcana: primus ipse periculum faciat; nos cauti insequemur. Alia, profectò, arcana requirit metallorum in currentem Mercurium metamorphosis, quàm unum & nudum salem Tartari. Apage, Hippocrates nove, fenum denuò in cornu gestas. Post prolixam fabulationem, fol. 45. lin. 4. ait: Nunc redeo ad sal Tartari, quod liquoris forma in cucurbitam fuit fusam, in qua erat argentum aqua forti corrosus cum sale armoniaco. Hac omnia naturam mutabant in salia neutra & diversa à priore statu &c. Et ulterius, eadem pag. lin. 19. Sicut enim omnia sublunaria, experientia teste, ex duobus, Acido nimirum



*rum & Alkali constare (ut in hoc scripto mechanice) ostendam: id etiam de argento intelligendum volo: &c.* Proh! quam obscura à novo Præceptore prodeunt theoremata! Quis unquam vir sensatus his falsis & umbris plenis dogmatibus subscribat! Quam ridendam totius naturæ fabricam & harmoniam, ex novis hisce principiis, architectatur! Quam denique absurda, nec retorsione digna, edocet! Declinat phanaticus ad Lunam corneam Crollii, quam (me augure) non intellexit. Alcalia iterum, quæ à salibus iteratò divisi, binis vicibus simpliciter salia, citra discrimen, appellat; cum tamen in præcedentibus, ac etiam sequentibus, salem communem duntaxat, tanquam salium summum, antonomasticè salis nomine dignatus sit, (ob id Reformatorem vel centies insulse carpit; ut infra patebit) reliqua verò salia, cum volatilia animalium, tum fixa vegetabilium & mineralium, omnia sint ipsi alcalia. His nugis si quis appositè immorari vellet, tomos macularet. Itaque procedo & alia.

## CAPUT X.

inscribitur:

*Vacua esse Alcalium corpora*

*Exemplis ostendit:*

& statim confirmat, in margine:

*Vacuum in natura demonstratur per artem.*

**H**anc sententiam (quam tamen nullibi probat ostentator, Tackenius) de Vacuo, quam vix ullus docet, suffuratus est ex Helmontio, titulo: *Vacuum naturæ. fol. 50.* Marginale verò, *ex eodem fol. 50. thes. 7.* mutuatus, ubi ait: *Mechanica demonstratio per ignem, pro vacuo.* Ego cum magno Helmontio luctari nolo, ejusque assertum refellere: licet aliud paradigma, & mechanicam, pro carentia & impossibilitate vacui ostenderem; pro quo tota natura mecum conclamat, non dari vacuum: unde tot funestas irruptiones molitur, & fragores; uti videre est in vasis ad prunam expositis, in quibus, per condensationem aëris, metu vacui, omnia dissiliunt: licet etiam concesserim Helmontio, tam esse impossibile vacuum, quam naturalem penetrationem corporum: dari tamen vacuum, non demonstratur. Et instantiam, de violento ascensu aquæ in cucurbita vitrea, pro meo instituto assumerem, vel ex hoc ipso implicare vacuum; ad quod evitandum ipsa aqua motu violento sursum regurgitat: ut in millenis aliis videre pronum est. Sed hæc, pertransennam actis, ex Helmontio: unde Tu probas, dari, quod asseris, vacuum, *noxe Hippocrates?* An idem juxta te est, affirmare, & probare? An non vacuum est locus corpore non repletus, aptus tamen repleri? Et quomodo, ex superius à te dictis, sunt omnia Jovis plena? Cur, motu violento, extracto à nobis, ex siphone, aëre, omnis liquor ascendit, nisi periculo vacui? Cur ex mechanica vides, folles, clauso orificio, desuper aperiri non posse; nisi quia rarefactio ex immissione corpusculorum naturaliter accidit, ad quam corpora tument, & in molem assurgunt: quæ hîc præsupponeretur ex impossibili hypothefi, clauso orificio? Annon demonstramus, quidquid pro vacuo afferant mille argutiæ & paradigmata, per vasa, vel aquâ, vel Mercurio repleta, & hermeticè clausa, ne aëri sit aditus: in quibus vident humorem, aut Mercurium, subsidere, ac ibi vacuum clamitant; cum aëri spatium & introitus non sit: dum ostendimus, undique aërem ambire, quoniam in omni vase, utut repleas, si tintinabulum quoddam per medium suspendas, sonum percepturus es, qui in alio recepti non potest, nisi in

in aëre? Præterquam quòd, contra hos, teneam, nullum dari in natura corpus, quod poros non admittat: consequenter, nullum corpus adeò arctè claudiac signari posse, quin aëreis atomis sit cōmmeatus & aditus. Cur autem in tantum natura vacuum horreat; est virtus intrinseca individuorum omnium, sui conservationem naturaliter appetens. Cùm enim omnia sublunaria in esse & conservari dependeant à corporibus cœlestibus; illa autem in distans agere nequeant, sed per medium, actione continuativa, influant; dato autem vacuo, agere in sublunaria non possent, nec illa conservare, nisi in distans; (supponitur enim necessaria eadem virtus ad conservandum, quæ ad producendum) igitur ex innato appetitu, (tu determinationem voca) motu violento ad superna feruntur, ne defraudentur influxu superum lationum: ac totam potius sphaeram terream loco motum, quàm vacuum repertum iri, censeo. Hæc dum obiter adduco, infero hanc consequentiam: ergò falsum est, *alcalium corpora esse vacua*; quia exemplis ostendo, nullum posse dari vacuum: quod probare, mihi incumbibat. His dictis, audiamus pro vacuo certantem Hippocratem nostrum.

*Sal Tartari, ait, itaq. est medium, in quo reviviscunt, non solum metalla, sed etiam mineralia, licet per artem & ignem validum, videantur, plane destructa.*

*Guttatim affunde sali tartari resoluti, spiritum vitrioli, donec cessat strepitus, liquorem reduc in cristallos, vel totum exsicca, & reperiēs sal, vitrioli naturam habens; vomitus movet, & quando superbibitur, per secessum purgat, ut album vitriolum solet: si commiscetur cum nitro & argento vivo sublimatur in rubrum, cui ad-* *Vitrioli regeneratio.*  
*de sal commune, fit sublimatum corrosivum: distillatur per se ut vitriolum. Albicans mucilago in fundo subsidens, est eadem sex, quæ in soluto crudo vitriolo, affusione salis tartari de cedit nigra, Constans in igne, sicut colcothar vel caput mortuum vitrioli, & fusioni resistit: quod tamen sine spiritus vitrioli affusione, facillimè fluebat. Istud sal fixum & vitriolum regeneratum, à tyrocynii scriptoribus, Tartarus vitriolatus, & universale digestivum appellatur.*

*Multò præstantior, & perfectior fit ex vitriolo crudo, in aqua soluto, & liquore tartari affuso, donec non amplius turbatur, quod punctum saturationis cum tædio reperitur unica nimirum guttula superantis, vertit misturam aut in vitriolum, aut in alcali: de quo meus Hippocrates (a): Nunquam simul in eodem consistant. Clarum a. lib. 1. de* *lib. 1. de*  
*liquorem coagula in cristallos splendentes: hic nobilior est priori, eò quod distillando* *dicta.*  
*vitriolum, violentus ignis, cupri liquamen elevat, spirituiq. commiscetur, ac stomacho molestum est. In hac autem simplici via, alcali absument saltem simplicissimum illud acidum naturale, quod embrionatum metallum, persfluendo, erodit. Hoc est illud acidum simplex, naturæ nostræ amicum, in acidis fontibus, refocillans naturam bibentis, ventriculo gratissimum, licet in magna copia haustum, de hoc brevissime differere decrevi. Paracelsus tamen narrat (a) quod in pagulo veltin, Helvetiæ, sit fons,* *a. de morbis tartareis.*  
*similem totius mundi ambitum, non continere.*

Specetate iterum, Auditores, deficiente discursu & argumentis, probat vacuum arte; & quidem simplicissima Tartari vitriolati præparatione, Tyronibus cognitâ. Hæc arcana sunt, & mystica dona, à Patre luminum, in vacuo hocce cerebello. Et verò condonarem aliquid gloriolæ & pruritui, quo paradoxa docere affectat, & inter Scriptores eminere; si sibi constaret, ac non illicò ad imposturas suas recidivus delaberetur: pag. 47. lin. 14. ubi dictum Tartarum vitriolatum *pro sale, vitrioli naturam habente*, proclamat; quod vomitus ciere, & haustu superingesto, per secessum purgare, ut album vitriolum, soleat. Et quòd (scilicet Tartarus Vitriolatus) *fit Vitrioli regeneratio*. Quæ uti falsa sunt; ita omnibus Artem professis notissimū, Tartarum vitriolatū à natura vitrioli



trioli planè alienum esse, non movere alvum, nisi indiscretâ quantitate exhibitum : tunc paulisper laxare, minimè autem violenter purgare, aut per emesin, ac violentas vomitiones, ut Vitriolum album, commovere, sed diureticum, digestivum, resolvens ac destruens esse medicamentum : adeoque neutiquam esse *Vitriolum regeneratum*; quemadmodum etiam nullo modo acidus spiritus, uti ex Vitriolo, destillando fortissimo igne ex illo (scil. Tartaro Vitriolato) elici potest. Hoc ipsum enim Hippocrates Chymicus per discursum fatetur, nimirum spiritum, destillando ex tartaro vitriolato, se accepisse, qui nequè salus, neque purè acidus. Sunt etenim ambo, & sal Tartari, & spiritus Vitrioli, in aliud ens commutata naturali sua contrarietate, & à pristino esse in aliam naturam descivère; à quâ non datur regressus. Plura hic addere possem absurda : de ratione nimirum *regenerationis Vitrioli*, quæ inconcinna est & falsa : de *mucilagine subsidente in fundo*, in præparatione Tartari Vitriolati; quam minimè penetrat noster Tackenius, sed, uti dixi : Codices requirerent tot figmenta, si quis ad unguem singula refellere vellet. Ideo ad alia, & Tartari Vitriolati præparationem, hujus Hippocratis, declino.

Scribit, pag. 48. lin. 9. *Multò præstantior, & perfectior sit,* (scilicet Tartarus Vitriolatus) *ex Vitriolo crudo, in aqua soluto: &c. præ ut supra.* Nunc, profectò, mihi incumbit Præconis munus, ut totis faucibus clamem & intonem illud Tackenii fol. 7. lin. 12. *Adeste, adeste, veritatis amatores, vos admiranda & jucunda oculis vestris aspicietis!* Quis hunc, parandi Tartari Vitriolati, modum Stentor & Circumforaneus unquam ausus in foro mentiri; taceo, Canonicus (ut ais) Rationalis ac Methodicus Doctorum aut Pharmacopœorum? Si quis vestigiis tuis, seductor, insisteret, is, me herclè, pro amico, & naturæ benigno Pharmaco, pro deobstruente & mitiùs aperiente medicamento, hostila naturæ, & visceribus inimicum, vomitu crudele, & purgante vi infame, in parvâ etiam dosi sumptum, efficeret. Et si noverca fors probum aliquem Virum & Medicum induceret, ut tale remedium suis propinaret; an non hoc Tartaro Vitriolato innocuos Patientes inter Indigetes accenseret? Tibi nunc inscribo, Talionis quæ eo pœnam in Te promulgo, per illud famosum, quo, in sequentibus, nequitiosè Reformatore taxas; nimirum

*Ibo ad Medicum, & me toxico morti dabo.*

Ibo ad Tackenum, apud quem mors in olla ebullit, & certa ægrorum perniciēs. Certè, mi Hippocrates, tuus hic Tartarus Vitriolatus evidentius periculum sumpturis accersit, quàm olim innocui Dieterici Galbanetum, quo eum, per festivum sarcasum, in tua Écho, Cavillator, exagitasti. Disce nunc, (tribi in aurem verba!) Disce, disce cautius mercari, meliora medicamenta parare, Impostorem non agere, imposturâ non afficere, homines non occidere, quin salvare potiùs. Ecce, Tackeni, rem! cum hac in scenam prodis tecum Reformator; qui jam in omni re similem agnoscit Naturam: licet hisce sarcasmis, fol. 238. eum titillare præsumperis. Perfectè novit Reformator, quomodo acidum informet alcali; penetravit hoc triverbio perpetratam imposturam; alio non eguit Vate & Aruspice, vel Tackenio Hippocrate, & Chymico Pædagogo; qui mundo, & scholis, tartareo hoc, & maligno Vitriolato Tartaro suo imponeret, (maximè si ex cuperoso Vitriolo dispensatum foret) ac hocce arcano inferias faceret, lessumque multis Patientibus occineret; quos præficus ad tumulum direxerit. Ridiculum quid iterum allego, dum hæc tristitia commemoro; quòd nimirum, lin. 18. suum Hippocratem Coum ubique Patronum adducat, & ut dicitur, comâ attrahat, ex lib. 1. de diata, his formalibus; *Nunquam simul in eodem consistent.* Ecce; quàm appositè! Sed, ne in herum culpa possit conjici, si hic Tartarus Vitriolatus sinistrè (quia pessi-

pessimè) Patientibus cedat, sagax impostor anteambulones præmittit his  
 verbis: *Quod punctum saturationis cum radio reperitur unica nimirum guttula su-*  
*perantis, vertit misturam, aut in vitriolum, aut in alcali: pag. 48. lin. 13. de quo*  
*Hippocrates, uti supra: nunquam simul in eodem consistunt: lib. 1. de dieta.* Quam  
 appositè Delphinum sylvis, & Aprum undis appingis, Tackeni? Quàm bellè  
 huc quadrat illud Hippocratis Coi? Cur non etiam, pro tuo hoc Tartaro Vi-  
 triolato, locum ex Jobo citasti, cap. 14. *Homo natus de muliere, brevi vivens*  
*tempore, repletur multis miseriis: qui, quasi flos, egreditur & conteritur, & nun-*  
*quam in eodem statu permanet?* Tamenim, de hoc Tartaro Vitriolato, somnia-  
 vit hic textus Hippocratis, quàm patientiæ simulacrum, Jobus: licet uterque  
 dixerit: *nunquam in eodem statu consistunt.* Sed, missis his naniis, propero ad  
 pag. 50. lin. 2. ubi novum secretum communicat Reformatori, & tria forsan  
 iterum verba in aurem dicta cupit: *Acidum informat alcali;* dum ait: *Idem sal*  
*tartari, si combiberit acetum, ex vino distillatum, fit tartarus vini vulgaris, omnes*  
*ejus proprietates habens, excepto quod in humido facilius liquefit &c.* In margine  
 verò hujus textus: *Tartarus regeneratus vocatur inepte a quibusdam Terra foliata*  
*philosophorum. &c.* His Author revelat secretum secretorum, sed paucis ver-  
 bis: *acidum informat alcali;* quod tamen millies in Chymia contingit, & o-  
 mnibus Pharmacopæis restructa est. Sed, Dom. Hippocrates Chymice, non suf-  
 ficit neque doctis viris, neque Tironibus, detruncata hujus secreti descriptio,  
 planè imperfecta, sed necessum est, ut nuda tua Diana, & molliculus cascus, in  
 apricum & scenam producat: quod hoc modo fit: Abstrahatur acetū destil-  
 latum à sale Tartari, (ex cremore, vel purissimo Tartaro calcinato, facto) to-  
 ties semper recenti aceto destillato affuso, quousq; acetum eā aciditate trans-  
 eat, prout affusum est. Sal in fundo alembici relictus, & sufficienter saturatus,  
 aucto paulisper igne in arena, liquetur: (quia ad instar ceræ liquefit; & hanc  
 liquatione fit, ut sal Tartari imprægnatus omnē deponat impuritatem & im-  
 munditiem contractam) quo facto, omnia sensim refrigerari permittito, igne  
 detracto: materiam refrigeratam exime, & reperies massam argento veluti  
 fuso similem, intus foliatam, ad instar Talci, seu terræ foliatæ, in aëre pro-  
 tinus iterum liquabilem in liquorem unctuosum, omnem per se deponentem  
 impuritatem. Si verò per solutionem, affusâ aquâ, vel etiam vini spiritu,  
 (à quo promptè etiam solvitur, præter naturam aliàs salium) purificare vo-  
 lueris, citius ac exactius opus absolveris. Huic sali, ita mundificato, jungito  
 salem Viperarum volatilem, pondere proportionato; sive etiam salem Mi-  
 crocosmi volatilem; aut etiam ex Armoniaco sale paratum, aceto tamen de-  
 stillato prius solutum; & aliquoties ab eo abstrahere, donec veluti juncta ma-  
 neant, aqueâ humiditate proleatâ; & reperies salem preciosum, à me Essen-  
 tiale appellatum, suo proprio nimirum nomine, non Viperarum, ne Im-  
 postor videar: quo sale tamen haud pauca præstiti. Hic est sal, seu terra foliata,  
 de qua olim *novus Hippocrates* Reformatori in aures dicebat, cum ipsi mon-  
 strabatur: *Si scis; benè tacebis:* uti supra commemoratum est. Hic, inquam, est  
 Sal, qui sali Viperarum *Hippocratis Chymici* per omnia assimilis; sive substan-  
 tiam & essentiam, sive accidentia, odorem, colorem, saporem, sive effectus,  
 virtutem & operationes contemplerur; & uti vulgatum habet adagium: similis  
 est, velut ovum ovo; si tamè de una specie sermo procedat. Hunc salem arcanū  
 juris publici fecit *Tackemii* insolentia, & ultrò extorsit Reformatori *Hippocratis*  
*novi* petulantia tumultuosè omnē, in Chymicis, primatum ac prærogativam  
 affectantis: extorsit, inquam, non edocuit. Quis enim ab infido, & humanæ na-  
 turæ novercali Medico, aliquid arcanius præstoletur? Ostendere tamen, & vel  
 digito innuere volui, quid huic homini agendū deinceps; quàm non oporteat  
 dona ac divina charismata malâ æmulatione illius nequam Evangelici servi,



qui talentum suum, quo cum negotiari eum oportebat, in terrâ defodit, mundo ac luci subtrahere; sed illis, ad normam & ideam Divini Senis, & sequacis Galeni, Illustriumque in Medicinâ Scriptorû sine numero, non nobis, sed Posteritati, concordibus studiis famulari. Hæc perpendens, neque hunc salem inter pectoris angustias celare volui, quin eum publico emolumento revelarem, ad correctionem hujus Negotiatoris, qui merces suas, talenta, & quid-quid *molliculorum caseolorum* habet, umbris & silentio, nulla arte & hortamentis hinc eruenta abdit & obvelat: prout totum ipsius Opusculum consideranti patebit; in quo, post umbras, sequuntur tenebræ & informe Chaos, secretorum & mysteriorum nomina, omina nunquam, & facta: & vel maximè, si quis Oedipum adhibuerit nostrâ hanc Apologiam, quæ, profectò, omnia, brevi sermone & Laconismo hîc à me comprehensa, dilucidè explanat; licet permulta furdâ aure transferim, aut tædio, aut rei indignitate, per motus, quæ B. L. amico studio supplebit. Sed ut uberius investigemus, quàm sit umbrarum amans hæc *Doctorum Noctua*, afferamus textum, quo nobile hoc medicamentum obscurare attentat: pag. 50. lin. 2. *Sal Tartari, si combiberit acetum ex vino distillatum, fit tartarus vini vulgaris, omnes ejus proprietates habens excepto quod in humido facile liquefit. &c.* Miremini iterum, Artis genuini Filii, & exercitatissimi Pharmacopœi! miremini nota & trita vobis! admiremini falsa & paradoxa! Hæc ut ostenderem vobis fusiùs, aperui fraudes & adulteria nobilis hujus medicamenti, quibus obscurare illud nitebatur, genuinam ejus dispensationem perplexè dictando & revelando; ut supra monstravi. Quòd autem hic sal à nonnullis *Terra foliata Philosophorum* appelletur, uti ait, pag. 50. in margine; ultrò concesserim, Reformator tamen eum nunquam sic delineavit: licet Doctissimus *Rolfinckius*, pro *Zuvelseri* Terra foliata, eum inter reliqua magni nominis remedia scripserit & habuerit. Meo tamen, interim, judicio, aptius longè sub Terræ foliatæ ideâ (si accidentia & sensus arbitros velis) quàm improprii etymi, *Tartari regenerati*, metaphorâ circumferretur, magna ostentatione, nec non impostura. Falsum enim est, eum, salem nimirum, posse Tartaro crudo ullo modo comparari, si sensus & accidentia, si essentiam, & modum operandi, in judicium æquius adhibeas. Ex quo confectaneum deduco: quàm frivole, quàm iniquè, hic sal olim pro Talco resolubili fuerit promulgatus, donec Patavii fraudi silentium fuit impositum, his verbis: *Si scis; bene tacebis*: tunc, quale Talcum hoc sit, & cujus profapiæ nimirum, Reformatore innuente.

Quod spectat ultiores hujus salis destillationes, & experimenta, ab Hippocrate novo, *ibidem*, pag. 50. allata, illa partim nota sunt & notissima; partim falsa: nonnulla verò Philosophicas magis, ac veriores exposcunt rationes. Et non solum *acida*, pag. 51. lin. 1. *ducunt alcalia ad suum velle, eisq; prædominantur ad lubitum*: sed etiam alcalia, è contra, omnia acida ad suum nutum trahunt; fitq; dum mutuò sese attingunt, actio & reactio utrorumq; ubi unum, quod agit, agendo repatitur, & ex ambobus tandè resultat neutrum quid in esse & operari; novum veluti ens, è quo revocabile nunquam, quod antea erat.

Quid porrò sibi dictum velit marginale illud, pag. 50. ubi ait, magnificè loquendo: *Quid jucundius quam ea noscere, & sub amico silentio oculis cernere, manūq; tractare quæ sensus communis planè, non comprehendit, & à natura procul posita sunt? &c.* Hoc fastuosum scribillandi genus longiori examine dignum foret; cum neque textus, neque contenta in toto hoc capitulo, ut neque in toto libello, hoc mereantur marginale. Nec differentia Vini & Tartari, nec alia plura, quæ profert hîc, communissima, digna sunt amico silentio. Sensus enim communis illa facilè comprehendit, & quilibet Pharmacopœus, ejusq; Discipulus, non ignorat; adeoq; nequaquam à natura procul posita

posita sunt: uti nihil planè à natura procul positum est, nisi fortè *Hippocrates Chymicus* ab omni naturali veritate. Deliramenta & fastuosa somnia sunt, ad obscurandum salem ejus secretum, & sub titulo Tartari regenerati, illum ex mente discentium elidendum; ne fortè magis palam fiat, sed ut animos discendi cupidos in suspenso semper detineat: quippe quod egregiè in toto opusculo hoc præstat. Ab uno enim capitulo, ad aliud, clariora magis ac magnifica promittit; sequuntur tamen semper obscuriora, simplicia, & falsissima. Quod porro, pag. 51. & 52. de Oleis destillatis, cum sale Tartari, in aquas vertendis; item de salis Tartari conversione in elementa simplicia, scribit, illa altioris sunt indaginis, quàm ut paucis comprehendì possint. Si verò *novus Hippocrates* magis dextrè salem hunc tractare novisset, penetrasset certè, quorsum migrârit illa vis ignea, & uti loquitur, *potestas tota salis Tartari; nec mirum esset dictu*. Nobis enim hæc non sunt miracula Hippocratica, sed nota ac notissima.

Pag. 53. lin. 12. concludit cum *Hippocrate Coo*, & libro, uti dicit, 1. de diata: omnia similia sunt, dissimilia existentia: & in margine, ibidem: *Memento quod ventus est vita mea*. O quàm veraciter hæc dicis ex magno Coo! Addere tamen debuisses, quòd omnia veritati similia, dissimilia reddas veritati, *Tackeni*, & falsa; quòd clara sint per te obscura; quòd trita & obvia, sint inaudita; quòd denique culices & minima, per te fiant maxima & Gigantæa. Marginale etiam tuum verissimum censeo; quòd *ventus sit vita tua*. Quid enim levius professionetua, quam commentando exerces? Quid inanius verbistuis? Quid vento magis affine dixero, quàm fastum & superbiam tuam, quâ tumes & insultas nobis? Quid aliud spiras & exsufflas, quàm inanes verborum auras, mendaciorum, seu arcanorum, sibilos? Adeò, ut, si loquacitatem tuam contemplor, cum Gellio dicere cogar; *Lingua non in pectore, sed ore, tibi nasci*: cum, uti & Seneca, *Epist. 38.* ait; *non multis verbis opus sit, sed efficacibus, quæ seminis modo spargenda*. Sed relegemus hunc ventum ad ultimam Thulen.

Procedo ad pag. 53. lin. 15. ubi iterum Reformatorem exercet, ac ad risum sollicitat, dicens: *Reformator, si Alcalium fixorum, notitiam habuisset! podagricis, oleum saponis veneti non promississet: nam quicquid Olei à sapone stillat, est laterino simile, & nihil de Alkali continet*. Sic etiam, qui saponis corpus dissolvunt, ajunt, *Podagricis conferre, in maximo sunt errore, fructum enim quem percipere sperant: docet sapor, qui planè falsus deprehenditur; Mercurium enim ex supra dicta solutione non præcipitat*. Ad quod respondeo; quòd extra controversiam sit, Reformatorem habuisse notitiam alcalium: luculentis testibus lucubrationibus ipsius quas edidit. Eò frivolum Pædagogum ablego, cum quia præcoci ingenio suo immaturiùs ea docet, quæ nunquam didicit, tum quia hoc non egemus Didascalo, melioribus instructi. Oleum verò Saponis conferre Podagricis, ac magnæ notæ Viris fuisse adhibitum, ratione & auctoritate, firmâ experientiâ suffragante, demonstrare potest Reformatore. Sapo enim ex sevo animalium ut plurimum, & alcalibus, seu salibus purè falsis paratur; prout *novus Hippocrates*, tanquam egregius Saponarius, ipsemet edocuit. Ille si destilletur, quid aliud, quàm oleum, spiritu & sale volatili purè falso imbutum, præbere potest? Quemadmodum & sebum animalium, per se destillatum, salem & falsum spiritum, ac oleum, eructat. Alcalium ipsorum, quibus cum Sapo conficitur, tanquam altero constitutivo, illud nihil acidi continet; hoc, licet fixum, volatilifatur nihilominus aliqua ejus portio, & transmutatur à sevo, in ipsa confectione saponis, & succedente ejus destillatione. Hæc igitur duo constituentia saponem non sunt sibi in natura rerum contraria, ambo purè falsa,



& purè sale m falsum continentia. Si igitur destillentur in Oleum, eritne partus, ex utroque falso sexu enatus, generis falsi, aut generis acidi? Non acidi, reverà, quia ex purè falsis nihil acidi elicitur destillando, aut quovis alio modo: si autem purè falsum Oleum; ergò acidis contrarium. Podagricorum autem materia est acida, uti *novus Hippocrates* ipse asserit, edoctus à suo Præceptore, Helmontio; & alcalia, aut purè falsi sales, omnem podagricâ aciditatem immutant & destruunt; sicut iterum, in progressu, ipse *Hipp. novus* affirmat. Quid ergo obstat, *Tackeni*, quò minùs Oleum saponis Podagricis conferre possit? cùm experientia ipsa hæc confirmet. Apage igitur eum tuo Lateritio oleo, cum tuo Vitriolo tartarifato: nostra penus remediorum uberioribus & salubrioribus instructa est arcanis; tuis non egemus mysteriis, & ventosis cavillationibus. Iterum dico: vita tua vento similis: es vox, sonus ac sibilus, *Tackeni*, prætereaquè nihil. Et falsum est, quòd *Oleum ex sapone destillatum sit Lateritio simile, nihilq. de alcali contineat*. Sustineo ego cum magno Helmontio, quem tu, *iniquissime proborum Virorum mastix & corruptela*, velut teredo cedrum, arrodis, pro inveterata tua malitia; quâ contra omnes militas; sustineo, inquam, & infallibiliter teneo, cum Helmontio, Titul. à sede animæ ad morbos: quòd podagræ primordia sint ab aciditate hostili, ad corporis ambitum delata, & artus molestante; in quibus podagræ character Archeum, digestionum præsidem, malè affectat. Et titulo: *Volupe viventium morbus: parag. 14.* quòd in Podagra spiritus vitalis corruptivo huic characteri obtemperans, induat aciditatem fermentalem, prorsus sibi hostilem, atque nobis exoticam; prout & aciditas omnis, tam in cruore, quàm carne. Et Tit. *Pleura furens: parag. 14.* Etenim ut acor in stomacho est gratus & ordinarius sapor: sic extra stomachum, omnis aciditas est præter naturam, & hostilis: sic tormina ab acido intestinorum, in artubus Podagra. &c. Oriri igitur, credo, podagram ab acido naturæ inimico, quod dolorem excessivum, & synoviam quandam, ut vult Paracelsus, inter ligamentorum capsulas, & ossium contactus, suscitât, plenam terrâ volatili, ex alimento superfluo & corrupto. Cur igitur, si hoc verum, uti verissimum est, non utique conducant purè & verè falsa, sive alcalia, sive volatilia falsa, purè falsa sint, in Podagrâ, præsertim de foris admota: curationem à contrariis contraria curantibus auspicando, ac similibus conservando similia? Etenim purè falsa, naturæ nostræ amicissima, præsertim si volatilia, facillè admittuntur, penetrant aciditatem in synovia peccantem, contrarietate, quâ acida & purè falsa se invicem destruunt, adoriuntur, alterant, inque liquorem, veluti dulciter inspidum, facillè transpirabilem & permeabilem, convertunt, ut, nullâ post se residuâ terrâ volatili, tophos alias in articulis generaturâ, exhalare possit, doloribus evanescentibus. Et hæc est, duce Philosophiâ, verâ ratione demonstrata cura Helmontiana: licet non profitear, hoc Oleo me Podagram radicaliter expugnare posse, sed svadeam & consilium hoc dem Podagricis, tanquam remediû, dolores acerbos mitigans, tophos aut resolvens, aut prohibens materiam in motu, ac lapsam ad artus; acefcentem diluens, articulos denique, nervos, & membra, corroborans. Quæ omnia sicut firma ratio; ita infallibilis experientia, confirmat. Sed quid ultrò argumenta ingero contra eum, qui, salium & alcalium indiscretus censor, nullam eorum novit distinctionem; plus uno sibilo negans, quàm centum Sapientiores valeant uno affirmare ore, & concordibus votis?

*Pag. præterea 53. lin. penult.* pergît ulteriùs Philosophari, dicens: *Alcali Tartari itaq., videtur quodammodo typum representare philosophorum Chaos, in quo ajunt, reviviscere eorum Mercurium.* Credere fas est, repræsentare tuum alcali avitum Philosophorum Chaos, & indigestam molem, in quâ nullus ordo  
& har-

& harmonia, sed sempiternus inhabitat horror; in qua myriades rebellium & contumacissimorum ingeniorum, velut in Stygia palude & Mephyti demersa, debitas arrogantiae pœnas dedere, & adhuc luunt. Cohonestat tamen hoc suum Chaos, pag. 54. lin. 4. magnâ Paracelsi autoritate, libro de natura rerum: *Regeneratio, inquit: & renovatio metallorum, fit ita: quemadmodum homo redit in terram, ex qua primo fuit desumptus, & ita, rursus in die novissimo, regenerabitur; sic & metalla iterum possunt in Mercurium (ex quo primo nata sunt) abire, & cum illo solui, & Mercurius fieri, & iterum per ignem (qui etiam judicabit mundum) renasci & clarificari.* Hac via inquit, generantur lapides, & tinturae speciales (b) argenti vel auri. Haëtenus Paracelsus. Interea, ego nemini autor

b. de quibus  
Rogerius Ba-  
cho, Riple-  
us, Isaac  
Hollandus  
cum judicio  
tamen legen-  
di sunt.

*Sapiat, (uti in margine ais, Tackeni) qui hoc intelligit, qui vult, qui potest.* Ventus totus es, nove Hippocrates, umbras item, nubes iterum & caliginem affers, mendacia exsufflas. Nihil enim de sale Tartari nec Rogerius Bacho, Ripleus, nec Isaac Hollandus, habent, dedignantur graves hi Authores hæc Tironum Elementa: majora, sibi paria, & altioris (uti legi) indaginis (non sale Tartari simplicem, aceto saturatum, tractant) luculentis suis editionibus evulgarunt; nihil ab horum autoritate hisce tuis figmentis subsidii sperato. Sed quid, obsecro, eruis, *Catholicissime Chymice, Tackeni*, ex erudito hoc loco Paracelsi? Vides, quod, juxta literam, cum plebe sapis, & quæ mystica sunt, sensu literali tibi explicandum autumas? *Regeneratio metallorum fit, sicut regeneratio hominum, in die novissimo?* Et unde hanc habes novissimam tubam, qua, velut lituo, metalla resuscites? *Mercurius fit, renascitur, & clarificatur per ignem, qui judicabit mundum?* Quis tibi ventus hunc ignem suscitabit? Noli scrutari Majestatem, ne gloria te opprimat. Humilia sapito, & plano incediro: sapis, neque intelligis. Plura tibi Doctissimus Helmontius, recentior R. P. Athanasius Kircherus, lib. de artis metallica requisit. & seqq. dictabunt; eò te confer, ad cautiùs Philosophandum de sale tuo hoc Tartari, & humilior sapientum.

*Interea pergit, pag. 54. lin. 19: nemini author ero, ut sibi persuadeat, sal tartari, quocumq; modo preparatus sit, Chaos Catholicon philosophorum esse! licet metalla in illo, in Mercurium currentem redeant, id paucis admonuisse sat est.* Satiùs, profectò, tacuisse esset, quàm tot manifestis figmentis nos commonuisse. Grandia iterum de venatione somnias, in quâ nulla tibi obtigit fera. Profectò, diuturna fraudatio, tædiorum est nutrix, suspicionum fomes, impatientiae fax. Dedignor tandem tot imposturas tuas; & si, quod sentio, edisserendum, non credo (ut ut peieres) te vel granum unicum, à quo vitam spiras, Mercurii ex aliquo metallo elicuisse, aut tartareo sale tuo solo elici unquam posse.

Quid est illud *Chaos Philosophorum*? *Chaos Catholicon*? Asylum ignorantiae, confusio & Babylon nova, & infinitum quoddam, è quo innumera mendacia emergunt; verbo denique: Omnium Impostorum, Thraſonum, novorum Hippocratam, seu Hypocritarum sacra anchora, aut stagnum, è quo fraudes natae. Veraciùs nobiscum negotiator, & fidelia scribito, *Tackeni*, propriâ manu nimirum acta, non narrata; uti de Mercurii anastasi, ac nova genesi, factitasti: & fidem mereberis. Sed plura, de sale Tartari fixo, novum Hippocratem loqui vetat Harpocrates, qui digito labia premere jussit; absterret Actæonis laniena, ne, si Dianæ nos arbitros faceret, canibus præda caderet. Audite vulpeculam, latibula quærentem, & asyla ignorantiae; nunc fastu, nunc simulatione, ancillantibus. Legite, quæ, pag. 54. lin. 27. affert nugamenta. *Nunc Harpocrates, de tartari sale fixo, me silire jubet, ne in*

Exemplum  
doctorum



*Alteonis  
absteret:*

*Spiritus A-  
cademicus  
Mysterium  
hoc non ca-  
pit.*

*a. de febr-  
bus cap. 15.  
§. 25.*

*b. Tract. de  
verbis her-  
bis & lapi-  
dibus.*

*a. Appendiz  
ad animad-  
versiones f.  
72.*

*multa nesci-  
entes, multa  
timere, ne-  
cesse est.*

doctorum Virorum curiosas in vestigationes sim injurius, qui multum laboris sumpse-  
runt, ad hujus plenariam cognitionem, quod profecto medium est viuificativum mul-  
tarum rerum; id notarunt Basilus, Paracelsus & alii, qui illud vestibus spoliaverunt,  
& pro solvente elegerunt; quandoquidem ob jecta sua illuminat, & viuificat; eo-  
dem fere modo, ut alcali herbarum fixum, extrahit è calcinato silice, aliud & simile  
alcali, quod quidem nullo alio sapore elicere sit possibile, quam suo simili; illud multo  
potentius efficit, & verè in igneam naturam Convertit: sic à notis ad ignota fieri de-  
bet progressus, ut Aristoteles recte docuit.

Hoc est quod vociferatur Joh. Baptista van Helmont (a) discite inquit: dissol-  
uens aliquod quod sit semper idem, & nactus eris intimas rerum essentias quod probat  
exemplo, dum querit (b) lapis ossifragus, fixus non calcinabilis, curat os fractum, as-  
sumptum per os, & quare non litiasin & podagram? Respondeo viro incomparabili,  
quod reformatoris ridiculus ALCHEST, & secretū solvens, nil aliud est, quam ACE-  
TUM DISTILLATUM (a) ex æruginè, & licet rodât osteocollam lapidem, ro-  
dendo acquirit lapis proprietates aceti, unde non pergit ad urina loca, sed in stomacho  
illico precipitatur, ut paulo post ad oculum demonstrabitur.

Sal tartari itaq; hætenus vilibus vestibis suam scenam lusit, cum vero philo-  
sophi manu spoliatur; ut compareat, in forma puda, lucida & resplendenti, tunc  
res, quæ illi committuntur, reducit in eandem & similem sui materiam, (memor oculo-  
los cancerorum sic solutos, in longa quotidiana febris, mulieri, quæ abhorrebat pocula  
medica, me proposuisse; timidus me interpellabat medicus, canonicus præsens, esse  
minerale, & periculo plenum) & quoniam informis, ut omne alcali, accipit formam  
ejus quo cum unitur (est nimirum sal tartari, medium quoddam, inter minerale &  
vegetabile, ob id facile amborum naturam amplectitur) & sic pergit &c. Hæc de dif-  
ferentia alcalium fixorum indiguisse sufficiunt.

O te iniquum hominem, qui posthumos Majorum & Sapientum labo-  
res ignobili premis silentio, memoriâ Prosteritatis defraudas, & æternis im-  
meritis tumulas umbris! An non, talia per traducem propagari, conveniat,  
judicet, qui æquus arbiter audit, ne tot Sapientum monumenta temporum  
vicissitudine fluctuent, & demergantur, æternis digna ceris. Sed habuerint  
Paracelsus, & Basilus, quæ mireris, non tamen assequeris, arcana. (sic his Vi-  
ris gloria!) Te, interim, ex figmentis tuis, Idiotam esse, meritò cenream, qui  
ea, quæ corraffisti, neque penetraffisti; publici juris fecisti. Spoliaverunt hi Viri,  
quos allegas, Basilus & Paracelsus, naturam, seu Dianam, per ignem Philo-  
sophi; quos dum æmulari voluisti, visâtantum à longinquo Dianâ, cornua,  
cum Actæone erexisti, & dignâ hoc homine metamorphosi, belluam indui-  
sti. Quid ergò mirum, si adversus Athenæa & Lycæa Europæ latraveris, aut  
rudas etiamnum, seu reboes audacissimè? Caput, profecto, Cacademice Hip-  
pocrates, caput spiritus Academicus (uti in marginali loqueris, pag. 55. spiritus  
Academicus mysterium hoc non capit) mysteria Salis hujus Tartari communissi-  
mi quidem; caput alcali herbarum fixum, ac, quâ ratione è calcinato silice non  
extrahat aliud & simile alcali: nota hæc sunt Academia nostræ Tironibus, à  
qua meritò te segregas, repulsam passurus, si virorum doctorum subsellia  
ambires. Nam Rabulas non enutrient Academia & Universitates. Dum  
noster Hippocrates, Parasitarum more, doctorum virorum repotia, & reliquias,  
in Dispensatoriis & culinis conquirat, deflectit ad magnum Helmontium, &  
quæ, in ejus quadrâ, indigesta, devoraverat, turpis hospes revomit, pag. 55. Hoc  
est, ait, quod vociferatur Joh. Baptista van Helmont, de febribus cap. 15. §. 25. disci-  
te inquit: dissolvens aliquod, quod sit semper idem, &c. uti supra. Nunc, men-  
dactorum architecte, Tackeni, ostendam, in spiritu Eliæ, tibi Prophetias, aut, si  
mavis, spiritu Academico Philosophus, quibus technis & imposturis de arca-  
nis hætenus differeris; quæ nec possedisti, nec unquam consecutus es.

Vera

Vera sunt, quæ citas ex Helmontio, *signato capite & paragrapho*. Sed heus! Vir, qui tanta secreta crepas: quos hortatur Helmontius, ut hoc dissolvens ad-discant? Cur non adjunxisti, invidæ, & charitatis expers? Ego supplēbo ve-faniam tuam. *Quicumque ergo*, ait Helmont: cap. 15. de febr. §. 25. *meden-do charitatem proximi cordi habetis*, (Apage! quæstus tibi est Medicina, *novæ Hippocrates*: omnis in te refrigit charitas, & livor exæstuat) *discite dissolvens aliquod, quod sit homogenum, immutabile, &c.* An hic est sal, quem promulgas, Tartari? Hoc homogenum, immutabile, in primam agens materiam, dis-solvens, fors *caseus tuus molliculus est*, & spurium, ex Tartaro, Talcum? Nunc convincam te, orbique publicè Impostorem promulgabo. Audi, quæ van Hel-mont, eodem cap. §. 26. subjungit: *Quod si autem ad istud ignis arcanum non pertingatis, discite salem Tartari reddere volatilem, ut hujus medio vestras dissolu-tiones perficiatis*. Cur hunc textum neglexisti, *novæ Hippocrates*? Vides, quòd secreta tua secretorum, salem Tartari, eumque volatilem (quem ipsum dari, & parari posse, in sequentibus negas; contra tuum Præceptorem, Helmont.) communissimo tuo alcali non æquiparandum, iis saltem apparandum com-mittat, qui ad arcana naturæ & artis penetrare diffidunt & ambigunt. Vides, *Blatero*, quòd unicâ hac autoritate innumera, quæ hætenus declamasti, irrita, falsa & impostoria esse, demonstraverim? Ad Cæsarem appellasti, ad Cæsarem ductus es: plura non addo. Alienis te hætenus plumis & pallio-lo investiisti, arcanis destitutus es, *molliculo caseolo dives*. Loquitur au-tem hoc loco Helmontius, dum de homogeneo & immutabili dissolvente, seu ignis arcano, tractat, de suo Liquore Alcahest; quem tu, in Epistola tua de famoso liquore Alcahest, infami stylo cavillando, non ens, & Chimæram appellasti; & tamen ad illum nunc, profugus, postliminiò declinas, ac asy-lum quæris ab eo, à quo veniam non mereris. Est igitur ille liquor famosus Alcahest, quem tu in Authore proculcasti, huncque infidum, invidum, so-mnia scribentem, sibi ubique contradicentem, proclamasti, arcanum illud Helmontii, ad quod inquirendum sollicitè & amicè hortatur; non autem sal Tartari *Tackeni*, & communis quidem. Si enim Sal volatilis Tartari illi liquori, solventi scil. æquiparari non potest, ad quem saltem inquirendum, reliquis non proficientibus, nos hortatur? Quî in comparisonem veniat sal Tartari communissimus hic *novi Hippocratis*, quem Tirones adepti sunt? Recede igitur ad Chaostuum, spiritum Academicum non habes, & minus habere, à nobis iterum deprehensus es.

Porrò textus ex Helmontio, titulus: *de verbis herbis & lapidibus*; scilicet: *lapis Ossifragus, fixus non calcinabilis, curat os fractum, assumptum per os, & quare non Lithiasin & Podagram?* trino scatet errore. 1. Adulterat *Tackeni* sen-sum Authoris, qui talis est, dicto titulo, sub fin. *Ossifragus lapis fixus, ut non calcinabilis, curat os fractum, assumptus per os: & quomodo id fiat.* 2. An non cu-ret *Lithiasin, Podagram?* &c. Hic genuinus est textus Helmontii. Annon hæc est propositio indefinita, quam tu, *Impostor*, absolutam & decisi-vam facis? An non interrogativa? Cur mentiris absolutè, quod curet; cum van Helmont nihil decidat, sed quærat, an curet? Alter error est, qui ferulam expectat. Audi, *Tackeni*, quæ est hæc propositio: *Lapis assum-ptum per os?* Sine dubio per apostrophē: aut per metonymiam. Saltem Latinæ lingvæ ne adeò turpiter imponas deinceps. Tertius error judicii & cerebri est. Quærit van Helmont: lapis ossifragus curat os fractum, assum-ptus per os? Et tu, *Idiota*, facis ab hoc transitionem & connexionem ad li-quorem Alcahest Reformatoris, quem mentiris esse acetum ex ærugine de-stillatum. Nunc video, quòd liberis quadrigis tua vehatur nequitia, *novator Hippocrates*. Signa denuò librum, textum, & paragraphum, è quo hoc

tuum



## 80 Apologia contra Tackenum

tuum sesquipedale mendacium probes & demonstres. Quando, & ubi, laudabilem hunc spiritum, ex ære viridi oriundum, pro liquore Alkahest promulgavi? Convincunt te, centies jam convictum, iterum meæ Animadversiones, & maximè Appendix in Animadvers. fol. 52. edit. Noricæ, quæ te iterum diffamant. Audire textum: Hic laudatissimus Spiritus in Medicina non solum magnarum virium est, cum Epilepticis, Apoplecticis, Hystericis, Hypochondriacis, summè opituletur, legitimè & debitè exhibitus: verum etiam, tanquam acetum esurinum, & liquor Alkahest (de quo tanta ubivis terrarum miracula deprædicantur) se habet; solvit Perlas, integrè sibi injectas, blandè, Corallia item, oculos Cancrorum, & plura alia, non, ut reliqui spiritus acidi & corrosivi, qui solvendo, & agendo, reactione solvendorum patiuntur, & vel totaliter destruuntur, inq; aliud ens convertuntur, ac indissolubili nexu, cum solutis Perlis, sive Coralliis, sese uniunt inseparabiliter; sed amicè, tanquam eorum familiaris, non autem destructor, adhibetur, utpote à quibus, destillando, eadem virtute & acrimoniâ ferè, qua affusus, abstrahi, adq; consimiles usus adaptari potest. Nolim tamen ego asseverare, quod penitus impermutabilis, aut indestructibilis sit hic spiritus. Solet enim, crebrioribus solutionibus adaptatus, nonnihil debilitari, viresq; suas quodammodò amittere. Præterea in extractionibus quorundam mineralium, pro tincturis, is idem spiritus, præ reliquis omnibus menstruis, magnam prærogativam habet; uti suo loco sequetur, quando de Tincturis quibusdam mentionem facturus sum. Et, ut summam dicam, tanquam expertus in multis affectibus; qui Herculeæ etiam remedia ridet & contemnunt, ad hunc spiritum, tanquam asylum, si quis accurrerit, medicamentum reperiet quovis pretio redimendum.

Ad normam conspici & clari hujus textus, formet mecum æquum judicium B. L. &, an non sit falsarius hic *noster Hippocrates*, dijudicet. Ulterius: dic mihi, *Impostor*, an nulla sit, inter acetum destillatum, & laudabilem hunc spiritum Veneris, comparatio & æqualitas; quod hæc probroso mendacio confundas? An non spiritus Veneris hic solvit Perlas, oculos Cancrorum, Corallia, &c. blandè, & amicabiliter? An non à solutis his integrè, purus, nullâ residuâ acrimoniâ & aciditate, plenissimè abstrahi potest? Extrahit tincturas perfectè, cum ex Antimonio, tum nonnullis aliis mineralibus; eoque abstracto; illæ in spiritum Vini promptè abeunt. An hæc etiam præstat acetum tuum destillatum? Gaudet denique amabilis hic spiritus aliis prærogativis, attrahendis nimirum, & mox evacuandis, catarrhosis humoribus, per venas lymphaticas, è toto corpore, præsertim è capite & gingivis; leniendo magnoperè dolores dentium, sublata causâ, & methodicè. Num præstat hæc & acetum tuum destillatum? Respondeo: Neutiquam. Neque hoc, neque illud. Fraudes igitur tuas, quibus famam meam incidere tentasti, *mendax homo*, iterum revelavi, & in mendacia, quæ tantorum virorum autoritate fulcire cupiebas, ultro inquisivi; ut vel sic innotescere-

tesceres. Sed quid mirum? Mos hic est & dæmonis, ut, dum nocere cupit, in Angelum lucis se transfiguret. Uti neque venena dantur, nisi melle circumlita; neque vitia decipiunt, nisi sub specie & umbra virtutum: sic & tu, sapientum Virorum testimoniis abutens, ex flore fugistoxica, *Carvillator*, unde mel industriosæ apes, & Viri Christianæ probitatis. Hæc de scabioso, seu gloriâ pruriente, ac spiritu Cacodemico turgente, *novo Hippocrate: quia totus ventus est vita ejus*. Plura, de spiritu Veneris, sequentia, in progressu, revelabunt.

Reliqua ex hoc textu, ridenda potius, quam legenda, pag. 56. lin. 11. ubi ait: *Sal Tartari itaq; hætenus vilibus vestibus suam scenam ludit*, &c. uti supra, in textu, intacta relinquo, quia spuria, quia nugatoria. Legat B.L. textum paulo superius, obscura crepundia tractantem; totoque rideat splene; licet illa crepent Momo nostro. Oportet enim, ut multa timeat, qui nescit multa.

## CAPUT XI.

hic inscribitur:

### *Nunc de Alkali Animalium volatili.*



Polia iterum tibi adduco, (furta dicere volebam) ex Helmontio, *Tit. Porest. Medicamin. parag. 19.* ubi de mumiali fermento cruoris: & reliquis. Titul. iterum: *de Magnet. Vulnerum curat.* & denique, ex supra jam citatis locis; è quibus alcalium nomina & omina, seu theoriam, mutuatus est; quam tamen pessimo suo fermento mox corrumpit, *novus Hippocrates*. Sed in ipso limine inscitiam suam revelat, sui immemor, quod superius docuerit, Alkali nomen etymologiam trahere ab herba Kali Ægyptiorum, dum herba dicta crematur in cineres, igne aperto: qui cineres alcali appellantur, seu sal alcali, res fixissima. Juxta hos cineres, & sal alcali, nostri Antecessores aliorum vegetabilium cineres, & sales ex iisdem extractos, Lixiviales sales, raro, & rarissimè, Alcalia salia, appellarunt. Adeoque alcali quodcunque, ex sui natura, modo fiendi, & proprietate, præsupponit semper pristini sui corporis inhæsionis combustionem & reductionem in veros cineres, & salium eorundem extrahendorum fixitatem, salium nimirum purè falsorum & fixorum differentiam, à reliquis salibus acido-falsis, salibus volatilibus animalium, & plurimorum aliorum. Sic sales volatiles ex animalibus, uti toto cælo differunt à salibus lixivialibus & alcalibus, cum ex sui natura, modo planè contrario fiendi, & omnibus proprietatibus suis; tum etiam ratione Regni: ita nullo modo illis competere potest nomen Alkali; quia implicat: & nullus unquam aliàs inventus, qui sales volatiles alcalia appellaverit; cum illa præsupponant corporis sui pristini combustionem in cineres, è quibus demum sal fixus extrahendus. Sales verò volatiles neque ex cineribus sui pristini corporis eliciuntur, quemadmodum animalia in veros cineres redigi nequeunt, nisi fortè in perpaucos, cineribus tamen veris planè dissimiles: in quibus tamen cineribus, vel potius ossibus calcinatis, nihil salis fixi inhæret; quiq; nullas abstergerendi, abradendi, & liquandi, virtutes, uti veri cineres ex vegetabilibus, possident, sed alterius planè naturæ & proprietatis sunt. Errat igitur *novus Hippocrates* crassissimè, sales volatiles alcalia esse: sibi contradicit inadvertenter: omnia confundit: immemor inscriptionis præteriti capituli, scilicet: *Qui benè distinguit, benè docet*: omnia intricatè disponit, ventosq; inanes unà efflat.

Longum nimis foret, cum tam infantilem rextum, qui indignus lectu, totum scribere, tum omnia contenta ejus puerilia & absurda lima subjicere. Proinde ea vel maximè attingam, quæ Reformatorem spectant, & crassam *Hippocratis novi* ignorantiam paulam faciunt. Itaq; pag. 57. lin. 8. Capitulum



hoc obscurum solitâ obscurâ garrulitate incipit, uti sequitur : *Quemadmodum alcalia fixa, acida omnia absorbent, & juxta acidi naturam in falsum mutant, ut supra ostendi, sic etiam alcalia volatilia, omnium animalium, ex quorumcunque partibus elicita, etiam in falsum vertuntur, acidi proprietatem imitantia. Et quemadmodum* *n. quid sit fermentum paulo post ostendam,* *urina, continet alcali volatile, per fermentum (a) putredinis, sic sudor, sanguis, caro, ossa, & carnes omnium animalium diverso fermento, quodlibet juxta virtutem loco innatam, Et sicut de alcalibus fixis, differentiam intrinsecam, cum Mercurio sublimato soluto, & in sale tartari singularem prerogativam; sic & in his volatilibus, suam rempublicam in progressu ostendam.*

*Alcalia omnium animalium sunt similia, & vacua corpora* *omnium animalium alcali, urinae sanguinis sudoris (etiam calculorum omnium animalium) serpentum ranarum &c. Mercurium ex supra dicta solutione præcipitant coloris candidi, ita ut nullam differentiam, hac mechanica cernere licuerit; adeoque, hoc alcali, non est saporis falsi ut reformator sola opinione docet: falsa enim ut demonstravi, Mercurium ex dicta solutione non præcipitant, recipit autem formam, juxta acidi proprietatem, ut clarius in progressu patebit.*

In hoc textu non pauca, nec levia, continentur absurda, falsa, & contradictoria; ut hæream, cui primò sit occurrendum. Primò ait: *alcalia fixa, acida omnia absorbere, & juxta acidi naturam in falsum mutare*: quod & falsum est, & contradictorium. Nam alcalia sunt per se, ex natura suâ, falsa: non igitur per acida demum in falsum mutantur. Alcalia autem esse sales & falsa, non solum ipsâ veritate patet, & ex natura rei constat; sed cum sibi contradicente Hippocrate novello ipso probatur, qui non semel atque iterum, sed multoties, veritate convictus, sua alcalia falsa appellat; sicut salem Absinthii, salem Tartari, expressissimè, & per antonomasiam, nulla additâ distinctione, falsa dicit, pag. nimirum 13. lin. 29. pag. 42. lin. 4. pag. 27. lin. 12. pag. 33. lin. antepenult. pag. 34. lin. 18. pag. 35. pag. 42. lin. 1. pag. 45. lin. 4. pag. 47. lin. 4. & 10. pag. 51. 53. 54. lin. 19. 20. 21. & in fine pag. 56. lin. 11. & in quamplurimis aliis locis. Si igitur Alcalia, & præcipue alcali Tartari, quod summum & præcipuum est Hippocratis novelli, & Absinthii, sunt falsa: erunt ergo falsa. Nam falsa esse, & non falsa esse, implicat; ergò omnia alcalia sunt verè, & ex sui natura, realiter falsa, & quidem purè falsa. Non igitur opus habent, ut per acida in falsum demum mutentur; sed convertuntur per acida in acido-falsum, scilicet in acido-falsos sales.

Verùm animadvertat L. B. quòd hic incipiat fraus & dolus, quo utitur Impostor in progressu, quando vel centies in Reformatorem impunè invehitur, falsissimâ hypothesi: nimirum, quòd salem communem tantum salis nomine, tanquam unus & solus sal esset, pro libitu & imperio suo vult dignari; unice, ad decipiendum incautos, & ad calumniandum Reformatorem: reliqua verò falsa omnia alcalia vult, & licet toties sibi contradicendo, salis nomine privat. Hæc autem ejus impostura à Reformatore diluitur statim expressè, & clarè, doctrinâ de differentiis salium, in *Appendice ad Animadvers. pag. 67. & seq.* quæ denuò paucis repeto. Et in progressu sæpius dilucidè explicabitur, quòd maxima sit salium differentia, &, quemadmodum quodcunque genus suas habet species; ita sub hoc uno & generico salis etymo comprehendantur falsa diversæ speciei: quorum quædam sunt acido-falsa falsa, id est, sal communis, gemmæ, maris, & sal nitri, tanquam naturaliter falsa; arte autem talia sunt, scilicet, acido falsa falsa, sal Armoniacus, Tartarum Vitriolatum, sal Viperarum Reformatoris, & ipse sal Viperarum Hippocratis novi. Nunc porrò sunt falsa purè falsa; quibus propriè, & præ cæteris, nomen salis competit: quia à falsedine sal dicitur sal, & sunt talia omnia falsa lixivialia, sal Tartari, sal Absinthii, omniumque aliorum vegetabilium, ex cineribus illorum extracta. Hæc falsa,

salia, ex sui natura & origine, novissimus hic Hippocrates aliter baptizat, & contra semetipsum, non salia vult, sed generali etymo, uti ait, pag. 13. lin. 19. & seq. pro suo libitu & imperio, Alcalia appellat: mox iterum tamen salia, sibi immemor, per se, sine distinctione aut differentia, tanquam per antonomasiam, nominare dignatur; sicut supra paulò, ex plurimis citatis locis, patet. Adeoque omnia confundit, suo instituto contrarius, malè distingvit, & malè docet; ita, ut, nisi quis cautus sit, hæc lectitans, is imposturam hanc Hippocraticam facile non advertat. Et verò, cum Hippocratis Chymici Alcalia sint verè & propriè salia, sub generico salis nomine principaliter comprehensa, & ille ipse toties illa salia propriè appellet & fateatur, ipsi autem salibus, ex propria saltem phantasia, nomen Alkali genericè imposuerit, pag. 13. nequaquam igitur per acida demum in salia, vel falsum, mutantur, sed transmutantur per acidum spiritum in salia acido falsa. Hoc est tandem proprium illorum nomen; hæc illorum differentia & species, quæ ab aliis salibus distinguuntur. Atque sic Hippocratis novi novi impostura detegitur, & assertum falsum controvertimus. Nunc de salibus volatilibus animalium loquendo, sive Urinæ, sive Ossium, Cornuum, aut aliarum partium, Sangvinis & Carnis, sint, illa insigniter differunt à salibus lixivialibus, seu alcalibus, non solum volatilitate, sed aliis etiâ accidentibus & virtutibus suis, ut & præparatione, seu modo fiendi, ac ratione Regni, & subjectorum, è quibus eliciuntur: ut antea dictum, & in progressu magis palam fiet. His, inquam, salibus volatilibus nomen & etymon Alkali minimè competere potest; etiamsi, quoad falsedinem purè falsam, salibus lixivialibus ex parte sint æqualia, acida omnia immutando, non tamen totaliter destruendo: quemadmodum à salibus volatilibus acida, seu acidi spiritus, arte denuo segregari, & ambo in pristinum esse suum, acidum nimirum spiritum, & volatile falsum, restitui possunt; quod neutiquam contingit in salibus lixivialibus, seu alcalibus, quæ acida, & acidum spiritum omnes totaliter destruunt, & ambo in aliud ens degenerant, à quo arte revocabilia nunquam. Illa, inquam, salia volatilia purè falsa, accessione acidorum spirituum, in falsum demum verti, uti hic novus Hippocraticus Philosophus stupidè asserit, pag. 57. lin. 15. quodque acidi proprietatem solum deinde imitentur; hoc iterum dupliciter implicat, nimirum; purè falsum antea, & per se, naturâ suâ, in falsum demum verti, accessione acidorum: & hoc falsum dein solum acidi proprietatem imitari. Videsne, obscure Philosophè, quanto perè impingas Hippocraticis tuis commentis? Vertuntur autem illa volatilia salia animalium, accessione acidorum spirituum, non in purè falsum, sed in acido-falsum, seu salia acido-falsa; quæ tamen adhuc volatilia manent, instar salis Armoniaci, ad differentiam salium acido-falforum lixivialium fixorum, arte nimirum talium, & salium porro acido-falforum communium, naturâ suâ talium, non arte. Et hæc est vera ac realis, de salibus lixivialibus fixis, & volatilibus animalium informatio. Plura, de aliis salium speciebus, in Appendice n. loco supra citato, cum fundamento præmissa sunt. Patet igitur ex his, quàm præposterè doceat novellus Hippocrates, quàm malè distingvat, & pessimè omnia, ad fallendum incautos, proponat.

Pag. 57. lin. 17. porro ait: Et quemadmodum urina, continet alcali volatile, per fermentum putredinis, sic sudor, sanguis, &c. uti supra. Hic iterum reperitur falsum; ut & reliqua subsequencia, sine principio, sine fine, fumus sunt & ventus. Nam urina, sine ulla fermentatione, recenter micta, sine fermento putredinis, sale volatili prægnans est; ac ex illa unius diei, imò paucularum horarum, spatio, per coctionem, aut inspissationem, & subsequentem destillationem, volatilis sal elici potest; cujus diversos & legitimos parandi modos edocui in præfata Appendice ad Animadvers. pag. 71. & 72. Sal itaque urinæ volatilis



nequaquam per fermentum putredinis demum fit, nec per illud elicitur; sed præexistit in urina, sine hoc fermento putredinis.

Præterea, pag. 58. lin. 11. iterum garrit, dicendo: *adeoque, hoc alcali* (scil. sal volatilium animalium) *non est saporis falsi ut reformator solâ opinione docet: falsa enim ut demonstraui, Mercurium ex dictâ solutione non præcipitant, &c.* Verum ex præmissis patet, Reformatorem solide & fundamentaliter de salibus volatilium animalium, aliisque salium speciebus, & eorum genesi, disseruisse & docuisse, sine fuco, sine impostura. Hippocrates verò novellus ignoranter neque genesein, neque differentiam, aut species, salium cognoscit, ex imperitia omnia confundit, centies sibi contradicit, & mundo imponit. Hoc quod verum sit, ex sequentibus iterum patebit. Namque ait: *sola salia lixivialia* (quæ nunc Hipp. novo non amplius sunt salia, sed alcalia, generali nomine hoc demum, pro suo arbitrio, pag. 13. ab ipso imposita; cum tamen illa, uti supra ostensum, multoties salia simpliciter, & per antonomasiam, appelleret) & *salia volatilium animalium* (quæ etiam ex crassa ignorantia alcalia volatilium dicit) *Mercurium præcipitare; falsa verò Mercurium non præcipitare.* Hæc sunt absurda & contradictoria. Etenim cum alcalia tam fixa, quam volatilium, ab Hippocrate novo ita baptizata, sint verè, & realiter, salia: quod per illum ipsum toties convincitur, uti, superius, pagina & lineæ adductæ demonstrant; illa verò alcalia salia Mercurium præcipitent: ergo falsa Mercurium præcipitant. Nam salia esse, & non esse falsa, iterum implicat. Adeoque Reformator verè dixit, & ingenuè scripsit, ac nunc denuè affirmat, nullum falsum sine sale esse, neque falsedinem sine sale existere posse. Ergo alcalia cum volatilium, tum fixa, Hippocrati novello sic dicta, verè & realiter, ex sui natura, esse, & operari, salia sunt; utque etiam saporis falsi sint, sequitur infallibiliter ex natura. Secus enim non essent salia, neque alcalia. Nugatur itaque turpiter novus Hippocrates, sibi non conscius, quæ antè, quæ nunc, scribillet, omnia confusè, contradictoriè & inordinatè tractando; quibus multi incauti decipiuntur. Consistit autem hæc ejus impostura in crassa ignorantia aut fallacia, quæ mox palam fiet, si differentiam, si genera & species, salium denominemus; prout Reformator illa ingenuè, & fideliter, citato loco, descripsit. Et dicamus denuò & nunc: salia volatilium animalium, ut & fixa vegetabilium, esse per se, sine additione, salia purè falsa; additione autem acidorum spirituum, illa converti in salia acido-falsa, & quidem arte talia facta, ad differentiam salium communium, quæ natura suâ acido-falsa sunt. Sic salia volatilium animalium, & salia lixivialia fixa (cuncta Hippoc. Chymico alcalia dicta) per se Mercurium, nec non alias res, ex sua solutione potenter præcipitant; reddita verò acido-falsa, per spiritus acidos, Mercurium non amplius, vel saltem non ita potenter, sicut etiam sal communis, præcipitant: sunt nihilominus cuncta salia, & neutrum è salium genere & etymo proscribendum.

Ex his itaque discat Calumniator, alter Æolus, fumo deinceps, & ventis, seu fastui melius imperare, eaque scribere & docere, quæ bis ad limam prius, quam semel ad lingvam & calamum, destinavit. Non enim hæc plebi, & illiterato populo, non circumforaneis scripsit, aut declamavit, Stentor, sed Europæ Medicis dictavit, doctis, Idiota; exercitatus Chymicis, torpidus hallucinator. Et quia uno semper (luscus) oculo Reformatorem respicit, an despicit, non demiretur, si, toties memoratus in hac miraculorum Chymicorum epitome, Reformatorem semel pro semper aptè responderit, injurias & figmenta retorserit, furta denique, & arcana, ex Helmontio, spolia foro & populo spectanda produxerit. Atque hæc invitatus egi, quia laceffit graviter, homo cæterum, pacis & tranquillitatis cultor. Verum neque oportet ejusmodi Tarquinios ubique sustinere; coercenda est cameo & fræno super-

superbia; exautoranda potentia, quam publicâ rapinâ alieni nominis pallio (Helmontii) ostentant, cujus tamen virtutem non gerunt; denique castiganda ignorantia, ne in obsequium trahat ad omnia pronam literatorum indolem: quam quidem Spartam nemo felicîus, ipso Tackenio, objvit hactenus, qui ubique ignorantiam suam palliatam huc usque revelavit, dum non tacuit; propalavit, dum libros scriptitavit; publicavit denique veluti tubâ & lituo, dum omnia confusè edidit, absurda absurdis cumulavit, contradictionibus omnia involvit, veritatem mendaciis contaminavit. Quid enim aliud egit, dum salia cupit & appellat salia, & post paululum scribit: salia non sunt salia? Salia præcipitant Mercurium, uti sal Tartari; & iterum, salia, sive falsa, non præcipitant. Verbo, salia vult talia, quando ipsi pro saliva sunt; &, velut non talia, repudiat, ubi Reformatorem cavillare prurit. Denique

— mens refractaria semper  
Indoctorum hominum. —

Procedit Author ad salem Armoniacum, quædam vera, plura tamen falsa tractans. Pag. igitur 58. lin. 23 ait: *Observarunt inquam (veteres) quod alcali volatile, combibit tantum de sale cireniaco, quantum pro sui constantia & saturitate sufficeret, pro sale armoniaco artificiale, adeo ut alcali urinæ, cum acida parte salis dicti, tam strictè sunt se invicem amplexa, ut per se divortium non patiantur: Sal enim urinæ, cum in ignis tortura fugam tentat, rapit secum acidam partem, quam sorpsit, & simul, sublimantur, in sal armoniacum artificiale. &c.* Parari salem Armoniacum ex sale (non alcali) urinæ, & sale Cireniaco, falsum est. Nam sal Cireniacus per se, & sua naturâ, dicebatur olim Armoniacus, & non fiebat arte. Hic autem jam dudum esse desiit, & ad nos non ampliùs transfertur; de quo videatur Cæsius, Matthiolus, & Musæum Wormianum, cap. 7. Nec etiam Sal Armoniacus artificialis noster ex sale urinæ jam confecto paratur, sed sublimatur ex larga quantitate urinæ crudæ humanæ coctæ, sale communi, (nequaquam Cireniaco) & fuligine. Hæctria in massam priùs rediguntur coctione, & tandem in Armoniacum salem sublimantur; in qua sublimatione sales volatiles urinæ & fuliginis tantum aciditatis de sale communi, acido-falso nimirum, rapiunt, quantum pro aliquali eorum constantia sufficit: prout Author superiùs ipse quidem scribit; fuliginem tamen, tanquam necessarium salis Armoniaci constitutivum, omittit, &, pro urina hominis cruda, salem volatilem urinæ, perperam, substituit: mox ignoranter etiam de urina Camelorum garrit; quin & auditu rudem hujus salis Armoniaci notitiam, de quo tantos eructat ventos, mutuatus est.

*Quod Sal commune, vel nostrum, vel amoniacum veterum, habeat acidam partem, extra ignem communicabilem, pag. 59. lin. 7. hoc est extra controversiam, nec eget mechanicâ, aut artificiali demonstratione.*

Porro, pag. 59. lin. 18. pergit: *Sic citra distillationis artem, veteres viperinum alcali sale armoniaco naturali associare tentarunt.*

*Veteres itaq;, postquam occultam, alcalium (ex animalibus) volatilium differentiam, & salis communis & cireniaci aciditatem ex Hippocrate (a) sub facultatum a. lib. 1. de nomine animadverterunt, ceperunt stratificare vyperas, cum sale armoniaco vel cireniaco naturali, ut ait Plinius, supra citato loco; sicut viderunt de urina & sale, eo sine, ut viperarum alcali combiberet tantum, de acido sale, quantum sufficeret, ne sponte in fugam abiret. Hanc compositionem tunc non sine levi conjectura vocarunt sal Theriacale, eò quod didicerant, viperarum carnem, multa venena superare (imo ingenioso viperino decocto, non semel Gallicam luem in delicatulis extinxi) consequenter, ratione mumialis fermenti eandem facultatem, alcali viperinum continere debere.*



m. fol. 481.

a. Seneca  
li. 7. quest.  
natural.  
cap. 31.  
b. lib. 2. de  
diata.

*Hæc veterum contemplatio, non tam infantilis, & absurda videtur, ut reformator (a) in textu scribillat, ipse sanè absurdior multo, quod auctorum memorandas excogitationes non intellexit. Quod verò illis injicit non habuisse purificandi artem, verum quidem est sed propterea non sunt calumniandi, neque honor illis destrahendus, multò minus cachianno exponendi, sic enim jubet Doctor meus: post multa secula fortasse deridebitur & reformator, quod tam absurda, suo tempore scripserit, nunquam enim deerit occasio, post mille millia annorum, nova & meliora inveniendi & addiscendi, eò quod rerum natura (a) sacra sua, non simul tradat: illius arcana non promiscuè, nec omnibus patent, reducta, & in interiore sacrario clausa: ex quibus aliud hæc ætas, aliud quæ post nos subibit accipiet. Audi & Hippocratem meum, multo modestius, de hac re loquentem (b) Immerito ullus ipsorum reprehendatur inquit: propterea quod invenire non poterat; imò laudandi potius omnes, quod investigare conati sunt.*

Jam verò, Hippocrates nuper enate, meum est, ut tuam crassam ignorantiam, & absurditatem, tibi ad oculum demonstrem; cum absurdissima quæq; contra Reformatorem defendere, illumq; iniquè cavillare, unicè allabores. Primò: quod Veteres viperinum alcali salis (non, sale; est vitium Syntax.) Armoniaci associare tentârint, falsum & sesquipedale mendacium est: ob idque injuriosus es in Venerandam Antiquitatem, quod absurditatem hanc illi appingis. Nec enim sal viperinum, aut viperinum alcali, tuo etymo, citra destillationis artem unquam parari potest: & Veteres, uti tu ipse fateris, rerum veram analysin nondum noverunt, neque salem viperinum pararunt unquam, ut neque sciverunt: &, si novissent, aut salium volatili-um, ex animalibus, cognitionem habuissent; revera absurdam illam salis Theriacalis confectionem minimè suscepissent aut dispensassent: quam tu, *magne Hippocrates*, defendendam in te suscipis. Sed audi, quæso! quæ absurda, absurdissimus ipse, defendas. Posito enim, quod Veteres salem viperinum etiam in substantia habuerint, & salis Armoniaci, vel Cirenaici, associarint, quod clarè, pag. 59. lin. 19. affirmas, ac si ipsa esset veritas, (licet falsissimum sit, ac tu ipse, tibi statim contrarius, pag. 60. lin. 26. asseras, quod Veteres artem purificandi, aut separandi potius, non habuerint) quantum, igitur, putas, salis dicti viperini volatilis, ex quatuor tantum viperis, elicere potuissent? Tu expertus es in destillatione salis dicti viperini volatilis, edisfere, quæso! quantum quatuor viperæ tantum salis dicti præbent? Revera, juxta meam experientiam, vix ac ne vix quidem dimidiam unciam. Et, posito iterum, habuisse dimidiam unciam salis sæpe dicti viperini, illamque associasse quadraginta libris salis Cirenaici fixi, cremasse tandem utraque, una cum aliis speciebus quamplurimis, utpote trochiscis, scillis, &c. in ollâ spiraculis pervia, ad lucidam usque flammam exeuntem: remansissetne illa dimidia uncia salis viperini, cum adjectis quadraginta libris salis Cirenaici, vel communis, in residuo? Tuo ipso, *magne Hippocrates*, judicio, non: neque etiam meo. Nam, sicut ipse asseris, & in sublimatione ac præparatione salis Armoniaci verificatur, salia volatilia, de aciditate salis communis, tantum saltem imbibunt, vel recipiunt, quantum, pro sui saturatione, & sublimatione in formam salis Armoniaci solidam, sufficit; non verò, ut perfectè fixentur, aut tam stricte se invicem amplexentur, ut in residuo, cum sale communi, aut Cirenaico, verè & inseparabiliter, in igne constanter unita & fixa maneant, sed ut eleventur in altum, & sublimentur. Si ita est, uti verissimum, experientiâ quotidianâ teste, & tuâ ipsius doctrinâ confirmatur, dic, amabo, edisfere sine fuco, quid remansisset de sale viperino, cum sale dicto Cirenaico, post violentam calcinationem, &, uti loquuntur Veteres, donec clara ac lucida flamma per ollæ spiracula prodierit? Nihil, *novæ Hippocrates*, nihil, & nec

& ne granum quidem : quia calcinatio illa violenta violentior est omni sublimatione. Si autem, in sublimatione, salia volatilia cum sale communi, aut Cirenaico, non ita strictè se invicem amplectuntur, ut unita & fixa in residuo maneant, sed saturata saltem ab aciditate salis communis, aut Cirenaici, nihilominus sublimentur, & sublime petant, adhuc volatilia : ergò nec, in tanta ignis tortura, lucida ac clara flammæ resistere possunt, quin ad montes Olympi, nullo quidem suo vestigio relicto, protinus ferantur : quæ omnia in sublimatione salis Armoniaci palam fiunt. Vides igitur ipse, quàm infantilis & absurda sit tua contemplatio, & quòd absurdus multò, quàm Veteres, scribillaveris.

Secundò : Latæ tuæ sententiæ, & priori assertioni, pag. 59. iterum contrarius, & divinum Coum porro, ex lib. I. de diæta, frivole invocas : *Veteres, ais, caperunt stratificare vyperas, cum sale armeniaco vel cireniaco naturali, &c. pag. 59. lin. 28.* Veteres stratificasse Vyperas cum dicto sale Cirenaico, tibi facile concedere possem ; licet genuinus textus de stratificatione nihil habeat, ideoque falsè iterum Antiquos accuses : sed accipiebant tantum, juxta genuinum textum, in Pharmacopœia Augustana fideliter promulgatum, *quatuor vyperas recens captas, nec ultra biduum detentas ; has olla munda, ex optima terra efficta, imponebant ; super has salis Armoniaci (nihil loquuntur de tuo non ente, sale Cirenaico, qui esse desit, testibus plurimis, Cælio, Matthiolo, Wormio &c.) aut vulgaris albißimi, libras viginti injiciebant ; deinde verò addebant his Trochiscos ex Gentiana, Aristolochia rotunda, Centaurio minore, Cardamomo, Marrubio, Scordio, Apio, Chamadry, ac semine Ruta domestica, cum melle, paratos ; his insuper jungebant quinque præggrandes scillas recentes, in minuta frustra dissectas, salis prædicti vulgaris, vel Armoniaci, rursus viginti libras adjicientes.* Quo factò, ollam operculo, spiraculis, seu foraminibus, pervio tegebant, commissuras vasis luto quàm optimè obsfirmantes, & succenso igne, materiam omnem, primò sensim, tum potentius, exurentes. Primus enim fumus, per operculi spiraculæ extens, ignem jam vyperas invasisse, denotabat ; à cujus halitu ne interficerentur, studiosè cavebant : perfectam verò utionem clara ac lucida flamma, per spiracula prodiens, indicabat. Hoc peractò, ignem paulatim extincto, vas id testaceum, vyperas, unà cum reliquis jam dictis, continens, viginti quatuor horarum spatio, refrigerari permittebant ; tum verò materiam, in eo contentam, tenuissimè tritam, cribro trans mittebant, addendo ei denuò semen Rutæ, grana Juniperi, semen Fœniculi, Coriandrum, Mentham, & Piper longum, ac alia simplicia, quæ alioquin ad Theriacæ compositionem requiruntur. Is erat Sal Theriacalis Antiquorum, prout videre est apud Galenum, lib. de Theriaca ad Pisonem, & Aëtium, tetrab. 4. serm. I. cap. 97. nec non Dioscoridem, loco supra citato : licet inter Veteres aliis alii, ejusmodi sales parandi, modi ex usu fuerint. Hucusque ex Pharm. August. pag. mihi 271.

Nunc, Hippocratice Philosophe, posito, stratificârint (nam de stratificatione, quam frivole asseris, nobis sermo est) sive infernè posuerint, juxta genuinum textum, quatuor Vyperas, (Mihi quidem perinde est. Nam de lana caprina tecum rixari nolo) & tantâ violentiâ ignis, cum quadraginta libris salis Armoniaci, seu tui Cirenaici, aut vulgaris, aliisque multis vegetabilibus, cremârint, quoad lucida ac clara flamma, per spiracula ollæ, aut operculi, prodierit : potuitne, in illa ignis violenti tortura, parum illud salis Viperini volatilis, quod quatuor tantum Viperæ continent, unà cum prædictis quadraginta libris salis Cirenaici, aut vulgaris, & tot simplicium vegetabilium, ac scillarum, carbonibus (quia in clauso vaso cineres nunquam efficiuntur) in-violatè remansisse, quin æquè, ac si ipse sal Viperinus volatilis sali vulg. aut Cirenaico, & speciebus aliis, additus fuisset, aciditate à sale Cirenaico ; aut com-

muni



in ini (uti dicis extra ignem communicabili) sufficienter atreptâ, ad auras, & cacumina Olympi, instar salis Armoniaci, avolarit, nullo sui vestigio quidem relicto; uti contingit in ipsa salis dicti Armoniaci vulgaris, & artificialis, præparatione? Etenim sales volatiles animalium nunquam perfectè fixantur, ut constantes in igne maneant, neque à sale ipso, neque spiritibus ejus acidis; quin protinus, aucto paulisper igne, haud secus, ac sal Armoniacus vulgaris, auras petant, vel si in vase clauso, capitello suo munito, sursum sublimentur. Vides proinde iterum, *Hippocratice Philosophæ*, quantum in tam ja & abundè excogitatâ hac stratificatione tuâ sit inane.

Tertio: Nequerationi consonum, imò absolum, mihi videtur, quòd integras Viperas, & uti ex contextu liquet, vivas, tantâ copia salis & vegetabilium obruerunt, adunitis capitibus, caudis, spoliis, & spurcitiis, turgentibus interaneis, felle insuper, & vesiculis sub dentibus falcatis, flavo liquore oppletis; in quibus jam recensitis partibus quin particula veneni lateat, nemo est, qui ambigat. (Plura id edocuerè tragica spectacula, etiam me non nunquam arbitro, & periculo defuncto, dum capita, quondam, & caudas Viperarum, in vase clauso siccare, curiositas compulerat, & proximius accedendo, pænas luere coëgit; non obstante, quòd, cum Helmontio, asseram; potiores Viperarum, aut aliorum venenatorum animalium, deleterias vires in imagine iræ delitescere.) Quòd si hoc verum, uti indubitatum est, quis nunc ambigat, venenatam illam qualitatem, quæ in interaneis etiam hospitatur, salî Cirenaico, & vegetabilibus, communicari, ac fortius imprimi his, quàm eorum sal volatilis, paucus, & vix annumerandus. Sed replicabis; hanc deleteriam qualitatem violentiori igne avolare, neque salî vulgari, aut Cirenaico, communicari; quod ultrò tibi concesserim. Verùm, à pari argumentando, dico, quòd, sicut hæc qualitas ab igne disparet; sic à fortiori Viperarum sal volatilis, ignis dominio, evanescat, & auras petat.

Quartò. Et, licet, quæcunque hætenus acta, ultrò admiserim, tibi in favorem, *Tackeni*; sale nimirum Viperarum volatilem, ejusque virtutes, à concrematis viperis in residuo depositari, cum sale vulgari, aut Cirenaico; quod tamen falsissimum; etiam si tuam ipsius explores conscientiam, (si quam habes) sententiam, & verba: quid tandem, post hosce conatûs, emolumenti habituri sumus? An non, cum Discipulis, in monte, demiremur miraculum, tot hominum millia saturatum iri paucissimis fragmentis: ecquid tam parum inter tam multos, vociferantes? Profectò, majora sunt hæc tua prodigia, dum quatuor Viperæ (etiam odore tenus, ut olim ajebas) quadraginta libras salis tui Cirenaici, vel vulgaris, debent informare, quin imò imprægnare validis virtutibus, accedentibus tot carbonum libris, residuis à vegetabilibus exustis, cum sale perdurantibus. Profectò, multa millia granorum salis vulgaris, aut Cirenaici, & residuorum carbonum, ne dimidio grano salis Viperini saturarentur, aut gauderent. At quas hoc augmentum vires ægristributurum sit, L.B. secum ipse perpendat, ac cum *Tackenio* exultet, talia se arcana crevisse.

His feliciter jactis fundamentis, judicent Viri sapientiam professi; judicent Chymici & exercitati Pharmaciæ Magistri, an non tota vita *Tackeni* ventus sit: an non doctrina *novi Hippocratis*, fumus: an non actiones, fastus & superbia. Nulli ampliùs, ex dictis, obscurum erit, desumere; quòd Veterum, de sale Theriacali, contemplatio non modò perfectior fuerit, verùm & in comparatione hujus, quam repudiamus, *Tackeni*, frivola, insolentis, & Tironibus probrosa, sententiæ, sit absolutissima. Et tamen prodit in scenam Nugator: jam Morionem, jam Magistrum, & *novum Hippocratem*, agit, Reformatorem increpat & lacessit, qui sanam doctrinam sine fuco dictavit,  
Medicinæ

Medicinæ consuluit, ac neque Majoribus, & sacrae Antiquitati, neque Posteris, injurius, ea divulgavit, quæ sibi à Deo, pro talento, & ingenio, fuere concredita. Verum molliculus hic noster, & Melitæus catulus, *Tackenius*, pulpamenta quærit, & molles delicias: adulari nunc vult Antiquitati, immundo corde; palliare errores; vitia vitiis cumulare; ire denique, quò itum, non, quò ratio, eundum esse, svadet. Hinc illæ lacrymæ, *fol. 60 lin. 27.* quas, pro veneranda Antiquitate, Crocodilo livor & superbia expressit. Propterea (Veteres) *non sunt calumniandi, neque honor illis detrahendus, multò minus cachinno exponendi.* Sed priusquam respondeam, (recole tecum, mi *Hippocrates*, quæ, & quanta, debeas Universitatibus, Collegiis Medicorum Inclytis, Regibus, Principibus, *Dieterico*, summis & imis. Multa fanè & solutu impossibilia debes, *fama latro*, qui tot intulisti his Viris incommoda, probra, & maledicta) ediffere: an calumniari sic licet; errores autem, ratione & experientia suffragante, non moderari? Ego venerandam Antiquitatem derisi nunquam, minùs calumniatus, sed, nostris prospiciens sæculis, probos Majorum conatus fulcire studui, ac ea restituere, quæ, labentibus annis, aut degenerarunt, aut, instar inutilium stolonum, in Arte luxuriabant. Novi benè, *Tackeni* (& vel alto te premente silentio) quòd non omnibus sit obvium, adire Corinthum; & multos esse Thyrsiferos, nec tamen omnes Bacchos. Novi, quòd sapientiæ sacrarium binis obferetur repagulis, nec aliis pateat clavibus, nisi industriæ & pietatis. Novi, quòd sapientia tota simul participabilis in hac vita non sit, sed, cum Jano, bisrons, præsens & futurum recipiat; &, ut ais, ex tuo *Hippocrate*, *lib. 1. de dieta*, *ideo neminem esse reprehendendum, quòd omnia invenire non poterat.* Vera hæc sunt, & verissima. Sed interim, ut incultus ager Medicus squaleat, infame lolium serpat, zizanix adolescant, errores tueamur, talenta sepeliamus, te, denique, *neve Hippocrates*, æmulemur, tantum fastuosis, vanis, & fictis pollicitationibus, caliginoso stylo, verbis amphibologiâ plenis, proborum calumniis, & peregrinis nos ostentantes spoliis; hoc à Reformatore alienum hæctenus fuit, qui, veritatem recolens, maluit sincerus, & proximorum saluti intentus, audire, quàm tecum in novum *Hippocratem* molli hederâ inaugurarî. Miror, profectò, zelum & spiritum phantasticum, qui te incessit, *Tackeni*, quòd Majorum, & vitæ functionum sapientum causam in tantum suscipias, (qui vivis non parcis) cum tamen & ipsi, è tumultu redivivi, meis non succenserent conatibus, quòd inventis eorum complura adjunxi, ac eorum imbecillitati, meliora substituendo, amicè consului. Nam & sic de Platone statuisse, constat, Aristotelem: sic Senecam, de Philosophis, ac Stoicis: sic, olim, Athenæa & Lycæa: sic nunc agunt Universitates: sic factitavit Orbis, in ævum & sæcula prosequenda. Quid enim aliud egit Antesignanus noster Galenus, qui dexteriores salis Theriacalis apparandi normam ævo suo introducere voluit? Quid Osvaldus Crollius, nobis vicinior? Quid Quercetanus? Quid Begvinus? Quid, post innumeros, D. D. Augustani ipsi, quorum autoritas fatuum splendorem tuum, & ignem, facile tumulat? Quid aliud docet, *pag. 271. Pharmacop. August. cum Animadvers.* quàm quòd *moderna tempora, quorum labore, vel industria, Veterum adinventum nonnihil perpolita subsistunt, colubrinis hos, seu viperinos, sales aliter, & magis dextrè, conficere didicerint, quæ in re summum suum culmen attigisse, merito sunt existimanda.* E quibus omnibus facile elucescit, quò merito, & gloriâ, quò encomio & suffragio, literati sæculi nostri, quin imò & retroagendæ Posteritatis, tu, *Tackeni*, dictos conspicuos errores, quos & ipsi D. D. Augustani jam dudum proscrispère, multorum indignatione, nonnullorum verò risu, proplausu postliminiò revocaveris, ac te vindicem, severumque judicem Pharmacopœiæ Augustanæ feceris, multorum ipse criminum Pater. Salve igitur, fidissime Augustanæ Pharmacopœiæ Tutor, & Zwellferi Re-



mator : hanc tibi non invideo clientelam, quam, omnium ludibrio, (tot spurios adoptando errores) in te sumpſisti, nec non ingloriè hæcenus gessisti; turpiter abſoluturus, *Tackeni*.

Scrutemur ulterius acta *Hippocratis novi*, pag. 61. lin. 21. ubi ſalem Viperinum Reformatoris, ejusque doctrinam ſugillat his ſequentibus: *His intellectis, videamus nunc, qualem prærogativam & præcellentiam habeat ſal viperinum Reformatoris præ veterum inventis; quod illi præparare tentarunt ſacili operatione; hic magno ſumptu, operoſo labore, p mpoſo & ſolenni oſtentatione ac triumpho.*

m. pharm.  
fol. 426.

b. ſal viperinum reformatoris eſt ſal commune.

*Diſtillatum viperinum alcali ( ſub titulo (a) proprio ) ex retorta, combibit ſpiritum ſalis communis acidum, quem oſtendi, citra diſtillationis artem, cum addito alcali, ſeparabilem eſſe: ex illa copula, acidi nimirum ſalis, & alcali viperini fit ſal commune (b) iſtud ſal commune cum igne arena ſi preſſeris, elevatur in ſal armoniacum artificiale, omnes ejus proprietates habens, quod probatur hac mechanica.*

Alcali viperinum præparatum.

*Commisce pulverem ſalis tartari ( id eſt alcali tartari fixum cum æquale parte ſalis viperini reformatoris, hanc mixturam, diſtilla per retortam, in arena poſitam, & videbis ſtatim alcali ex viperis per collum aſcendere, eò quod fixum alcali tartari, apprehendit ſalem acidum, tunc alcali viperinum acidum ſocium lubens derelinquit, dum cogitur à calore in fugam abire. Fac idem cum ſale armoniaco vulgari, & differentiam nullam deprehendes: adeoq; quod veteres, cum ſalis corpore, reformatorem cum ſalis ſpiritu, majore cum labore & ſumptu perficit: & ſi veterum ſal viperinum erat inutile ut ait, reformatoris eandem habebit proprietatem.*

Sed pace Virorum, & Medicorum Coronâ, procedit in publicum iterum noſter *Tackeni*, multorum mendaciorum & fraudum bajulus; è quibus ſtatim binas impoſturas foro ſiſtam. Nam, primò: hæc eadem, de ſale Viperino, theoria & parandi methodus, quam in me ſugillare & taxare nititur *Auguſtan. vindex*, eſt illa, verbo & re, præparatio, quam olim, in Patavinis Collegiis, Auditoribus, Doctiſſimis viris, dictavi & conſignavi; hanc deinde, furto mihi ereptam, Celiſſimo Principi, Friderico, Holſatiæ & Slesviciæ Duci, pro magno ſecreto, & vero ſale Viperino, communicavit; à quo etiam ſe aureâ Catenâ, pro præmio, donatum gloriatus eſt. Et eadem hæc deſcriptio, dicto Celiſſimo Principi communicata ad nos denuò Patavium, ab amicâ manu delata eſt. Subriſi autem, & in villico iniquitatis aſtutiam, & ingenium, demiratus ſum, & obſtupui. Nunc quæro, *Tackeni*: illa, quam tanto Principi conſignaſti, apparandi ſalis Viperini norma, genuinane fuit, an impoſtoria? Si adulterina, dignus, proſectò, eſt pœnâ, *Tackeni*.

An neſcis, longas Regibus eſſe manûs?

Si verò genuina: ergò & illa, quam in Reformatore redarguis. Pali-nodiam ergo canito.

Secundò: Salis Theriacalis Antiquorum ſufficienter ventilatam præparationem, quæ, uti ad oculum demonſtratum, abſurdiſſima, à *Tackenio* verò nihilominus omnibus viribus fulcitur, & contra Reformatorem, mendaciis, probris multis, contradictionibus manifeſtis, per ſas & neſas, vindicari vult; dum è contra Salem Viperinum Reformatoris, qui dexterrimè, cum ſpiritu Salis, paratur, ex eo ipſo fundamento, quo ſalem Theriacalem Antiquorum illiſc ignoranter defendere nititur, hic inſcienſter, ſibi planè immemor, & contradictoriè, vituperat: prout ex textu, & meis deſuper factis Animadverſionibus, palam fiet. Ait autem, pag. 59. lin. 22. *Veteres itaq; poſtquam occultam, alcalium (ex animalibus) volatiliū differentiam, & ſalis communis & cireniaci aciditatem ex Hippocrate lib. 1. de diæta, ſub facultatū nomine animadvertentes, ceperunt ſtratiſicare Viperas, cum ſale armoniaco vel cireniaco naturali, ut ait Plinius, ſupracitato loco; ſicut viderant de urina & ſale, eo ſine, ut Viperarum alcali combiberet tantum, de acido ſale, quantum ſufficeret, ne ſponte in fugam abires.*

Vides

Videsné, *Tackeni*, quòd in hoc textu expresse admittas, & laudes, *salem Theriacalem*, seu, uti dicis, *Viperinum alcali*, quod tantum de acido salis, hoc est, de spiritu salis vel vulgaris, vel *Cireniaci*, combiberit, quantum suffecerit, pro sui saturatione, ne spontè in fugam abiret: & illud alcali *Viperinum*, ratione *mumialis fermenti*, uti iterum dicis, continere eandem, à *Viperis*, facultatem? Cur igitur apertè, & turpiter, tibi contradicis, quando *salem Viperarum Reformatoris*, qui dextrè & legitimè, cum spiritu salis, vel, uti dicis, cum acido salis copulatus est, vituperas, spernis, & illum pro sale communi, omnes ejus proprietates habentem, mendaciter proclamas? Confirmas præterea tuas manifestas contradictiones, pag. 62. lin. antepenultima, ubi ais: *adeoq; quod veteres, cum salis corpore, Reformatior cum salis spiritu, majore cum labore & sumptu perficit: & si veterum sal viperinum erat inutile, reformatioris eandem habebit proprietatem.* Nunc, à pari, ego infero: Si *Veterum sal Viperinus* (*Theriacalis*) erat utilis, & magnarum virium, quòd, uti dicis, cum acido salis fuit copulatus: Ergò & *Reformatioris*, qui dexteriori modo, uti, in præcedentibus, clarè demonstratum, cum acido salis pariter copulatus est, non erit sal vulgaris & inutilis, sed magnarum virium. Et sic manifestè es convictus, ac iterum apertè mentiris, quando, pag. 62. lin. 6. in eodem Paragr. sesquipedali contradictione, iterum ais: *Ex illa (scilicet Reformatioris) copula, acidi nimirum salis, & alcali viperini fit sal commune istud sal commune, cum igne arena si presseris, elevatur in sal armoniacum artificiale, omnes ejus proprietates habens: & his, eadem pag. in subsequenti statim paragrapho, lin. 141. iterum crassissime contradicis, taliter: Commisce pulverem salis tartari id est alcali Tartari fixum cum equale parte salis viperini reformatioris, hanc mixturam, distilla per retortam, in arena positam, & videbis statim alcali ex viperis (notet L.B. benè iterum alcali, ex Viperis) per collum ascendere, eò quod fixum alcali tartari, apprehendit salem acidum (vult dicere, spiritum salis acidum) tunc alcali viperinum (observa iterum, alcali Viperinum) acidum socium labens derelinquit, dum cogitur a calore in fugam abire.* Cernis, ni fallor, *Tackeni*, ex his iterum stupidissimum tuum ingenium, aut iniquam indolem. Non enim vereris, aut te pudet, in uno atque altero paragrapho, paucisque lineolis, ter quater tibi contradicere & mentiri. Quomodo enim comparantur sequentia: Nimirum: *ex copula acidi salis, & alcali Viperini Reformatioris, fit sal commune?* Et superius laudasti *salem Viperarum Antiquorum*, qui itidem cum copula acidi salis paratus est, & tibi, ratione *mumialis fermenti*, cum *viperis* eandem habet facultatem. Porro: *ex copula salis tartari, & salis Viperini Reformatioris, sublimatur & separatur iterum sal Viperarum volatilis; quatenus acidum socium, scilicet spiritum salis, derelinquit, & per collum retortæ ascendit.* Iterum: *Hoc sal (scilicet Reformatioris) si prematur igne arena, elevari in sal armoniacum artificiale, omnes ejus proprietates habens.* Quot verba, tot ferè contradictiones. Audi itaque: Si *sal Viperarum Reformatioris*, quando igne arena premitur, in *salem Armoniacum* vulgarem elevaretur, omnes ejus proprietates habentem; quomodo posset, addito sale Tartari, *sal Viperarum volatilis* ex illo de novo separari? Quod tamen superius asseris expresse, pag. 62. lin. 14. & seq. quia ex sale Armoniaco vulgari, addito etiam sale Tartari, *sal volatilis Urinæ* sublimatur; quod expresse in aliis locis iterum confirmas: ergò non *sal Viperarum*. Porro: Si *sal Viperarum Reformatioris*, quando igne arena premitur, in *salem Armoniacum* elevatur, omnes ejus proprietates habentem, uti dicis, pag. 62. lin. 10. ergò non est sal communis; & falsum est, quòd eadem pag. 62. lin. 6. garris: *ex illa copula, acidi nimirum salis & alcali Viperini fit sal commune.* Et mentiris iterum crassissimè in margine, ejusdem pag ubi ais: *Sal Viperinum Reformatioris est sal commune.* Impossibile enim est, ut ex sale communi *sal Armoniacus* sublimetur, omnes ejus proprietates habens. Impossibile



est, ut ex sale communi, addito sale Tartari, sal Viperarum volatilis eliciatur. Quis unquam tot absurda protulit, cogitavit, scripsit, audivit? Et his apertis mendaciis, manifestis contradictionibus, audet *Hippocrates novellus* in scenam prodire, & mundo imponere. Placet iniquo homini impostura, ut ex quatuor tantum Viperis quadraginta, & plures, libras salis Viperini, magno quaestu, præparet; cum, juxta Reformatorem, ex centum Viperis pauculæ tantum uncia, sed veri & realis salis Viperini, sine fraude, sine imposturâ, eliciantur. Adeoque vera illa Reformatoris Viperini salis confectio, non esset *Tackenio molliculus caseus*; quia multum æris & laboris pro eo parando impendendum. Si quis proinde rationis capax, & sanæ mentis est, de facili imposturam & iniquitatem hujus hominis cernere poterit, & vel manibus palpare, quod nimirum laudet & commendet Antiquorum sale Viperarum, seu potius Theriacalem, paratum ex quadraginta libris salis vulgaris, aut Cireniaci, & multis aliis vegetabilium carbonibus, quatuor tantum Viperis adjectis; sale verò Viperarum, qui verus & legitimus Reformatoris, cum spiritu salis dextrè copulatus & præparatus, sale esse, asserat, communem, in sale tamen Armoniacum sublimari, omnes ejus proprietates habentem; & iterum, ex hoc sale vulgari Armoniaco alcali Viperarum extrahi posse. Clarius dicam: Sal Viperarum Reformatoris, scilicet *Zwelferi*, pag. 275. *Animadv.* dextrè & legitimè descriptus, sincerè, sine impostura, ex puris Viperis, abjectis capitibus, caudis, spoliis, & interaneis spurcissimis omnibus, purè etiam, sine ulla additione, per destillationem extractus, ab oleo, & spiritu foetido, studiosè & debitè separatus, & tandem dexterrimè cum acido salis, seu spiritu salis, copulatus seu saturatus, (in qua saturatione, uti videtur, de virtutibus mumialibus nihil deperdit, quia iterum in suum pristinum esse, & volatilem sale, qui antea erat, reduci potest,) non destruitur, ut neque in pondere augetur, sed solum à nimia volatilitate, per spiritum salis, non nihil fixatur, ut fiat sal acido-salsus, impermutabilis, totum corpus penetrans, boni saporis & odoris, ac multarum virtutum. Hic sal, inquam, Viperarum, legitimè elaboratus, impostoriè, pro sale communi proclamatur, à *novo Hippocrate*; qui tamen, rei veritate convictus, affirmat, posse in sale Armoniacum sublimari, ac ex illo sale Armoniaco alcali Viperarum denuò elici: iterum, & è contra, Sale Antiquorum, seu Veterum, Theriacalem, uti dicit, Viperinum, confectum ex quadraginta libris salis communis, vel Cireniaci (quod benè observetur: xxx. libris) & multis insuper carbonibus diverforum vegetabilium, qui huic copiae salis etiam conjuncti remanent, omnibusque his quatuor tantum Viperis integris, cum capitibus, caudis, spoliis, & interaneis omnibus spurcissimis venenatis adjectis, quarum Viperarum sal volatilis, quem nimirum continent (vix autem ac ne vix quidem uncia dimidialius erit) copuletur, in calcinatione, cum aciditate etiam, vel acido salis, & tamen non destruat, ac in calcinatione violenta non avolet: non fieri, neomutari, in sale communem, neque in sale Armoniacum; sed totam hanc massam, quadraginta scilicet, & ultra, nimirum librarum, nigerrimam, carbonibus multis permixtam, ipso aspectu abominabilem, esse sale Theriacalem, seu Viperinum Antiquorum præstantissimum, memorabile inventum, & continere, ratione mumialis fermenti, virtutes Viperarum integras, quas Veteres sic dextrè sali Armoniaco sociaverint; adeoque longè præferendum sali Viperarum Reformatoris. Siccine mundo imponis? Sic, mentiri crassissimè, non erubescis? Lingvâ ne exprimi potest hyperbole impudica, cum lingvæ, tum calami? Nonne hæc superius delineata tua mens est? Nonne iniquæ assertiones tuæ, crassæ & perspicuæ contradictiones? Estne sal volatilis Viperarum, copulatus cum acido, vel spiritu,

salis,

salis, sal communis? Habetne eundem saponem, eandem formam, easdem, & non alias, virtutes ac efficaciam, eandem denique fixitatem? Sal communis est sal fixus, non sublimatur, in igne constans, & instar metalli, liquabilis, præbet in destillatione spiritum saltem acidum, nullo sale volatili prægnantem: sal verò Viperinus Reformatoris, cum spiritu salis nonnihil fixatus, est adhuc volatilis, & si igne paulò fortiori prematur, fertur sursum, & sublimatur: hic, addito sale Tartari, separatur iterum in sui primigenium esse, in salem Viperinum volatilem, juxta ipsiusmet delirantis & rabiosi Hippocratis novi assertionem, & clara verba, pag. 62. lin. 20. Porro: estne sal Viperarum Reformatoris nonnisi sal Armoniacus, uti iterum dicis, quomodo potest esse sal communis, & sal Armoniacus, simul? Sal vulgaris, seu communis, uti dictum, est totus fixus, constans in igne, & liquabilis, ad instar metalli; sal verò Armoniacus est totus quantus volatilis. Sal Armoniacus vulgaris, si jungitur sali Tartari, reddit denuò salem urinosum à copula acidi salis liberatum. Sic etiam sal Viperarum Reformatoris, si pariter sali Tartari jungatur, præbet, vel reddit, denuò suum salem volatilem Viperarum indestructum. Et hæc ex tuis ipsissimis assertionibus (dico contradictionibus) & verbis: pag. 62. lin. 19. 20. item pag. 63. lin. 8. & seq. Ex tuis proinde verbis te judico; & eruo, quòd habeas spiritum contradictionis, nullam verecundiam, in mendaciis, nec non centenis absurditatibus, proferendis; modò mundo, & reipublicæ Medicæ imponere possis, & Reformatorem pro libidine & rabie libere calumniari. Nam: In mundo es. Sed retorquentur inique evibrata tua in Reformatorem tela; & authorem petunt. Disce impostorum cautiùs mentiri, aut mercari.

Quæ, pag. 63. lin. 27. de spiritu salis Armoniaci acido & falso cavillanter garris, quòd Reformatore Pharmacopœos rusticè de saporibus informet; non merentur responsum, aut longam refutationem. Mihi tecum de gustibus non est disputatio, qui insulsus es; utpote cui jam pridem lingua occalluit. Quod verò spiritum salis Armoniaci acidum & falsum spectat: scias, Reformatorem (vel te iterum altum silente) novisse, quòd spiritus salis Armoniaci acidus, cum frumento destillatus, aliquid, sed parum, participet de aciditate frumenti: interim tamen non ignorat etiam, quòd, hoc non obstante, potior & maxima pars hujus spiritus salis Armoniaci, sit spiritus salis, & quidem Armoniaci salis, spiritui salis vulgari non tantum coequalis aciditate, & homogeneus; verum & virtutibus & efficaciâ, citra controversiam, superior. Et licet in *Tackeni* omnes conspiraverint Musæ, quin ipse *Æsculapius*, & quidquid unquam Medicinæ Numinum fuit, inaudita metempsychosi in hunc virum commigrarint; nihilominus tam instructus non est, ut ex solo frumento talem spiritum salis destillet & apparet: de quo tamen grandia Philosophatus est. Reformatore interim hoc spiritu acido salis Armoniaci, cum frumento, minimè contentus, ad majora se extendens, operâ & industriâ Celeberrimorum Virorum & Pharmacopœorum Viennensium, alium spiritum salis Armoniaci acidum apparuit, sine frumento; at cum chalybe puro. Hunc dicti liberalis animi Viri, & charitate præfulgidi, juris publici fieri desiderabant, ac bonis æquè ac malis communicari. Quis autem, & qualis, hic spiritus sit, quoad virtutes & efficaciam, optimè Reformatore novit, & dextrè delineavit, in Mantissa nova, & recens impressâ. Consimilem ferè spiritum habet magnæ experientiæ Vir, Dom. Polemannus, in novo suo Lumine Medicinæ. Verum si & prædictus spiritus forsan ad salivam & saponem non est magni Hippocratis, cujus animæ hætenus dotes omnes è lingua resplenduerè, dum solus & unus in commendandis propriis detinetur;



meliora substituat arcana, quæ, profectò, hætenus totus Hippocrates, etsi novus sit, Tackeni non exhibuit. Nobis de virtutibus constat, & magno hoc auxilio: quid mirum, quòd *ignoti nulla cupido*?

Novit ulterius Reformator, antequam novum hoc Medicinæ lumen nos obumbraret, ac tenebras nobis offunderet, quòd sal Armoniacus, sal tartari copulatus, salem volatilem urinosum præbeat. Cum autem, potiori ex parte, in forma liquoris quandoque transeat, dum destillatur, & spiritui urinæ liquido assimiletur, qui spiritus urinæ, pro maxima sui parte, sal Urinæ volatilis etiam est, phlegmate vel liquore adhærente solutus; igitur ex instituto, sciens ac volens, hunc salem volatilem Urinæ spiritum falsum urinosum nuncupavit: licet metaphora hæc visa sit *Tackeni*, sublimia tantum, & magna, speculanti semper. Quòd autem hic spiritus acidus, & falsus Armoniaci ne guttam quidem de sale Armoniaco contineant, prout mirabilis hic Chymicus, pag. 63. lin. 19. audacter decedit; sesquipedale, profectò, mendacium est, & Græca metaphora. Et miror, eum hoc mentientium primum theorema jugi memoria continere non posse: quòd mendacem oporteat esse memorem sui: cum, inquam multoties asseruerit hoc libello; salem Armoniacum ex alcali, vel sale volatili, urinæ, & acido salis spiritu, esse confectum, prout veritas etiam docet, & instruere deberet hunc Idioram, toties suum repetitum theorema, nimirum: Ex his res componuntur, in quæ resolvuntur. Sed sal Armoniacus constat ex acido & falso: ergò, in acidum & falsum resolvi posse, infallibile principium est & axioma. Profectò, *Tackeni*, angusta tibi sit Hippocratis manica, cujus togam induisti: metuo, æ non in sacco & cinere pænitentia tibi sit agenda, quòd tanti Viri, & divini Coi, gloriosa insignia superindueris. Saccus enim in Philosophia eorum nota est, quos sæpius convictos, ne dicam, mentitos, vi formæ, demonstrant, & ad veritatis agnitionem compellunt. Sed ignosce, precor, *Tackeni*, quòd tam seria, mira, & non audita tua mysteria, quæ nova doctrina in tuo Hippocrate revelat, tam facetè tractamus. Nam hunc finem habent ludicra, & nanciscuntur insomnia, risumque movent nepotibus.

Porro: pag. 63. lin. penultima & ultima, Aquam Acovisticam, sive ad auditum, Mindereri defendit (utinam tibi proficeret, qui hætenus tam malè audiisti) ac sic ait: *Hac enim aqua pro fundamento habet urinam & acetum hanc mixtionem, non solum reprobatur reformatore, quatenus credit, sine ulteriore inquisitione, falsum & acidum, inter se plane destrui: ignorans quod destructio unius, sit generatio alterius, sic opiniones suas, ut simia catulos suos amplectitur: sed in super, convitiis, opprobriis & calumniis aspergit virum optimum, qui experientiam, candidè & sine fuco, publico bono communicavit. His non obstantibus, reformatore more suo in Appendice (a) sic scribillat: prater plurima absurda, video acetum & urinam affundi, quæ invicem plane contraria sunt: nam urina animalis distillata præbet spiritum salinum acrem, acetosorum spirituum omnium destructorem.*

*Aqua ad  
auditum  
Mindereri  
vi.*

*a. ad ani-  
madv. fol.  
936.*

Fingit iterum, velut araneus. Dic mihi, novelle Hippocrates, quo in loco calumniis dictum Medicum, Mindererum, proscindam, & opprobriis aspergam, ut iniquissimè testaris? Legistine, aut pervolvisti tantum, quæ Reformatoris Animadversiones, pag. 280. col. 1. & 2. quid Appendix, pag. 28. & 29. super Animadv. de hac Aqua edoceant ex fundamento? Annon, si rigidus, vel potius Justus, esse, ac pro meritis hujus Autoris Compositiones & inventa tractare voluisssem; centum errores & mendas potuisssem, aut debuisssem, emendare; cum tamen vix decem revelaverim, prout B. L. & arbitro experto innotescet? Hos autem errores conspicuos callidus hic Veterator subtrivit; solum, quæ sibi ad Rhombum sunt, nequiter commemorans: cum tamen ubertim, in Appendice ad Animadv. de his, pag. 28. egerim; ubi etiam

etiam de Urina capræ, & aceto squillitico, perperam huic Compositioni additis, & de imprudenti connubio disparium liquorum, uberiùs tractavi. Ad quæ pisce & ranâ Seriphiâ taciturnior, hætenus obmutuit. Falsum igitur est, quòd multos, absque prægnanti causa, taxaverim errores in hac Compositione: sed, plures me modesto silentio præteriisse, hoc verissimum est. Transiit veterator magno silentio Urinam capræ, & ait, pag. 64. lin. ult. *Ex somixtione igitur alcali volatilis urina, & aceti distillati, quæ ambo nunquam concre-scunt, fit distillabilis, salsus & penetrantissimus liquor, & dubito, utrum in natura sit aliquid subtilius &c.* Putas, seu dubitas, mi Tackeni: sed putare, & dubitare, errare est. Dicis, te dubitare: Ego te, dico, me tiri, & palam quidem. Nam etsi tibi concedam, quòd alcali, sive sale volatili, urinæ, & aceto destillato, (de quibus nec Mindererus, nec Reformatore, verbum habent) fiat distillabilis liquor, salsus & penetrans: (secundum magis & minus tamen; quod Reformatore notissimum) dicito tamen; num hoc contra Reformatorem militat? An non denuò es hyperbolicus? Præcepitné Mindererus, in hac Aquæ Acovisticæ Compositione, sale, aut alcali volatile, assumi, an potius urinam? Refera oculos, & aures, lege, revolve. Secundò: Rationinè consonum, dum Mindererus jubet, ut illa urina capræ, cum aceto squillitico & rutaceo, adjectis etiam plurimis ingredientibus, & sulphureis vegetabilibus, (quorum potior virtus in tenuitate partium facilè exhalabilem, maximè, si prolixè decoquantur, consistit) ad medias decoquendo, exhalet, priusquam destillationi committantur? Defende, si potes, Tackeni, cum pertinacia errorè hunc: quanquam vix defuturum te credo, qui absurdiora hætenus tuitus es. Tertiò: ad probà descendamus. Accipe urinæ capræ uncias octo, Aceti rutacei, & scillitici, ana uncias duas; coq; illa junctim ad dimidias, & residuū demum destillationi committe: & peracto labore, de labore triumphas. Quid nactus es? An nescis, quòd pars subtilior & exhalabilis urinæ, in qua penetrabilitatis ratio & vires consistunt, sive coquatur, sive destilletur, illicò exhalet, residuo nigro crassamento, ex succo, effæcto, & ad hos effectus inutili; quod in urina capræ pariter accidit. Hocque postea crassamentum neutiquam in Balneo, sed igne Arenæ, sale volatilem reddit ac largitur. Profectò, Tackeni, vera dicis, in margine: quod non capis, carpis: nec tantum, ut Simia catulos, sic tu malefana dogmata, verum ut ursus embriones, tuos abortivos fætus lingis & refingis, errores erroribus accumulans. Profectò, insignem nactus est encomiasten Mindererus! Præclarum, ut ajunt, custodem ovium, Lupum! utpotè, qui, per te, incidit in Scyllam, cupiens vitare Charybdim. Judica te ipsum, Tackeni, & tuam absurdam defensionem ipse ride, gratulari ne sibi debeat Mindererus de tua defensione, an indignari. Ipse vide, quia omnia pejora reddis: adeoque pro Reformatore optimè facit, quod, pag. 65. lin. 28. efflas: *Judicent igitur nunc periti, non ne indignè perstringatur ab impostore Hippocrate Chymico Reformatore, Vir probus, qui Hippocratem Coum probè intellexit; & quàm dissimilis illi sit nuper natus Hippocrates Chymicus, ratione non utens, quòd non solum Reformatorem, sed & alios doctos viros omnes, invidiosè calumniatur, & sic animi sui impotentiam prodat, optimè novit.*

Pag. 66. sequentia habet: lin. 7. *Videamus nunc sal tartari, quod acidum combibendo, ab alcali viperino separaverat, & in retorta remansit, illud vocant (sed indignè) caput mortuum, præsertim illud à sale armoniaco vulgari, è quo spiritus urinae prolectus est: istud caput mortuum, ex acido & alcali est compositum, & eris sine dubio salsi saporis, sicut sal viperinum reformatoris, ut & sal armoniacum vulgare, ut sæpius dictum & ostensum fuit, repero hic aliud mechanicum, pro confirmatione.* Umbras iterum, & Babylonicam confusionem, affers, Tackeni. Et, si veritati indulgeam, arbitror, te ignorare, quid doctrinæ amplexèris. Jam enim



enimalcali Viperinum tractas; jam ad alcali Urinæ devias, inscius ipse, quid sit residuum à destillatione salis Tartari, & salis Armoniaci, qui est sal acido-falsus; quatenus nimirum sal Tartari acidam partem salis Armoniaci absorpsit; quoniam salia lixivialia, & Tartari, purè falsa, majorem gerunt inimitiam & activitatem in acidis spiritibus, quàm salia volatilia animalium; licet etiam purè falsa, alterius tamen ordinis ac indolis: uti supra demonstratum. Reliqua etiam, perfunctoriè scribillando, minimè pro dignitate argumenti, & amplissimarum sponfionum, absolvesti. Nam Reformatoris sal Viperinum Volatilis est per se purè falsus: spiritui verò salis legitimè sociatus, versus est in salem acido-falsum. Sicut etiam *sal Viperarum Tackeni*, si quis est, etiam acido-falsus est, & Mercurium, ex suâ solutione anti-Venerea Mercuriali, non præcipitat; si verò purum salem volatilem Viperarum infuderit; hunc utiq; præcipitabit. Define igitur insulsus esse, dum salia tractas, ac benè distingvere discere, qui Doctoris nomen affectas.

Quæ à pag. 66. ad pag. 70. continentur, vel ludicra sunt, vel popularia, & omnibus obvia. Quid enim notius, quàm urinæ & sudoris materiam definire? Quid sordidius, quàm indusiorum & interularum fecditates, sordes, ac immunditias tractare, & his lixivium destinare? Hæc ampliori non egent exegesi, utpote quæ argumenti & rei indignitas ultrò demonstrant. Habuisses quidem, mi *Tackeni*, destinatam arenam, in qua te pro viribus exercere licuisset, ac ingenii tui aciem ostentare; si promissis stetisses, ac generationem alcali volatilis in animalibus demonstrasses verè. Sed multa tibi restant verba, & inanes pollicitationes. Nam tibi etiamnum vacuum, in alcalibus demonstrandum, incumbit; quod si feceris, magnus nobis eris Apollo.

Nondum unam exsolvit obligationem, & en! alterius fit debitor, promissis dives noster *Tackenius*, dum, cap. 12. pollicetur, se velle ostendere, *quomodo alcali volatile in animali, & eorum partibus* (verba formalia) *generetur*, pag. 68. interim nihil minùs promissis reddit, cum Nausicæ, Alcinoi filiæ, lavandis indusiis, sordibus, fudoribus, lixivio apparando intentus; quasi his totius Medicinæ cardo absolveretur. Novit enim quisque, vel leviter instructus Philosophiâ, quòd animalia perfectà omnia volatilibus ut plurimum constant, præter ossa & modicam terram, morticiniis residuam. Unde sudor non erit alterius profapiæ, quàm falsi saporis; (miror, *Tackenium* non dixisse, alcali saporis: illo enim etymo salia volatilia non dignatur, nec falsa vult, ut latibula quærat; quo ipso tamen sibi contradicit) cum fudor & urina à Medicis plerumque ejusdem conditionis, seorsum nimirum excrementum dicantur; seu, quòd sit effluvium sensibile vaporosæ substantiæ, ex humidis quibusque corporis partibus, ac humoribus, elevatæ, vique naturalis caloris, locali motu, aut frigore, densatæ effluens per cutis porositates; & ita de Heredia definiat.

Sed ubi est, *Tackeni*, toties repromissâ demonstratio, quâ nimirum ratione alcali volatile in animalibus generetur? Hic Rhodus; hinc salta. An cum vacuo, in alcalibus superius remonstrando, & spatiis imaginariis evanuit? Vox es; prætereaque nihil, quoniam & vita ventus, & inanis sibilus.

Ultimus Capituli hujus paragraphus mihi risum & admirationem movit, pag. 70. lin. 10. Proinde eum hinc annecto: *Quomodo autem omnium animalium sudor, & quicquid insensibiliter exhalat & exspirat, imò ex quo animal constat, falsedinem acquirat; nonnihil dilucidius explanabo, solius salis viperini gratia, hujus aciditas ut est occulta, sic etiam false tanto subtilior graviorq;. Hujus inventorem, me esse profiteor, utut crepent illa momo: quod sequens Epistola testatur. Et licet propter parum lucellam, in hoc theatro, multi homines imperiti, homines naturæ instrumentorum & Hippocraticæ hujus doctrinæ rudes ignavique confederint, qui*

Salis viperini inventio.

*non sine nominis mei detrimento, nescio quid, improvidis & inexpertis obtruderint: sciant tamen lectores quod hactenus, clariore sermone, nullo mortalium exposui, quàm publico hoc scripto.*

Excusatio non petita suspectos facit reos. Credimus, mi Tackeni, omnium mirandorum, & tamen non auditorum hactenus, & quidquid Thavmaturgus Hippocrates novus tuus continet, te primum esse mobile, autorem & scribillatorem; quod noveris, quâ ratione fiat fudor in animalibus, & quidquid per insensibilia spiracula natura exhalat. Portenta hæc sunt, quod salis tui Viperini faber & conditor sis: interim literas Uriæ tecum affers, dum Epistolam D. Aurelii Severini citas, in qua D. Severinus loquitur de sale Viperino, communicato sibi per D. Doctorem Wepferum; & petit ejusdem etiam parandi modum à te *novi Hippocrate*; uti & prædicti censuram. Sal autem prædictus Viperinus, à D. Doct. Wepfero communicatus prædicto Dno. Severino, meæ est descriptionis; nec non proprio meo assensu ipsi communicata fuit; prout, in *Animadv. nostris*, pag. 275. col. 1. clarè patebit. Et, quod amplius est, Tu ipse hanc parandi salis Viperini normam commendasti, in Epistolio quodam ad prædictum D. Severinum; imò eandem, planè de verbo ad verbum, descripsisti Serenissimo Principi, Friderico Holsatiæ: ac triumphasti, *Cornicula*, peregrino plumarum ac alarum remigio. Præstolatur igitur adhuc hodie, ut video, D. Severinus salis tui Viperini historiam ac parandi modum; sicut ego olim à te, Patavii, responsum, & promissorum fidem. Et cur igitur nunc Reformatoris sal Viperinus displicet, quem toties collaudasti? Cur nunc ad salivam tibi non est? Cur vituperas, multiplicatis mendaciis, ac jam *salem communem*, jam *Armoniacum*, omnes ejus proprietates habentem, fingis, ac me tibi impostorem adjungis? Mox iterum inquis: *ex illo sale Viperino*, scil. Reformatoris, *alcali Viperarum*, hoc est, sal volatilis Viperarum, *addito sale Tartari*, perfecte elici potest; & *ex sale Armoniaco communi*, sal *urinae volatilis*. Ubi sumus, Tackeni? In mundo. Combina tuas quisquilias & contradictiones. Per me licet sal Viperinus tuus sit, vel non sit, in natura: mihi ab his curis sunt feriæ hactenus semper, quando *salem Tartari*, vel *Vini*, essentialem, superius clarè communicatum, propriâ industria & inventione elaboravi: quem, sali Viperino tuo tam esse homogeneous scio, quàm ovû, ut ajunt, ovò; ut ut tibi crepent ilia, *Atome*, quòd hoc secretulum tuum, *caseolum molliculum*, Talcum resolvable, publicari voluerim, & imposturæ larvam subtrahere. De lucello interim, & quæstu, quem hactenus hoc tuo sale Viperino instituisti, nec quæro, nec invideo. Tu videris, num liceat hoc pretium mittere in Corbonam. Ego interim hoc palam assero: me in tantum à te deceptum fuisse, qui tamen & ipse non novissimus Chymicorum sum, ut firmiter teneam & doceam; falsum & impossibile esse, *salem Viperinum volatilem* per se, ac sine addito, à fugâ coerceri, ac in *salem fixum* & durabilem reducere: quod tamen olim utraque buccâ gloriabaris, ac stipulatâ manu mihi promittebas: sed fidem fefellisti. Unde te arguo repetundarum.

Quæ, pag. 73. lin. 1. magnificè scribis, nimirum: *Sed, ad quid Doctorem virorum testimonia hic adducam? scriptum præsens satis denotat, quod ante me, Reformatori, hic sal cum omnibus requisitis ejus, ne quidem per somnium in mentem venerit, quod propriis ejus literis ad me datis ostenderem, nisi honori ejus parcerem; & nisi alia quam hactenus natura & artis fundamenta produxerit, ad hujus salis cognitionem nunquam perveniet. Et non solum Reformatore, sed ne quidem grandioris ordinis aut societatis: quicquid insolenter, ambitiosè, glorioso & vano sermone jactitent.*

Ridicula sunt terculamenta. Cur non produxisti Epistolam hanc, de qua nugaris? Honori meo pepercisti? Mentiris: nam in progressu fictam



hanc Epistolam producis, pag. 156. Vide, quàm verax sis: insinuasti te, velut tinea, & teredo, ut famam meam arroderes, *Cavillator*: ac ex laboribus & floribus meis, velut araneus, toxica traxisti, è quibus innumeri mel & sanæ doctrinæ dulcedinem suxere. Non deerant tibi venena, quibus læderes, sed torpebant, quia, quod scribillares, non habebas. Intaminata enim hæcenus, per Europam, fama nostra fuit, & inculcata vita; cum contrà tot extant Epistolæ, typis & testimoniis confirmatæ, nequitiarum & facinorum tuorum testimonia, ut Lectorem arceat veritas, & actorum indignitas, dum à tantis viris hæc legit firmata & prolata. Doctorum interim Virorum testimonia quòd non adducis, rem de consilio agis. Cui enim revelasti unquam hoc mysterium tuum? Severinum allegas, & hunc etiam morâ fefelisti: spe inani lactasti, usque dum fatis cessit. Et repetito tibi ejus Epistolam:

*Natura & artis Hermetica*

*studiofissimo*

*Ottoni Tackenio Marcus Aurelius Severinus*

*rem bene agere.*

*Epistola*

**Q**uam benevolentia tua, antehac habui fiduciam, eam mihi præsentem re ipsa comperi. Quapropter & salis tui viperini desiderio meo vix significato, continuo satisfacisti: de quo, quam plurimas, humanitati tuæ gratias ago. O utinam, si liberet forte fortuna vadosam Hadriam cum florentissima Parthenope comutare, non equidem abre, & ab emolumento tuo putarim. Accedit quod lectissima matrona, quam caligantem Neapoli visitasti, ab ea e die semper auit, ab instituta tua peregrinatione præreptum. Quoniam vero vipereum mihi donum tradidisti & vipereum ipse reddam: volumen inquam, de vipera natura, veneno, medicina Patavinis à me formis editum, quod à magnifico Typorum magistro Paulo, Frambotto, meis his offensis literis quesibis meo nomine. Impertiet autem liberius, si quidem observationes multa frugis, quàm ex usu viperino feceris diu, communicaturus, te receperis, correctori clarissimo Joanni Rhodio amico meo spectatissimo, qui si res sciat, addere valebit operis calci. Utinam autem & aliquam præparationem salis viperini descriptionem coagmentare de tuo possis. Salis ego volatilis apparatus, ex Iohanne Vespéro posui; quam quantum ipse probes indicato, & me ceterum vehementius deinceps amato, quite non obscure colo, ac Neapoli, si quid aliud exopto, sed quam, aut quando ejus mihi salicitatis spem exhibes? neq. enim hac tua foret infructuosa seges. Optime vale: Neapoli idibus Maij Anno 1650.

Multi inimici propter veritatem, plurimi bonoris, apud intelligentibus: antiquum pro-verbium.

Salvere te jubet illustrissima Matrona, Capicii Regentis uxor, cui viperinum ad iumentum obtulisti.

Ediscat Lector B. ex hac Epistola hoc, si potest, arcanum; aut inde eruatur testimonium, Tackenium nimirum esse inventorem unicum salis Viperini, & quòd, ante illum, ne quidem per somnium in mentem venerit Reformatori. Ediffere autem, Tackeni, ubi, & quando instruxisti Reformatorem, aut copiam ei fecisti tui salis Viperini; cum nulli mortalium adhuc quicquã communicaveris, ut ipse asseris? Tu à Reformatore habes, quã ratione dictus sal Viperinus volatilis à fuga quodammodo coërceatur per spiritum salis. Quomodo verò sine additione hoc fiat, quod Reformatori promiseras; hoc & Te, & Reformatorem, latet; nec aliud scriptum præfens denotat. Nam sicut Reformatorem in suspensio detinuisti, & vanis promissionibus lusisti; ita & alios; sic etiam D. Severinum. Chimæram nobis vendis, dum talia recenseres, & risum portas, Tackeni. Vade igitur, ac tolle tibi hunc, quem consuisti, centonem, & Viperini salis ridicula fundamenta; nos tuis non delectamur panniculis, faniora amplectentes dogmata. Quòd autem Viros doctos alios allatras, pag. 73. lin. 14. dum ais: *Et non solum Reformator, sed ne quidem grandioris ordinis aut societa-*

*societatis, quicquid etiam insolenter, ambitiose glorioso & vano sermone jactitent;* Miror, profecto, propriam tuam ambitionem, & fastuosum sermonem ac jactantiam. In momento evolam totum Viperini salis Panegyricum magni Tackeni; quem melioris notæ Medici, vel grandioris ordinis & scientiæ Viri lusere. Altum filetur de hoc mysterio; & tristi Melodia ne dicam Threnodiâ, *novo Hippocrati* solennia peraguntur. Quid enim aliud in hoc compendiolo resonat, in quod omnes artes & mechanicam citavit (& vitrariam, ac saponariam, & lixiviam ac lotrices, & quid non?) quàm attritum hoc verbum & thema: alcali & de alcalibus: quibus tamen & ipse, ex Helmontio, supracitatis locis, derivatis, pessimè abusus, nobis ad nauseam hanc cram-bem recoquit; adeò, ut non ineptè jam pridem in *Tackenium* luserit magnus Helwig Dietericus, Electoralis Brandeb. Archiater, facietis hisce Rhythmis:

Alcali te genuit. Nudum te d' alcali vestit.

Te falsum Medicum vipera falsa facit.

Alcali te servat. Totum te d' alcali nutrit.

Dum fert alcaleas vipera cocta dapes.

Alcali te sanat. Te te alcali ditat egenum:

Alcali principium; vipera finis erit.

Profecto, non sine, sale jocus. Ego, dum hæc legerem, ac *Tackeni*, in opusculo, & *novo Hippocrate*, arrogantiam contemplerer, quâ Chymia universam & immensam theoriam & notiones, nec non omnes artes, & mechanicam etiam, tractat, de omnibus disputans, de nullo concludens: incidit mihi in mentem curiosulus ille Cerdo apud Martialem, qui, quidquid per futores profecerat & lucratus erat, hoc omne inter gladiatores, infelix pugil, dissipavit. Unde festivo, in illum, *libr. 3. epigram. 16.* Poeta ludit Epigramma-te hoc:

Das gladiatores, futorum regule, Cerdo,

Quodque tibi tribuit subula, sica rapit.

Non ultra crepidam, *Tackeni*, ne, quod tibi tribuit Viperæ sal, rapiat alcali: quod splendoris attrulit Chymia, lotrix & lixiviam eluant.

Cogor hanc, ultrò mihi injunctam, & extorsam, Apologiam contra-herere, B. L. sic me negotia, sic temporis dispendia hortantur. Quare, quæ noster Reformator, & Augustani Vindex, à *cap. 13. usq. ad 18.* tractat, Reformatoris, seu Zwelferi, pænè oblitus, sicco pede pertransibo, pauculis saltem adversis. Promiscua enim tractat; quædam utilia, quæ laudo; alia trita & communia omnibus Pharmacopœis; quædam, extra limites progressus, dum calumniis insistit, obscura pleraque, & contradictionibus horrida. Sic enim Caput 13. auspicatur: *Acidum occultum, sit manifestum pag. 75. & in marginali annexo: Quæ nullus explorare tentavit, ea qualia sint demonstrabo.* Viden' arrogantiam tuam, & vento ac inani sibilo plenam doctrinam, mi *Tackeni*? Cur iterum alienis luxurias plumulis, Cornicula? Taceo Philosophorum & Medicorum industrium populum; an non ante te horum memoriam, uti dicitur, deposuit, vel, quæ doces, eorum oblitus pridem fuerat Helmontius? An non plurima, obscurioribus tamen, & non aptis, nec loco, nec verbis, ex hoc dicto Helmontio surripuisti? Da gloriam Deo; dapia vota piis Helmontii manibus! Veni iterum mecum ad ejus posthuma scripta: Titulo: *Imago fermenti imprægnat massam semine: pag. 72. paragr. 24. 26. & sequentibus;* uti ferè toto titulo. Iterum vide: Titulo: *Calor efficienter non digerit.* Iterum Titulo: *Pylorus Rector:* ubi de alcali materiam febrilem imbibent: & aliis in locis, an non exindè depeculatus multa & omnia ferè sis. Redde alienas plumulas, hæc sunt *mira, inaudita, occulta, quæ nullus explanare tentavit:* sed quæ, ante me, fors nemo tibi revelavit, *nove Hippocrates.*



Quâ fronte ulterius ais, pag. 77. lin. 4. putrefactionem & chyficationem aliquos, idem esse, sibi persuadere. Cur eos non adducis? Quàm iterum nova sunt theoremata tua, pag. 80. lin. 2. de Lactis coagulo; & Italicorum conaglio; & reliquis, de lacte, & ejus acido alcali, villis & compitis, pastoribus & mulierculis in praxi notissimis? Sed singularem gratiam, ne dicam, audaciam, in citando suo Hippocrate, ostendit Tackenius, quem, incantamenti instar, ubique adducit, ac, sibi adesse, cogit, ὅς ἐστιν πρῶτος! Et vel maximè, pag. 84. lin. 5. ubi ait: *Hoc est, quod exclamat meus chimia peritissimus Hippocrates &c.* cum tamen aviræ Majorum traditiones, & monumenta, nos edoceant, Hippocratis Coi tempora, uti & sequacis solertissimi Galeni, ne quidem artem, per destillationem Aquas medicatas saltem eliciendi, calluisse; sed potissimum simplicium medicamentorum debito usu (qui & ipse tum, injuriâ temporum, & lividorum malefano æstro, & astu, nobis ereptus) homines in vitam & sanitatem erexisse, & vel ipsa Medicinæ incunabula & primordia nos docentes: magnam latere vim in herbis, verbis, & lapidibus. Quàm igitur frivole, Tackeni, divino seni Chymiam arrogas & affingis; ac quasi manticam à tergo assuis! Cum tamen, si omnia magni hujus Coi posthuma monumenta, & divinas traditiones, volvamus & revolvamus, ne vel linea, vel jota, extet, quo, se Chymicum fuisse, attestetur. Profugis ad aliena castra, *novelle Hippocrates*, & de Mammonâ iniquitatis tibi amicos facis, ut, cum te omnia ferè proscripserunt literata tribunalia, Virique sapientiam professi, per Germaniam, abjecerunt, ut pro meritis exules; te recipiant in tabernacula. An non alienus Mammona est, quod Hippocratem, quod Galenum, invocas, quod asylum apud eos imploras: quos tamen, paucis elapsis annis, velut Plagiarios, & Criticos ac severos Didascalos, cum tota Galeni schola (quam Canonicam jam, & novam sectam, hic Nugator scurriliter vocat) aspernatus es & cavillasti; solum & unum literatum tibi recolens numen, Helmontium? Verùm ut olim Dii Homerici, ut Æsopi Ranunculorum Numina suis; sic non diu placuit tibi Helmontius. Hunc Jovem tuum in terram, è cœlo, deturbasti, & mille opprobriis prosidisti: (*& qui olim non ausus es spuerre in templo; minxisti ad altare*) prout, de famoso Liquore Alcahest, elegans illa testatur Epistola. Nunc iterum Hippocrates amicus; nunc fidus sodalis Galenus. Sed apage! Foras, Cares, non amplius Anthisteria: jam obduxit repagula Janitor, fatuis non referenda. Sede, quâ sedes, sede, inter ignobiles & amufos. Non fert Hippocratis & Galeni Lycæum mali commatis homines & impostores: probos Canones docent Canonici.

Pag. 81. Calculum resolvit & componit. Acidum iterum informat alcali, acidum & alcali constituunt calculum &c. Addam totius

## CAPUTULI XIV.

*Mirabilem textum, qui talis:*

calculi analysis.

**D**ixi precedenti capitulo, perceptibile, vel manifestè acidum extra stomachum esse morbosum, hanc quæ assertionem calculi compositio docet, quem pro majore lumine mechanice resolvam & iterum componam. Accipe calculum de vesica excisum, vel sponte de renibus elapsum, dragma una vel altera sufficit: hunc inde vitreæ retortæ, novæ ac munde (calculus non sit in pulverem contritus, sed ea magnitudine, ut in collo retortæ non adhæreat) retortam pone in arenam, cui appone receptaculum mundum, ac novum, urge moderato igne, & primo extillabit alcali, similis urinae, nullius tamen odoris, in receptaculum, & paulo post fixior pars ejusdem alcali sublimari in retortæ collo videbis, ambo spiritus, liquidum & solidum misce, ac diligenter vasculo vitreo cera obturato serva, alias aperto, in auras abiret, de quo Hippocrates (a) seorsim, neq. sibi, neq. ulli alteri sufficiens est.

a. lib. 1. de diaa.

In fri-

In frigesacta retorta reperies calculi frustula, eadem forma, qua posita fuerint, adeo tamen leuia & friabilia ut si digito leniter saltem tanges in pulverem concidant sicut cadauera, in subterranea Roma: quibus frustulis integris, si rursus affuderis, alcali ex calculo reservatum, vel aliud urina, statim indurescit ut erat, pro signo, quod alcali, in dicto cadavere, reperiat occultum acidum, quod illud absorbeat: nisi enim acidum invenit, solus in aperto aere non persistit, sed juxta ejus naturam in auras abiret, quia seorsim, neq. sibi, neq. ulli alteri sufficit ut docet Hippoc.

Hinc discitur, quod nimirum calculus, non congelatur, neq. in vesica, neq. in renibus, nisi ab urina alcali, aut alcali loci: & acido, indebite, impertinenter aut per errorem ex stomacho delabente, & ibidem degenerato: acidum & alcali ibidem conjuncta, necessario (a) in massam coire debent, ut ubiq. ostendam; & quicquid non procul recedens ab earum natura, apprehendunt; illudq. cum illis duabus coagulum suscipit, ut in calce dixi & quotidiana experientia docet: hinc calculi ruffi congelati sunt pauculo sanguine, qui ibidem, ab acido, ex vena erosa, defluit; sunt ideo friabiliores alii candidiores, qui mucilaginem associatam habent, ideoq. duriores. Hoc est, quod exclamat meus chimia peritissimus Hippocrates (a) hæc ita sunt per divinam necessitatem, nesciunt tamē quid faciunt: unum quodq. fatum destinatum explet, id sonat: ambo hi spiritus aut facultates conjuncti in quocunq. loco, necessario concreescere & congelare debent; at sejuncti in natura nihil efficiunt, neq. persistere possunt, neq. sibi, neq. aliis sufficiens est, inquit Doctor meus: adeoq. acidum manifestum extra stomachum, in quocunq. loco extiterit, est morbosum & natura odiosum.

a. SCIO, inquit Rosarii Author: quia de necessitate, opus ad talem perveniet naturam a. lib. 2. de diata.

Hæc doctrina senis est verissima, quotidie enim in praxi observatur, calculos, in omnibus corporis vacuitatibus concreescere, ubicunq. acidum per errorem cum alcali concurrerit, ut in pulmonibus, in jecore, vena porta, vteribus intestino colo, in bilis quoq. vesicula contra acutissimum Galenum, qui docet (a): lapidem in vesica, & renibus duntaxat a calore nasci. Calculus itaque omnium animalium (de quo hic est sermo) non habet in sua compositione nisi acidum & alcali, ambo volatilia, ut & sanguinem, aut mucilaginem, cum vero in vesica fellea coagulatur, apprehendit amarum istud, quod ibidem concurrat. Accedentibus illis huc, (b) his verò illuc, & inter se permixtis &c.

a. lib. 1. de locis affectis.

b. Hipp lib. 1. de diata.

Hinc discitur quantum valere possit in morbis periculosis, aqua lapide porcino affusa, in felle hystricis invento? quem tamen summis laudibus extollant, qui medicina instrumenta ignorant: mirum autem, quod hunc lapidem, ut igneum non timeant, cum a felle amaricet; quod hætenus non animadverterunt. hujus lapidis ablutio, si quicquam prodesse, profecto unica fellis guttula vilissimi cujuscunq. pisciculi multo præstantior esset, quam viginti lapilli abluiones.

porcinus lapis.

Ex coagulatione itaq. calculi, nunc elucet, quid lithontribon, cantharides, sanguis leporis, vulpis & similia, in lithiasi profecerint hætenus?

Paracelsus itaq. recte sentit calculus (& nodosa podagra) instar tartari coagulari, binis facultatibus, juxta Hippoc. doctrinam, acido nimirum & alcali, secumq. coagulat feces quasdam, ibidem casu repertas: Et Galenus (a) contra se suosq. testatur, cognita causa facile esse remedium invenire: adeoq. quicquid lapidum cancrorum judaicum silicum, ciprinorum, percarum, & similium pulveretenus vel aceto solutorum, ad calculum per os sumitur, combibit quidem coaguli antecedentem causam, id est acidum quod ostendi, coagulatum autem calculum, non minuit.

a. lib. 7. methodo.

Sic etiam salsa pro acida parte impediunt quidem calculi concretionem quatenus alcali urina absument & absorbent, ita ut errans acidum in corpore, non inveniat alcali quo cum sibi constringere & coagulare possit; ipsum autem concretum calculum salsa non dissolunt.

Quod autem sal commune, urina alcalia, & reliqua alcalia animalium in se combibat & absorbeat, supra in salis armoniaci præparatione ostendi, & nunc alia mechanica demonstrabo.



Salis com-  
munis di-  
gnitas.

Nihil esse  
naturalius  
docent sa-  
piētes, quam  
solvi rem a-  
liquam, per  
id, à quò su-  
um habet  
componi.

a. ad Glau-  
conem.  
calculi reme-  
dium ut &  
Epilepsia &  
Asthmatis.

Notum est, quod carnes cujuscunque sint animalis, conservantur sale communi, qui paucis in diebus, in liquorem salsum sanguineum defluit, hunc liquorem coque, & despuma, hujus libram circiter, inde retorta vitrea, & blando igne omne humidum euoca, ultimò retortam obrue arena, & ignem auge, tunc eleuabitur in retorta col- lum, alcali carnis, urina alcali simile; quod sal commune, ex carne absorpsit & ab- sumpsit; sola maceratione paucarum dierum; eodem modo, sal, quum comedimus, quotidie absumere, & combibere superfluum alcali in cavitatibus seu ventriculis (ut ait Hip.) hinc inde collectis, ac transpiratione ineptum necesse est, & ratio dictat; imò & experientia testatur: ex urina enim facili methòdo sublimatur alcali, & sal maris sicut comestus manet in fundo; eadem via, ut jam de salso carnis liquore ostendi. Hinc colligere licet, quod sal mortalibus datum sit, tanq. necessarium san- nitatis & vitæ sustentaculum.

Ex dictis & ostensis nunc liquet, mechanica necessitate, quod calculus non dis- soluitur, nisi medio supore, inter acidum & alcali, is mutatur in urinam integris viribus, intimis gratus, ut dictum est, debetq. esse subtilis, adeò ut libere cuncta per- uadat. Hanc solvendi methòdum, voca à contrario, vel à simili, non errabis; al- cali enim se solvit, fit à simili: acidum si destruit, fit à contrario: Ecquis alius quam Hippocrates (cujusvis sectæ) hunc nodum nobis dissolueret? Hippocratem itaq. in medicina directorem, & in reliquo vitæ cursu, egregium præceptorem non sine causa commendat nobis Galenus (a) Est & specificum remedium paucis notum, quod junioribus calculum vesicæ planè tollit, sine recidiva, adulti verò nullum sentiunt incommodum, qui illud per os sumunt, & nisi timerem impostorum reformationem, lubens istud communicarem: sed casus, hic, plus valet quam ratio. Eodem reme- dio sanatur etiam astma perfectè sic & epilepsia ex inferis.

Demiror, profectò, hominem, quòd novus Hippocrates tam absurdas ausus sit proferre sententias; cum tot Viros maxime Theoriæ & Praxeos habuerit Theseos, qui ad meliora, nec non saniora, amplexanda dogmata cum meritò pertrahere debuissent. Et, ut missos faciam quamplurimos, so- lius & unus Helmontius, à quo deflexit in hoc puncto, januam ei pandere de- bebat, docto & eleganti tractatu, de Lithiasi. Sed quid fastus non asperna- tur? Nova, inaudita, occulta, abscondita hæcenus à sensibus & cognitione quæ ste- tere, meditatur, omnia specifica calculi remedia proscribit, eaque Canoni- ca, turpi sacrasmo, scribillat: Scholas, & Dogmaticos, (sed quis Histrionibus succenset?) cum mercenario scribâ, ridet. At, vix hæc finierat, ecce! Ro- ma Quirites invocat, palinodiam canit, &, Protheo versutior, redit ad com- munia & trita, antiquissima Calculi remedia; & de aliena penu: quanquam etiam non defuerit, aliquid de propriæ scientiæ abyssò cribro haurire, & mun- do & agris donare. Audite, pag. 89. cap. 14. in margine, hæc habet: calculi re- medium ut & Epilepsia & Asthmatis. Accurri ego gaudens & subsultans, remediū hoc exploratum. Quæ enim rara, ea & chara. Legi illicò paragraph. qui sic sonat, pag. 89. Est & specificum remedium paucis notum, quod junioribus calcu- lum vesicæ planè tollit, sine recidiva, adulti verò nullum sentiunt incommodum, qui illud per os sumunt. (Ote, Tackenium, agrorum asyllum, vitæ & sanitatis an- choram, etiam Minervæ suffragio, quoniam nec Diagoras melius!) Nunc ad remedium venio, quod tale est: lubens istud communicarem, nisi timerem im- postorum reformationem, sed casus, hic, plus valet quam ratio. Cupis, avide Le- ctor, aliud specificum, ad astma & epilepsiam? En, afferro, ibidem: Eodem remedio sanatur etiam astma perfectè sic & epilepsia ex inferis. Et sic finis est Ca- pituli.

Nunc, Amice Lector, non ampliùs deinceps meo, sed proprio hujus iniqui nugatoris, suffragio calculum de Tackenio subtrahito. Vides, ut Le- ctorem

ctorem divexet? An non hoc est, Lectorem allicere, & simul traducere? An non Moriones id agunt, classico populum colligunt, præconis voce alliciunt, & dum nobilem Auditorum coronam nacti sunt, scurrilia tria proferunt verba, & unius palmi, ex ore, pendulâ lingvâ, inter cachinnos & ludicras gesticulariones, populum, magna præstolantem, ultrò dimittunt? Profectò, nisi te Anticyræ restituant, deploratus es, nec tibi Panaceæ salutem dabunt, *novelle Hippocrates*. Hoc est, quod semper hætenus confirmavi: Titulos, non Vitulos, producis; paleas & stipulam germinas; verba sine remediis; colores in iride ostentas; *ventus est* denique *vita tua*, & doctrina, inanis sonus. Cætera, de hoc calculi remedio, speculanda amico Lectori concedo. Pergit ulterius nugari, dum calculum extra corpus solvit, ac iterum componit, pro specifico. Magnum, profectò, secretum, calculum excisum, aut excretum, dissolvere! Hoc, si vir est, præstet, calculo adhuc in corpore existente. Tales nobis non arrident nugæ. Fermentum in ventriculo acidum, à liene inspiratum, miratur, velut novam portam, ac, omnium Classicorum nostrorum subsannatione, irridet. Statuit iterum de fermentis novam doctrinam (pridem Helmontio, Titul. *Imago Fermenti*, fol. 70. iterum Titulo: *Causæ, & initia naturalium*, pag. 20. iteratò Titul. *Blas Humanum*, pag. 115. Titulo etiam: *Calor efficienter non digerit*, pag. 129. denuò Titul. *Pharmacopolium Modernor.* pag. 294. & denique, præter complura loca, dum inquit, pag. 319. Fermentum ab Hippocrate Coo fuisse vocatum Divinum, notissimam & decantatam) ac sibi arrogat magno supercilio hanc, de fermentis, novam doctrinam, quam ex Helmontio clanculum subtraxit, ignarus, quanta, & quæ, de Fermentatione, & Fermentis, pridem ediderit Willis, de Fermentatione; quæ nobis attrita, & plus quàm notissima.

Declinat ad Lapidem Porcinum (ne dicam, grunnit, ac rostro cuncta explorat) quem audacter aut nihil virium medicarum, aut non alias, *quàm unica guttula fellis cujuscunq; vilissimi pisciculi* possidere, ait, non advertens, quo, & quanto pretio Magnates, ac Principum Aulæ, eum accersant, explorent in morbis, felici successu, & me ipso, non rarò, arbitro, & felici successus spectatore. Profectò, jejuna Philosophaster es, *Tackeni*, qui naturæ gremium nondum lustrasti: unde ignoras etiam, (quod Pædagogo tuo, Helmontio, notissimum) agentia omnia agere juxta ordinem, ad quem jussa sunt, nec non ad lumina, quæ in iis resplendent. Tot autem diversa emicant, in creaturis, lumina; quot dantur individua & agentia, dum quodvis operatur juxta speciem & finem, ad quæ à Patre luminum jussa & destinata sunt. Hinc illa effectuum differentia; hinc remissè & intensè; hinc uniformiter, difformiter, & quidquid diversitatis in effectu resplendet, causæ agunt. Et quâ fronte scribis, quod *Porcinus Lapis* non plus effectûs tribuat, *quàm guttula unica fellis vilissimi cujuscunq; pisciculi*: quasi cum felle piscium in unum conspiret effectum? Quod nam piscis genus erat, è quo, ad arcendam cæcitatem, Tobix seniori Raphael Angelus exfectum fel adhibuit, eumque feliciter restituit? Quasi lucii fel, à felle carptionis, quod erysipelati opitulatur; à felle angvillæ, quod partum faciliat, re, naturâ & effectu, non distaret? Et sic de innumeris. Adversus Solem hic homo loquitur. Operam ludimus, dum pluribus hæc demonstrare satagimus. Sed:

*Venite, spectate admiranda & jucunda vestris oculis: quæ absconsa hætenus & occulta à sensibus & cognitione sterere*, percipite ex promptuario, vel potius gazophylacio *novi Hippocratis*: ediscite, pag. 111. cryptographiæ fundamentum. Ibi docet, quâ ratione, citrà atramentum, ac sepiam, quis invisibilem, mox visibilem, scripturam, beneficio gallarum, possit conficere. Nunc quero exte, Europa, & te, fidiissima Austria, an non videris, an non audieris,



ris, in oppidis & castellis, in urbibus tuis, hoc *Tackeni* secretum, à Circumforaneo quodam, millies ac millies, in foro publico, demonstrari ac edoceri? Erat autem is, de quo commemoro, facetissimus quidam senex, quem passim, Tevtonico Idiomate, *Rugelmann* cognominârunt, ob festivos jocos ac facetias, ad dapes, Principibus & Aulis familiarior. Hujus igitur sectator *Tackenius* est: hoc secretum oculatus testis à dicto Circumforaneo, & aliâ sæpius, spectavi. At capiat Lector, quàm rara, ex magno experimentorum suorum cumulo, hîc noster *Hippocrates* excerpât & tractet.

*Paginis sequentibus*, de Metallis aliqua adducit; de quibus, in iisdem terminis, jam antè annos aliquot magnus ille Societatis Scriptor, P. Kircherus, multa edidit; è quo hæc L. B. colligat, tanquam è fonte salubri, his *Tackeni* spiritibus cloacis.

*Pag. porro 119.* vacuum alcalium probat, juxta promissa superius: vel potius sibi contradicit. Nam ait; *magisterium granorum Kermes esse alcali aluminis, quod, metu vacui, ex granis acidum occultum sorpsit.* Ergo falsum est, dari alcalia vacua; cum, metu vacui, ubique peregrinos alliciant saporis: quod tamen superius fastuosè docuit. Ulterius, *hac eadem 119. paginâ*, sequentibus injuriosè & calumniosè me laceffit, & prægrande mendacium scribillat: *Huc pertinet impostura, quam reformator pro Magisterio seminum Kermes venditat quod tamen nihil aliud est, nisi alcali aluminis, quod, ex ipsis granis, metu vacui, acidum occultum sorpsit, quatenus proprium acidum, in alcali tartari perdidit. &c.* Nondum finistuarum petulantiarum? An non meministi Tartari Vitriolati tui, quem superius malignum ostendi? Quæ de præcipitatione & extractione lapidum ac silicum, ex vitro usto: tincturâ Coralliorum calcinea: sale Viperarum, & sale Theriacali veterum, absurdissima tibi demonstravi, *novelle Hippocrates*? Plura, ut video, & ampliora exigis, ac ut probe turpissima? Cur benignam hanc præcipitationem, & naturæ amicam, imposturam dicis; tuis nequitiiis & fraudibus, rerum denique destructionibus, formali & apto epitheto? Imposturæ mihi peregrinum sunt etymon; tibi familiare: adeò quidem, ut (sicut ad nos non inanis fama rerulit) nunquam ferè domo egrediâre, quin, ab obviis sollicitatus, quò tua Excellentia gressu properet, respondeas: *Vado defraudatum aliquem unâ doppiâ, aut Ziggino, vel Coronato*: quasi Medicorum professio fraudum, & mille astutiârum, foret seminarium! Sed ad rem: demonstra, *ignare Hippocrates*, hoc vacuum aluminis; quo argumento præstabis? Demonstra illud acidum occultum in granis Kermes, nondum destructis, nec combustis, neque in sua principia, per fortem destillationem, resolutis. Demonstres, inquam, tantum acidi paucillimis granis, in quibus potius sal volatilis purè falsus hospitatur: Alumen non est alcali, non est falsum, sed acidum; ergò non vacuum; ergò non, metu vacui, acidum occultum sorpsit. Magis ignoranter, & rusticè, præcipitationis opus explicare non potuisses. Arripere igitur sub ferulam & scholaste cogor, *Tackeni*, ac edocere, quâ ratione ac viâ communes præcipitationes peragantur. Nimirum, Corallia, Perlæ, oculi Cancrorum, mater Perlarum, Lapidès pretiosi, & quæ de genere & specie horum sunt, (non loquor hîc de metallis fixioribus) in aceto, vel spiritu alio corrosivo, solvuntur: cui solutioni si instilletur spiritus, vel liquor, solvendi acido menstruo contrarius, utpotè salinus purè falsus, vel ex tartaro, vel alio lixiviali liquore, fit, ut, contrarietate illorum liquorum, amborum fiat destructio. Menstruo autem priori acido destructo, vel ab adveniente salino liquore saturato; hoc solutum suum ampliùs retinere non potest: verùm necessum est, ut fundum petat, & separetur: ac, uti Chymici loquuntur, quod stomachus struthionis devoraverat, revomere denuò cogitur; ast maximâ solutæ & præcipitatæ rei altera-

tionibus magisteriorum cornu Cervi, ungulæ Alcis, Margarit. item Corall. &c. ad oculum patet; de quibus luculenter, in *Animadversion. n. sub proprio titulo Magister.* actum est. Aliter longè se res habet in solutione vegetabilium, seu potius extractione eorundem essentia ac tincturæ. Illa descripto à Reformatore modo amicabilem magis peragitur, solâ aquâ simplici, pauculis guttulis olei Tartari, per deliquium facti, acuatâ: eorumque præcipitatio, solâ iterum aquâ aluminis (scil. aquâ simpl. in quâ nonnihil aluminis dissolutum sit) peragitur: adeoque nullum hic accedit menstruum corrosivum comburens, & nulla fit violenta præcipitatio. Nam quò magis corrosiva sunt solventia menstrua, & acriores præcipitantes liquores: quò duriores etiam & solidiores sunt res solvendæ; eò major earum fit combustio, destructio, & propriarum virtutum annihilatio. Cum verò vegetabilia, ad mentem Reformatoris, solâ aquâ simplici, pauculis guttulis olei Tartari acuatâ (quod communiter, ac frequenter, à peritis Medicis, pro exactiori extractione rerum catharticarum decoquendarum adjicitur) per lenem coctionem extrahantur, ac tandem, in persâ solutione aluminis, præcipitentur: quæ igitur fieri potest vegetabilium destructio, aut virium earum dispersio? *Esse autem Magisterium seminis Chermes* (quod ita appello ex avita consuetudine, non quòd tantum artificium aut magisterium subsit) *nil aliud, nisi alcali aluminis, quod ex ipsis granis, metu vacui, acidum occultum sorpsit*, quatenus proprium alcali in oleo Tartari perdidit; est absurda dictio & contradictio; quin absurdissima assertio, ex qua nemo, intinuius si consideretur, veritatem ullam perspiciet: uti nec ipse se Autor extricare posset, si, magis Philosophicè disputare, animus esset. Si dixisset, esse Magisterium hoc, pro parte sui, terram, seu calcem mortuam, aluminis, à contrario liquore, scilicet oleo Tartari, per præcipitationem abortam; tunc sanè fidem cum apud Reformatorem, tum alios viros doctos & Chymicos meruisset. Verùm obscura & falsissima ejus dictio indigna est tanto Philosopho Hippocratico. Alumen enim non est alcali; est corpus minerale acidum. Alcalia autem se mutuò non destruunt. Quomodo acidum, ex ipsis granis, metu vacui, occultum illorum acidum, suo proprio alcali adhuc dives, & nondum separatum, sorpsit? Et quid est propriè illud acidum granorum occultum? Quomodo sit manifestum, in simplici hoc labore, ut ab acido manifesto, & existente, sed jam destructo ab alcali tartari, attrahatur? Demonstrat hæc prius in vacuo, sibi contradictorius. Fortè hoc acidum granorum occultum erit *Hippocratis novi* vacuum, aut imaginarium spatium, ad quod exspatiatur, dum calumnias & nugas meditatur. *Esse autem alumen corpus acidum, non alcalium, neque falsum sale;* hoc demonstrat ejus contrarium alcali, seu sal, aut oleum, tartari, quorum commixtione, addito tertio, (v. g. granis Chermes) nonnihil calcis mortuæ, analogicè tantum loquendo, seu terræ inutilis, nullius virtutis, præcipitatur. Hujus mortuæ terræ, fateor, nonnihil, sed exiguum admodum, præfato magisterio est & manet permixtum; in nullius verò detrimentum: cum, uti dictum, nullius efficaciæ sit. Amplius dicam: Si Magisterium granorum Chermes nil aliud est, *nisi alcali aluminis, quod ex ipsis granis, metu vacui, acidum occultum sorpsit*: unde, quæso, pulcherri-  
ma & substantialis illa rubedo Granorum, in ipso Magisterio? Unde ipsa Granorum substantia, quæ tota ferè, & corporaliter, se sistit in Magisterio? In nihilum fortè abierunt Grana, & tota eorum substantia, remanentibus tantum  
accidentibus, aut in vacuum *Hippocratis novi* migrarunt, & tamen corporaliter iterum se sistunt in Magisterio, cum omnibus suis accidentibus? Si, inquit, Magisterium granorum Chermes *nil aliud est, nisi alcali aluminis*; cur alcali aluminis, vel, rectius, alumen ipsum, separato magisterio, totum iterum, unâ cum  
alcali



alcali, seu sale Tartari, abstractâ humiditate aquosâ, vel menstruo solvente, & præcipitante liquore, in residuo manet, & integrè se sistit; nullâ acrimoniâ, nullâ aciditate, neque de alumine, neque de sale Tartari, in Magisterio apparente, aut residua? Si porrò Magisterium granorum Kermes nil aliud est, nisi alcali aluminis, cur non est solubile in quovis liquore; quod tamen proprium est in quarto modo omnium alcalium & aluminis? Vah! quàm absurdus & garrulus Philosophaster est noster Tackenius, qui lingvæ suæ temperare & imperare non potest. Sed ne diutius immorer his calumniis aluminosis refutandis, ad

*Capitulum XVIII.* progredior, in quo non nihil genio indulgens, à Fodinis, in Amœnum hortum, & vegetabilium occultiora alcalia volatilia se confert, à Cedro ad Hyssopum Philosophaturus. Sed priusquam ad inaudita descendamus, recolat B. L. quæ supra, ex Helmontio, de Fermentis, passim attulimus, proprios citando locos, ut tantò manifestius, è pomeriis & hortis recentia pateant furta Tackenij, nec tam liberè, in margine, pag. 120. fermenti mysterium olim studio occultatum fuisse, tradat. Ducto itaque semel filo à suo Helmontio, procedit ad Tackenianum labyrinthum novus Hippocrates, ibique semel devius, de malo in pejus aberrare perseverat, nihil nisi: *Acidum informat alcali*: pro semita tenens. Hinc omnia confundit, novo etymo omnia compellat; nihil de materia, formis, unione & privationibus; nihil de Archeo & spiritu insito, aut impetum in nobis faciente; nihil de calore aut calido innato, aut humido primogenio, subaudire vult; quæ tamen Philosophis trita & suscepta: sed in *Alcali* & *Acido*, velut alpha & omega, tota ejus absolvitur Philosophia; ab his dualitates & mutæ activitates resultant. *Alcalia*, & *acida corpora*, emortua sunt comparativè, ac jam quasi virtute seminali exuta: seminibus verò divinæ particula auræ inest; inexplicabile quid, soli DEO & Naturæ cognitum; à quorum cognitione (præter divinum novissimumq; Hippocratem) nos arcemur. Nullum datur alcali per se in natura: est res præter naturam, facta artificis manu, & præsupponit sui corporis combustionem; quod ipse Hippocrates novus sæpius asseruit, pag. 9. lin. 12. pag. 13. lin. 19. &c. Verum alcalia tam firmiter ipsius Cerebro, tanquam ipsi vacuo, impressa sunt, ut vix unquam eradicari possint. Sed, ne diutius in hac alcalina Philosophia nos fastigemus, plura ejusmodi faceta commenta, quæ adducit, prætereo, donec, pag. 121. sub finem, contra Reformatorem denuo debacchando, novum & secretissimum spiritum Tartari simplicem tradit, qui talis est. Hunc, (scilicet Tartarum) ex retorta, si destillaveris, acidum excitatur à calore, & rursus incipit agere in alcali, illud vicissim in acidum, fitq; nova fermentatio, ob id lentissimo igne agendum est, & licet recipiens vas, ut ut magnum, fermentationis tamen incondensibilis odor (Gas, vocat Helmont) percipitur longè, vincit tandem alcali acidum, illudq; plane absorbet, & ambo pro majore parte fixantur. Liqueor & oleum in receptaculo, saturati sunt alcali volatili, quod egregii usus per se, à paucis tamen cognitus. Distillatum liquorem & oleum, si rursus capiti mortuo reasfuderis, tunc alcali volatile quod liqueor continebat, absorbetur ab acido in capite mortuo, & fixatur, quod autem rursus tunc stillat, erit aquæ elemento vicinius & minoris efficacia. Reformatorem verò, ut ubiq; sic etiam hic graviter impingit, ait enim (a): vulgaris spiritus tartari, qui à suo relicto capite mortuo non rectificatus, nulla ratione, pro puro spiritu tartari haberi debet. Ex hoc suo rectificato spiritu tartari (& proprio insipido cerebro) componit medicinalium spiritibus. Primo; alcali volatile in tartaro saturatur, cum acido

Spiritus  
Tartari.

a. Mantissa  
Hermetica.  
fol. 745.

a. mantissa  
fol. 750.

*acido sulphuris antimonii, idq. vocat: spiritus Antimonii Tartarificatus, se forte fortuna, aliquid alcali volatilis adhuc superesset! en, quid agit? illud deinde mortificat cum aceto ex arugine, & acido vitrioli: Vnde hæc dispendiosa, sed artificiosa & inutilis compositio, constat ex aqua elementalī, & aceto; hanc mixturam antiqui poscane nominarunt, huic reformator nil, nisi factorem tartari addit.*

Antiquam nobis recoquit cramben, & insullam offam, ex magno experientorum suorum cumulo, obtrudit; quam in superioribus toties nauseavimus. Hæc enim Tyrones Pharmaceutici ad tripodem & sartagine decantant. Quod autem destillatus liquor Tartari sit alcali volatili plenus; est iterum contradictio, & falsum in terminis: quoniam alcali volatile non datur in natura, nisi prius summâ arte, ac longâ morâ, volatilifetur: implicat igitur.

Porro: destillatum liquorem, ejusque alcali volatile, absorberi ab acido, in capite mortuo, & fixari; iterum *nova Hippocratica*, & sesquipedalis ignorantia est, & contradictio. Ab initio enim ferè mundi illud caput mortuum Tartari (improprie ita appellatum) falsum fuit, & quidem pure falsum ac alcali; & manebit ejus sal Tartari pure falsus, omni aciditate expers, omnium acidorum infensissimis hostis, ad finem mundi. Et hæc affirmat ipse noster Hippocrates novus plus centies. Implicat ergo denuò, alcali aliquod acidum esse. Omnis enim aciditas volatilis est, secundum magis & minus; nunquam tamen acidum in igne violento, aut reverberii, constans, in tota rerum natura; alcalia autem omnia fixa sunt & constantia, per ignem facta, ignea, & ipsa comburentia. Si itaque residuum, à destillatione spiritus Tartari, caput mortuum, totum & pure falsum, omni aciditate expers, uti ad oculum, & sensibus ipsis patet, & ipsius *novi Hippocr.* doctrinâ confirmatur; quomodo alcali volatile in spiritu Tartari, quod ab Hippocrate ipso *novo* ignorantissime falsum, & quidem pure falsum, æstimatur (quia pure falsa saltem acidis sunt contraria) ab eo destrui potest, ut non, nisi aqua elementaris, in rectificatione proluciat? Volatilia enim falsa (intellige pure falsa, non acido-falsa) ab alcalibus salibus, prout Tartari sal, nullam vim patiuntur, tanquam homogenea, quoad falsedinem pure falsam: quin præstantiora illa ab his efficiuntur, & si fors ab acido aliquo liquore, sive spiritu, volatilia falsa pure falsa, acido-falsa fuerint facta, illa alcalia falsa ab aciditate denuò liberant, acidum in se recipiunt, & funibus veluti, ac catenis, quibus dicta falsa volatilia ligata fuerant, penitus liberant ac libertati restituant; prout in sale Armoniaco, tanquam acido-falso volatili, & sale Tartari pure falso, & fixo, si conjungantur, evidentissime patet. Esse autem falsum alcali in spiritu Tartari, (licet experientia & rationi refragetur) confirmat noster Hippocrates novus, dum ait, quod aciditas in capite mortuo Tartari alcali illud in spiritu destruat. Item, pag. 123. lin. 25. hoc iterum confirmat, dum dicit; spiritum Tartari non esse acidum, eò, quod spiritu Vitrioli illi infuso incalescat. Sit igitur, juxta ejus opinionem (falsam licet) alcali pure falsum in spiritu Tartari: quomodo igitur illud pure falsum alcali, à capite mortuo Tartari, quod & ipsum etiam pure falsum, destruetur; quoniam acida, & pure falsa in se invicem tantum agunt, se mutuo destruunt & immutant: nequaquam verò acida, sui generis & speciei, iterum acida? Quod autem caput mortuum Tartari sit pure falsum, omni aciditate expers; hoc ipsum alibi noster Hippocrates novus, in plurimis locis, affirmat; quod nimirum sal Tartari sit acidorum omnium infensissimus hostis; quod & ipsa quotidiana & infallibilis experientia confirmat. Nam adeò hostiliter sal Tartari acida omnia aggreditur, ut, licet illa, scilicet acida, à sale aliquo volatili jam dum saturata ac immutata fuerint; nihilominus, superveniente sale Tartari, tanquam



potentior acidorum hoste, illa violenter denuo invadat, ac verè destruat; (quæ antea, sub larva saltem, cum volatili sale constabant) à quo non amplius eo vigore, eaque aciditate, quâ antea erant, separari possunt. Quippe quod apparet in destillatione Tartari Vitriolati, vel istius salis, qui à destillatione salis Armoniaci, & salis Tartari, in residuo mansit. Ex his neque purè falsus, neque etiam acidus, spiritus destillando prolicitur, sed acido-falsus, mediæ saporis: qui tamen spiritus acido-falsi, sicut & sales acido-falsi, magnarum sunt virium, penetrantes, deobstruentes, contrariorum nescii. De quibus tamen *Hippocrates novus* iniquè sæpe loquitur, quod vel illorum cognitionem non habeat, vel perversè vituperet, solum ad proscribendum sallem Viperinum Reformatoris, qui acido-falsus: immemor tamen sui, quod & ipsius sal Viperarum sit acido-falsus, proptereaque Mercurium, uti loquitur, non præcipitet. Mirabilia, profectò, phasmata *novellus* noster *Hippocrates* fovet, qui & Mercurium sublimatum ipsum corrosivum acidum non vult, & lac non præcipitare, perhibet. Videt tamen, ac ipso percipit sensu, quàm promptè alcalia, seu lixivialia salia omnia, præcipuè sal Tartari, Mercurium sublimatum præcipitent, & ab aciditate, tanquam vinculo ac hoste suo, liberent. Videt, inquam, & percipit, quod Mercurius, beneficio acidorum spirituum, ac corrosivorum mineralium, in sublimatum corrosivum, & solidam compagem, convertatur: ac nihilominus tanta absurda, tot contradictiones, afferre *Tackenum* non pudet. In promptu causa est: dudum pudicitiam omnem proscripsit.

Et, ne existimes, Amice Lector, speciosius hæc, quàm veraciter, à me prolata fuisse; ad probam descendo, atque palam demonstro, quàm sine fronte & verecundia falsarium agat *Tackenius*, textusque meos adulteret. Textus *Animadv. m. editionis Noricæ*, pag. 425. sic habet.

De spiritu Tartari hoc, quod moneam, habeo, ut, pro ejus destillatione, Tartarus unicâ solutione (quæ commodè spatio unius diei in vesica cuprea exiguo cum labore & dispendio, fieri poterit) & crystallisatione purificetur. Ita enim defæcatus, & ab inhærentibus stipitibus liberatus Tartarus destillationi commissus, non graveolentem, uti aliàs, sed fragrantem & insigniter penetrantem præbet spiritum. Etenim Tartarus crudus, quàm purus etiam esse videatur, plurimis tamen rebus heterogeneis permixtus deprehenditur; à quibus demum insignis ille fœtor oritur. Propterea vulgaris spiritus Tartari, ut in Officinis prostat, quiq; à suo abundante phlegmate liberatus fuerit; nulla ratione pro puro puto Tartari spiritu, sed mixto & inquinato, haberi debet: ut in posterum non sit, quod miremur, ab eodem spiritu Tartari fœtido sæpe contrarias operationes, & pessimos quandoque suboriri effectus.

Advertamus nunc astum hujus Vulpeculæ, quâ ratione ea alleget, quæ ad salivam & institutum; iis omissis, quæ adversari videntur, cribro pertusior. Ut vel sic facillè credulos inducat, ut suis adhæreant naniis, parte alterâ nedum audita. Scopus & intentio Reformatoris est, hoc loco studiosè commonere, ne spiritus Tartari è crudo & impuro Tartaro (præsertim Germaniæ oris, ubi vix tertiæ in Tartaro puræ sunt, reliquis duabus partibus multis hetero-

heterogeneis recrementis, uvarum & doliorum ramentis, uti & limo, seu terra, inquinatis destilletur, sed à Tartaro semel tantum soluto, & ab adhærente impuritate liberato. Unde dixi: etenim Tartarus, quam purus etiam videatur; multis tamen heterogeneis fœdatur, à quibus notabilis ille fœtor redundat. Propterea (adnimadvertat Lector, unde hæc particula copulativa; *propterea*: derivetur, quam omittit) vulgaris spiritus Tartari, ut in Officinis prostat (quæ quatuor verba: *ut in Officinis prostat*; scilicet ex crudo, non purgato, Tartaro destillatus, iterum de medio textu detruncat) quique à suo relicto capite mortuo non rectificatus, nec à suo abundante phlegmate liberatus fuerit, (quam periodum: *nec à suo abundante phlegmate liberatus fuerit*: iterum detruncat) nullâ ratione pro puro puto (*puto*, denuo expungit) haberi debet. Vides, Amice Lector, quam profundas radices egerit, apud hunc hominem, fraus & imposturæ, quam frons effrons ei sit mentiendi; dum textus meos pro libidine adulterat, nova traditiones docet, quædam omittit, in quibus emphasis ac rerum essentia proponitur, ac, velut cultiorem hortum susque deque, aper, ac porcus, pervertit. Sed mentita est iniquitas illi, in cujus verticem hæc mendacia retorquemus. Ego interim hoc textu pro viribus conatus sum, docere, quomodo ex puro puto, scilicet semel soluto, & colato Tartaro spiritus ejus destillari debeat; rectificationem obiter saltem addidi: cum & D. D. Augustani ipsi spiritum hunc Tartari, in suo præscripto parandi modo, rectificare præceperint: quamvis ego similium spirituum rectificationes alias parvi faciam. Nec tamen destructoria est illa rectificatio: quin potius, si sæpius à sale Tartari sæpe dictus spiritus rectificetur; igneus, penetrans, abstergens, & efficax magis reddatur. Sed Philosophemur & magis Chymicè, Dn. *Hippocraticæ Philosophæ*; cum tantus videri & haberi Chymicus gestias. Tartarus Vini non præbet, juxta tuam stupdiam & inspidam assertionem, spiritum alcalinum seu salinum, salsum purè; sed potius acidulum & vinosum: quod est extra omnem controversiam, ac sensibus, odore & sapore, patet. Si igitur statuisses, quod acidulus & vinosus ille liquor, seu spiritus Tartari, ab alcali Tartari residuo, annihiletur, destruat, vel in aliud esse convertatur, contrarietate nimirum, quæ acida & purè salsa se invicem destruunt, immutant, aut amplectuntur: si, inquam, hoc, pro fallaciâ tua assequenda, asseruisses; Reformator ipse aliqualem tibi fidem adhibuisset: quoniam ratio magis fuisset speciosa, ac verisimilior: quantumvis nec vel hæc ratio vera esset; quia acida, & purè salsa alcalia, ex duobus diversis corporibus, & subjectis naturalibus, extracta, verè & realiter se mutuo destruunt, & immutant. Utpote sal quidam alcali, seu lixivialis, ex vegetabilibus, & spiritus aliquis acidus corrosivus, ex sale, aut mineralibus, nec non acetum, tanquam artificialis spiritus, sibi invicem realiter contrariantur. In uno verò corpore, aut subjecto naturali (non artificiali) tanta principiorum contrarietas neutiquam perceptibilis est: adeò, ut, etiam si spiritus Tartari suo reddatur residuo Tartaro calcinato, aut ejus sali; ab illo tamen revera, tanquam antiquo receptaculo, & corpore non heterogeneo, sed homogeneo, nequaquam destruat; quin potius, si repetita illa rectificatio, aut cohobatio, super suo sale Tartari fieret, proprius certè spiritus non parum de proprio suo corpore fixo in altum secum ducturus esset, ac per alembicum evecturus, virtutibus absterfivis exaltatus ac nobilitatus. Quis neget, quod etiam spiritus Vini, à sale Tartari rectificatus, haud parum de hoc in destillatione secum evehat per alembicum, isque virtutibus magnoperè imprægnetur? Cur ergo proprius spiritus idem præstare non posset, & quidem efficacius illo? Spiritus Vitrioli, si is suo capiti mortuo, vel colcothar, reaffundatur, & aliquamdiu in aëre relinquantur; totus revera non destruitur, sed de-



nuo destillatum hoc Vitriolum reddit suum spiritum acidum, verum magis dulcem, & quodammodo diminutè. Ratio est, quoniam in residuo corpore, vel capite mortuo, non solum metallum latet occultum & calcinatum, sive sit cuprum, ferrum &c. sed & alia heterogenea mineralia admixta sunt; in quæ spiritus Vitrioli, rodendo, agit, reactione autem nonnihil repatitur & hebetatur: secumque nihilominus vehit particulam soluti metalli, latentis in capite mortuo. Hinc illa spiritus Vitrioli, à capite mortuo rectificati, dulcedo provenit; præsertim si ex Martiali Vitriolo fuerit destillatus. Igitur neque hinc tanta obvia contrarietas, ut se mutuò totaliter destructura sint; multò minus in Tartaro & ejusdem spiritu percipietur, quanta est in purè falsis alcalibus, & acidis spiritibus. Porro: sal Armoniacus corpus quidem artificiale, & sal acido-falsus volatilis est. Hic præbet spiritum acidum salinum, in sui præparatione & sublimatione à sale communi acquisitum: præbet item spiritum salinum, seu salem volatilem purè falsum, urinosum. Hi duo spiritus (non miretur *Hippocraticus novus Philosophus*, quòd salem volatilem, si in liquorem solutus, spiritum appellem; quoniam communiter sic loquuntur, & tam absurdum non est, ut, ob id cavillando, Reformatorem in tantum arguat) fateor, sibi invicem contrariantur. Sed quid aliud hac contrarietate iterum efficiunt, nisi pristinum ferè salem Armoniacum, qui iterum in hos spiritus dividi, resolvi, atque denuo in salem componi potest? Discat saltem *novellus Hippocrates* ex his, quòd sales volatiles non sint alcalia. Sunt quidem sales purè falsi, sicut alcalia falsa purè falsa sunt; sed non sunt fixi, non absterfivi, pro saponaria & vitraria arte inepti, (licet magnus *Tackenius*, planè phantasticè, superius, saponem ex volatili sale Viperino, & oleo Tartari destillato foetido, construere voluerit; quo se mundet, donec nitidior mente evadat) non ex cineribus concrematorum vegetabilium extracti; sed beneficio destillationis facti, ex alio regno: quæ operationes planè contrariæ sunt, subjecta diversa, genere & specie. Propterea implicat in re ipsa, & terminis, sales volatiles, sive urinosi, sive ex partibus animalium, sive occulti etiam vegetabilium sint, alcalino etymo producere; quippe quod haud exiguum affert obscuritatem & confusionem, ut vel pauci penetrent, quid sibi *novellus* hic *Philosophaster* quandoque velit, omnia confundendo. Sed quid mirum: quoniam horum ipse nescius, & differentias salium nondum agnovit? Nam alcali ipsi est omne, & in illo omnia; ipseque totus alcalinus. Discat præterea ex his, quòd sales volatiles acido-falsi non sint reprobandi, sicut ipse rejicit salem Viperarum Reformatoris, spiritu salis saturatum. Hi enim nobilioris indolis sunt, quàm sales purè falsi volatiles, aut fixa alcalia, quoniam penetrantes magis, contrariorum nescii, integris viribus permeant totum corpus, neque protinus in ventriculo, ab acido lienis fermento, neque in mesenterio, aut aliis digestionum culinis, à falsedine purè falsa immutantur: obstructions referant, crassos humores incidunt, viscosos attenuant, urinas promovent, ac arenulas expellunt; nec tamen destituti sunt illi virtute seminali; eò, quod separabiles denuo sint à suo vinculo, acidis nimirum spiritibus, per salem Tartari: nimirum sal volatilis Urinæ, à sale Armoniaco; à sale Viperarum Reformatoris, spiritu salis saturato, volatilis denuo sal Viperinus: signum infallibile, virtutes feminales, seu naturales, horum salium, à proprietate substantiæ suæ, ab acido salis spiritu nequaquam fuisse destructas, nec verè & realiter, sed externâ ac peregrinâ tantum formâ, & accidentibus, aliud ens simulare; & redire ambo in sua pristina entia, artificiosâ separatione. Proinde, si sal Viperarum, acido spiritu salis saturatus, in salinam sublimaretur compagem solidam, non propterea sal esset communis, ut neque sal Armoniacus; sicut falsissimè proclamat *novus Hippocrates*: quemadmodum

modum volatilis ille Viperinus sal à suo acido spiritu denuo separari, & in pristinum esse, viribus integris non mutatis, converti potest; ipso *novello Hippocrate* attestante, sibi licet contradicente. Quidni & sal Viperarum *Tackenij* etiam acido-salsus est, substantiâ, formâ, virtutibus, ac omnibus accidentibus, assimilis sali essentiali Tartari, seu Vini, superius ad unguem descripti? Ex his fundamentis & argumentis judicet Lector, quâ probitate iniquus ille *Hippocrates* vituperet sales acido-salvos, & præcipue salem Viperarum Reformatoris, legitime, in *Animadvers.* descriptum, ut nimirum mundo proprium salem, ita nuncupatum, Viperarum, ulterius obtrudat, & loculos adimpleat: cui tamen minimè invidéo. Nam ego quidem salem Viperarum pro quæstu non apparo nec decoquo. Angusta, profectò, mihi res domi futura, si tot pernecessariis sumptibus, irrequietis laboribus, sumptuoso tempore, huic ministerio præesse me oporteret, ut fideliter, citra imposturas, hunc Vipereum salem dispensarem. Sed hæc *Tackenio* canos non accersunt; liberalis est genii; utpote qui ex quatuor tantum Viperis, quadraginta, & plures, salis libras elicere novit, novus Thaumaturgus, dono multiplicationis desuper beatus. Verùm talia hoc genus hominum affectat, quæ compendioso labore, magno tamen precio distrahenda veniunt: è quorum etiam censu *molliculus caseus* est *Tackenij*, (nos Caseolum Xenocratis dicamus) quem, profectò, exiguo labore conficit; uti videre est, quòd annuè multas libras hujus per Europam magno ære divendat; cum tamen, ut in quâdam Epistola, seu in Echo Vindic. confitetur, decumanos labores hic molliculus caseus accersat, ac integro anno vix paucas uncias conficiat. Rem magnam feceris, *Tackeni*, si æquus sis. Hoc tamen ex Senecæ proverbii discito; quòd facilius repelli se, homines, quàm decipi, ferunt.

Verùm ad institutum revertar, & ignorantiam *novi Hippocratis* ulterius describam, qui ut spiritum Tartari sale volatili saturatum esse, demonstraret, ait, pag. 123. lin. 26. Cui (scilicet spiritui Tartari) si affuderis spiritum Vitrioli, incalcescit, ut lagena vix manibus, teneri possit, evidenti argumento, quòd acidum vitrioli alcali tartari absorbeat, sicut calci aqua affusa contingit, &c. Rem acu denuo tetigisti, Domine Philosophè Hippocratice. Hoc enim est, quod te ipsum falsi convincis. Nam si alcali volatile in spiritu Tartari verè existit, quod spiritui Vitrioli, uti dicis, contrarium, & unde ejus incalcescentia; illud necessariò debet esse purè falsum. Sales autem volatiles purè falsi, à salibus fixis alcalibus, seu lixivialibus, uti est saltartari, nequaquam destruuntur, verùm juncti in virtutibus suis adaugentur, si sæpius ab iis sublimatione pellantur. Ergo neque spiritus tartari, sale volatili, uti dicis, prægnans, à suo capite mortuo sic dicto, seu sale Tartari, quicquam patietur, multò minùs destruetur; quin potius efficax magis, in virtutibus multum auctus destillatione & rectificatione, ab eâ prolucietur. Caput mortuum autem Tartari sic dictum, seu salem tartari, purè falsum esse, nequaquam acidum; hoc sæpius est demonstratum; hoc ipsum multoties fateris; hoc lippis ac tonforibus, discipulis, & Tyronibus, notissimum, qui *magnum Hippocratem Chymicum* mechanicâ demonstratione illicò convincent, & melius instruent. Sed audi porrò, *magne Philosophè*, tam es rudis Chymia, ut nescias, quòd etiam spiritus acidi corrosivi minerales hoc sibi commune habeant, ut, si ex diversis rebus destillati prius, confestim tandem uniantur, ingens suboriatur incalcescentia; quâ tamen sedatâ, spiritus illi corrosivi & acidi non solum in suo vigore indestructi maneant, sed corrosivi magis reddantur, & intendantur, ut neque etiam præcipitentur. Idem & hic contingit, quando spiritus Vitrioli jungitur spiritui Tartari. Ab his licet aliqua suboriatur incalcescentia, non tamen propterea se mutuò destruunt, non se mutuò præcipitant, nec spiritus



spiritus Vitrioli ab aciditate sua immutatur, neque etiam odor graveolens, vel empyrevma, spiritus tartari dissipatur; quæ cuncta ex lege naturæ fieri deberent, si tale alcali in spiritu tartari existeret, juxta falsissimam *novelli Hippocratis* assertionem. Videmus autem, prædicta omnia firmiter constare in horum spirituum commixtione, tum aciditatem spiritus Vitrioli, tum etiam empyrevma, & odorem graveolentem, spiritus Tartari: ergo nullus sal verus volatilis, & purè salus, in spiritu tartari continetur. Ut neque in Calce viva tales ficti sunt sales, sibi invicem contrarii, quos sibi antiquata cantilena saltem finxit. Verùm inest calci vivæ ignea particula incorporea, veluti comburens, & indurans, spiritus lapidificus, omnia animalia destruens, salium volatiliū in sensissimus hostis, eaque mortificans. Hæc ignea vis, & particula; in calce, vel ab aëre humido, vel aliâ humiditate actuata, insurgit, omnia secum suo igneo lapidifico spiritu indurat, mortificat, & a putredine arcet. Hæc veræ Philosophiæ consentanea sunt; locum tamen in vacuo *Hippocratis novelli* cerebro non inveniunt, quia calumniis & sarcaſmis repletum, quos nondum omnes in Reformatorem effudit, ut etiam in *D.D. Augustanos*, qui & ipsi spiritum Diatrion, pag. 426. col. 2. suæ Pharmacopœiæ haud ineptè inseruere: nec illis lachrymabile est medicamentum, sed eximiiis virtutibus præditum, antiquis & modernis doctissimis Medicis familiarissimum. Maneat è contra iniquo huic Calumniatori ridicula alcalisata Philosophia, quam in vacuo & spatiis suis imaginariis meditatus est. Neque porro Mixtura illa de Tribus, quam, pag. 429. col. 2. Animadvers. inserui, hoc lachrymabile meretur encomium: quia idem spiritus Tartari, (licet cum antimonio destillatus, & efficax magis redditus) sicum spiritu Veneris sociatur; nulla virtutum earum fit destructio, nulla salis volatilis immutatio: sed ambo spiritus in virtutibus suis potiùs exaltantur, junctisque viribus efficaciores redduntur.

*Alcali porro volatile in tartaro, saturari ab acido sulphuris antimonii.* Proh dolor, quàm iniqua, quàm insulsa Lectori instillas! An potest sulphur, etiam crudum, potentius multò sulphure antimonii, saltem quendam volatilem figere & fixare, aut saturare acido suo spiritu, si non accendatur, vel in actum deducatur accensum, ut actu spiritus suos eructet: qualis spiritus tandem salia volatilia purè falsa saturando demum, nequaquam destruendo, aptus natus est? Ad hanc normam spiritus Tartari destillatus cum antimonio, à sulphure ejus, scil. Antimonii, aurato, non inflammabili, sibi associat aliquid virtutis, & propriâ volatilitate secum per alembicum rapit. Philosophus iterum mansisses, si tacuisses, mi *Tackeni*.

Stultitiæ est index linguaque mensque Turæ.

Hippocratem frustra imploras Numen, libro iterum de diætâ, jejunos Philosophus: sed profanis non adest, ne dicam, falsariis. Iteratò falsum etiam est, quòd, pag. 125. in margine, scriptitasti, nimirum: *absq. arte non reperiri in natura acidum purum sine alcali mixtum, & vice versa.* Hoc falsissimum est & jam demonstratum; quidquid eitam ex divino Sene, de diætâ, lib. 1. mulsites.

Reliqua, quæ hoc ipso capite 18. continentur, utpote, pag. 124. lin. 12. paragr. qui incipit: *Aciditas vero, per liquorem sparsa &c.* item, pag. 125. lin. 4. paragr. qui incipit: *Huic alcali, superadde acidum &c.* præ reliquis inquirenda Amico Lectori svaserim. Talia enim sunt, quæ vel Oedipum terreant, vel Philosophum arceant; amusa & obscurissima. Ego sanè, nisi me labores Chymici, & Pharmaceutici à teneris instituissent; præ doctrinæ hujus caligine minimè assequer, quæ secreta, & aureos montes, publico donaret *Tackeni*. Verùm cum experientiâ noverim, quid sit subsidentiâ vel residentiâ, aut

aut potius remanentia, aceti; vini item naturam, ac historiam, per omnia investigârim: hanc Chimosophiam, lamentabilem & mancâ doctrinam, risi, ac plausûs dedi. Ne autem Ben. L. hoc mysterio defraudem; en! totum adscribo contextum, qui talis est:

## CAPUT XVIII.

cujus inscriptio:

*Ex fodinis nunc in Amenum hortum ad vegetabilium  
occultiora alcalia volatilia me conféro.*



**V**egetabilia omnia, non minus quam animalia habent instrumenta vitæ, quibus utuntur, ad horum incrementum & propagationem. In semine igitur tanquam ovo, uel stomacho, dormit prævalens acidum, cum pusillo alcali, pro sui sustentatione, cum specifico rectore (de quo alibi) cum vero in terram, projicitur, humido soluitur; & calido excitatur; acidum ut igneum incipit agere in alcali, cui humidum accedit, illud rector, caloris beneficio informat; sic invisibiliter acidum assumit alcali, & alcali vicissim sorbet acidum, in utramque partem tendunt fermentorum more, imò non cessant, donec cursum præfixum absoluerint ad suos fines: spiritus alter trahit alter protrudit, &c. ait Hip. citato loco.

vegetabiliæ  
mechanica  
instrumenta  
Hippoc. dua  
facultates.  
lib. 2. de  
diata.

Fermenti  
mysterium  
olim studio  
occultatum

Humidum itaq; cujuscunque vegetabilis, continet acidum & alcali, in aliis fuit prædominatur alcali in aliis, acidum, acidum est notissimum, alcali verò hæcenus paucis cognitum: quod in expresso uuarum dulci succo, ut notissimo ad oculum nunc ostendam; in quo primis diebus rector dormit, qui paulo post, admovent mechanica instrumenta, acidum incipit rodere alcali, illud, absorbet acidum, fitq; actio & prægnæ vehemens, quam à feruendo fermentationem appellamus, & id donec acidum ut supremum vicerit alcali, in illa prægnæ, ambe facultates (sapores, instrumenta, mechanica vel architectonica, voca ut lubet, vel etiam archæus, calidum innatum &c.) patiuntur ingentem cladem, fitq; internecio vigorosa, acidi ab alcali absorpti & pessundati ac satifientis, ambo cadunt mutuo amplexu in cadauer (vinispectu) quod Tartarus appellatur.

Fermentum  
quod feruendo cre-  
scit.

Hunc, ex retorta, si distillaveris, acidum excitatur à calore, & rursus incipit agere in alcali, illud vicissim in acidum, fitque nova fermentatio, ob id lentissimo igne agendum est, & licet recipiens vas, ut ut magnum, fermentationis tamen incondensibilis odor (Gas vocat Helmont) percipitur longè, vincit tandem alcali acidum, illudq; plane absorbet, & ambo pro majore parte fixantur. Liqueur & oleum in receptaculo, saturati sunt alcali volatili, quod egregii usus per se, à paucis tamen cognitum. Distillatum liquorem & oleum, si rursus capiti mortuo reasfuderis, tunc alcali volatile quod liquor continebat, absorbetur ab acido in capite mortuo, & fixatur, quod autem rursus tunc stillat, erit aqua elemento viciniùs & minoris efficacia. Reformator verò, ut ubiq; scietiam hic graviter impingit, ait enim (a): vulgaris spiritus tartari, qui à suo relicto capite mortuo non rectificatus, nulla ratione, pro puro spiritu tartari haberi debet. Ex hoc suo rectificato spiritu tartari (& proprio inspido cerebro) componit medicamentum, profecto lacrymabile, quod vocat (a): mixtura de tribus, ex mineralium spiritibus. Primo; alcali volatile in tartaro saturatur, cum acido sulphuris antimonii, idque vocat: spiritus Antimonii Tartarificatus, si forte fortuna aliquid alcali volatilis adhuc superesset len, quid agit? illud deinde mortificat cum aceto ex æruginè, & acido vitrioli: unde hæc dispendiosa, sed artificiosa & inutilis compositio, constat ex aqua elementalì, & aceto; hanc mixturam antiqui poscam nominarunt, huic reformator nil, nisi factorem tartari addit.

Spiritus  
Tartari.

a. Mantissa  
Hermetica  
fol. 745.

a. mantissa  
fol. 750.



*Spiritus autem tartari prudentia ab Hippocratico distillatus, non est acidus, sed subamarus, & alcali volatili saturatus, cui si spiritum vitrioli affuderis, incalcescit, ut lagena vix manibus, teneri possit, evidenti argumento, quod acidum vitrioli, alcali tartari absorbeat, sicut calci aqua affusa contingit, & quemadmodum in calcis calefactione, salia moriuntur, & in neutrum degenerant; sic de spiritu tartari, cum acido quocumque misto, intelligendum est. Sic docet (a) Hippocrates Doctor meus. Redeo nunc unde digressus, ad chemicam nimirum vini fermentationem, cujus causa tartarus cecidit in fundum, ut cadauer.*

*Aciditas verò, per liquorem sparsa illi dominatur defenditque, & uocatur vinum, hujus aciditas fit palato grata, respectu alcali, quo cum amicitiam iniuit, acidumque temperat, donec tandem aciditas, alcali pertusa, aut calore iterum excitata, superare contendit alcali, fitque noua, at insensibilis pugna, vinumque magis accescit, vocaturque communi nomine acetum. Cui si per alembicum separatur aciditas, & fundus per ignem concremat, tunc reperitur ex tartareo illo fundo alcali, quod talimen multis impossibile videbitur in tanto acido, alcali reperire, & tamen verum est sum, & vice uersa Hipp. lib. 2. de diat.*

*(b) id voluit philosophus (a) inquit: impossibile esse materiam, cui non sub sit aliqua forma.*

*Huic alcali, superadde acidum distillatum, & euoca phlegma aquosum, odorem aquæ ardentis habens, tunc ex acido & alcali, habebis tartarum regeneratum, qui ex retorta dat oleum pingue, & aquam amaram, alcali volatili saturatam. Ex phlegmate, per phiolam longi colli, euoca pingue ardens aquosum, quod aquam vitæ appellamus; reliqua pars est aqua elementalis. Pingue, reassumit alcali, de quo rursus euoca aquam elementalem, repete hanc operationem, & tota vini substantia in aquam & terram elementalem omni sapore & odore priuam transit. Hinc patet, quod uuarum succus, alcali & acidum (in quo rector habitat) conseruauit per varios casus, per tot discrimina, usque ad ultimam sui annihilationem. Accedo ad*

*a. Aristot. primo physicorum.*  
*Sic rector paulatim, à sensibus nostri externis, in nihilum recedit: adeo ut non inueniat homo opus, quod operatus est Deus Eccl. 6. 3. u. 11.*

## CAPUT XIX.

inscriptum:

*Desertam & incultam viam explanat.*

**I**N hoc non minus, quam in aliis, haud pauca occurrunt absurda. Quælibet enim periodus correctione indiget. Paragraphus huius capituli tertius, pag. 128. lin. 17. hæc habet. Quemadmodum enim, alcali fixum; Mercurium; & alcali fixo vicinior; vitriolum precipitant, ut supra ostendi; sic etiam hic, mitius alcali; requirit & mitius examen. Hæc est, juxta huius capituli inscriptionem, desertæ & incultæ viæ explanatio: Hic igitur adeste, qui viam excultam ambulare cupitis; & jucunda vestris oculis aspicietis. Verum necessum est, accedat Oedipus non Davus.

*(a) De specifico acido hic sermonem institui, compendii breuitas non permittit. Vide tamen, cap. 21. Pag. 130. lin. 5. novum dogma novum proponit secretum, dicens: Aciditatem (a) esse, caloris & doloris causam obseruarunt cum Chirurgis, quamplurimi emunctiores Medici, ut etiam, quod Cornu Cervi ustum; acetum & reliqua acida, omnis generis, in se absuxit, unde illud, in maxima dosi, ab uncia semis, ad unciam, in aqua refrigerante, alcali volatile continente, felici successu febricitantibus propinarunt. Nam sicut cornu cervi ustum, ex aceto absorbet & combibit, acidum volatilem salem, sic aciditatem in quibusdam febris obortam, tollere & absumere, non sine magno animi gaudio animadverterunt. Cornu Cervi usto tantam inesse vim, in acido sale volatili absorbendo & combibendo, quis, ante Hippocratem novellum, credidisset? Cornu Cervi, vel quæcunque alia ossa Animalium, Hominum, Equorum &c. si adusta, indifferenter se habent, ac nulla inter illa est disparitas; suntque corpora ac terra mortua damna-*

damnata, omni sale, omni virtute, vacua. Proinde, quod libera sint & mortua corpora, nil planè illis inest de sale sive fixo, sive volatili, ad restas, seu capellas probatorias, metallis perfectioribus purificandis & finandis, uti loquuntur. Pari ratione etiam cineres simplices lignorum elixiviati, omni sale ac virtute spoliati, usurpantur: quod ipse Author alio loco confirmat. Hæc, inquam, ossa mortua indifferenter se habent ad recipiendum quemcunque liquorem, sive acidum, sive salsum, aut insipidum etiam, & dulcem, tantum nimirum, quantum, pro eorum humectatione, saltem sufficit; prout alia quæcunque terra mortua, calcinatione omni humiditate spoliata: non verò, quod ex liquore aliquo, sive acido, sive falso, aciditatem & salsedinem tantummodo, absque eorum liquore, elicere apta sint. Clariùs dicam: uncia una ossium quorumcunque adustorum, seu calcinatorum, de liquore quodam, sive acido, sive falso, unciam dimidiam circiter, vel minus, pro sui humectatione, in se absorbet, relicto reliquo liquore, superabundanter affuso, in suâ salsedine, suâ aciditate, nec quicquam vel hebetiore facto, aut permutato. Sic neque ex acido liquore salem aliquem inhaerentem, neque ex acido etiam falso liquore acidum solum, peculiariter hoc, vel illud, separatim attrahere, apta nata sunt, sed indifferenter, ut denuò repetam, ad quodcunque recipiendum, non verò separandum, non hoc, vel illud, peculiariter eliciendum, se habent. Ergo nequaquam ex aceto absorbet & combibit separatim, & solum acidum volatilem salem (quia & acidus sal purus in rerum natura non reperitur; & implicat) aut ejus aciditatem; sed de toto aceto, quantum pro sui humectatione requiritur, relicto reliquo aceto impermutato, & suâ aciditate plenè adhuc gaudente. Ergo nequaquam ossa calcinata, sive *Cornu Cervi ustum*, aciditatem in quibusdam febribus obortam, tollere, non sine magno animi gaudio animadverterunt: sed est fiducia inanis, frivola assertio, nec naturæ nec rationi consona. Etenim si quis acidam aliquam humiditatem, ventriculo ingestam, aut primis viis inhaerentem, calcinato cornu Cervi tollere & absumere vellet, necessum omnino esset, ut, ea in quantitate, sicum cornu Cervi ustum, nullo liquore prius imbutum, nullo modo humectatum, nec etiam in ore salivâ tantum madefactum, ventriculo intruderet, quâ quantitate & pondere nimirum (plus duplo) sufficiens foret, liquorem acidum inhaerentem totum, non ejus acidum solum, in se recipere, & absorbere; sed, quod studiosè advertendum, adhibito motore, vel transvectore, qui hoc, ab acido febrili imprægnatum tandem cornu Cervi ustum, per intestina innocuè veheret, & tandem per guttur inferius exturbaret. Hoc est præcellens medicamentum antifebrile, ex magno experimeatorum cumulo Hippocratis novi excerptum; hæc sunt virtutes prægrandes, quibus pollet cornu Cervi ustum. Et hæc ex fideli ac secretâ communicatione magni Chymici, *Tackenij*, habete, quæ non sine magno animi gaudio amplectemini.

Plura hîc loci essent dicenda, præsertim de iis, quæ Author, in sequentibus paragr. pag. 130. 131. adducit, de herbis vulnerariis & refrigerantibus; item de earundem aquis destillatis; & quâ ratione differant ab aquâ spermatis ranarum, quæ verè abundat sale volatili, tanquam ex animalculis, aut eorum saltem spermate, destillatâ. Verùm quia paucis complecti nequeo, idcirco brevitati studens, ulterius progredior.

Devenio autem, pag. statim sequenti 132. lin. 5. ad consuetas *Tackenij* calumnias, contra Methodicos Medicos, quos denuò, in despectum, *Canonicos* appellat, eosque *vesania*, *stultitia*, & *ignorantia*, accusat, malè, contra doctrinam *Hippocratis*, medentes. Et paulò post, lin. 13. superbissimo supercilio se ipsum nunc Hippocratem sistit & proclamatur. Addam



*Aqua refri-  
ger. occulta  
habens al-  
cali.*

*Alcal. volat.  
podagra do-  
lores abfu-  
erunt.*

*Podag. nodo-  
sa coagulat.  
ut calculus,  
diverso sal-  
som acido.*

igitur hujus paragraphi integrum textum, qui incipit pag. 131. lin. 5. Sic & aqua destillata, ex ranarum spermate (totum sperma cum patientia ex balneo elevatur in puram aquam relictis granulis nigris, & aridis, quæ non sunt rejicienda) abundat occultò volatili alcali, & plumbum ex dicta solutione ilico præcipitat, promptius, & copiosius, quam ulla alia aqua refrigerans; hæc aqua magni est æstimanda, in plurimis affectibus, ex peculiari acido: desperatam enim hæmorrhagiam, ex utero, feliciter sanata novæ, quatenus sanguinis aciditatem, primò absorbet, postea inhibet & arcet. Hæc etiam aqua, dolenti parti podagræ applicata, statim dolorem mitigat, quatenus acorem mortificat & alterat. Cum vero dolor est vehementior, tunc aciditas est in majori copia & uigore, alcali volatile causam absumens, manifestior tunc esse debet; tollit vero dolorem indubitate; hinc discitur, hujus causam ex acido provenire, si alias à juvantibus & nocentibus, sumenda est principalis indicatio, ut Auicenna docet, Vesaniæ itaq; similis est, quorundam Canonicorum medicorum stulta opinio, quod contra Hippocratis doctrinam, contrariis mederi, & hujusmodi simplicibus catarrhum ut ajunt repellere, majusq; malum causare ex ignorantia timeant, & idiotis persuadent. Alcali enim volatile Hippocrates indicat, inane & vacuum, quod omnem dolorem podagricum (non loquor de nodosa & coagulata) artritico, nephritico, sciatico, & similia, paucissimo spatio, externe saltem adhibitum tollit, quatenus acidum, doloris causam, confestim (impatiens inanitatis) combibit & absumit. Item pag. 133 in margine, ait: Notent canonici medici, quod alcali aque communis non ascendit per alembicum, ideo destillata non refrigerat sicut spermatis supra distilla.

Profectò, Tackeni, impudens es, & malignantis naturæ Rabula, meritò censendus, qui non unum Reformatorem, sed Scholas, & Medicorum doctissimos coetūs, petulanti lingua tuâ faucias. Ego neque tibi neque ex Acherontis Echo, neque ex Baldo & Bartolo cito, quòd pœnâ dignus sis; sed proprio ore in te fibra tam allego sententiam, quoniam, ex tua Vindiciarum Echo,

*Bestia caudâ brevi malè regit posteriora*

*Stulta lingua & levis malè regit interiora.*

Nam: in ore fatuorum cor illorum, & in corde sapientum os illorum. Quid gloriaris in malitia? An capis, quæ doces? An percipis, quæ in Canonicis & Medicis Dogmaticis reprehendis? Profectò periculosa plenum opus alexæ est, & ancipitis eventūs, Podagricis, & quibus ad articulos malum decubuit, repellentia admove: & vesaniam meritò, & nequitiam simul arbitror, nec non stultum Tackenii dogma: hujusmodi simplicibus catarrhum, ut ajunt, repellere. Vade, piger, ad formicam: consule Viros inculpatæ vitæ; sanæ doctrinæ Methodicos, Canonicos & Classicos: audi, quid loquatur in te Spiritus sapientiæ: disce cautiùs de humano corio deinceps mercari. Si enim temerarium te hominem, & Medicastrum, sectabimur; dubium non est, quin & podagras arceamus: sed, ut dicitur, Morbus curatus est, homo autem periit. Reliquas vindicent Scholæ calumnias.

Hac ipsâ pag. 132. lin. 27. miranda & nova docet, dum statuit, aquam putealem, vel fluminis, alcali occultum continere, cujus ratione nutriat animalia & plantas omnes. Ferrum ignitum, ac in aqua extinctum, acquirere robur, docere, dicit, Hippocr. citato libro. Præterquam quòd doctrinam hanc, duce Philosophiâ, & propria ratione, futilem, nugatoriam, ac inanem esse, cognoverim; si vera ea esset, tanta, proh dolor! præsidia, urbium & castellorum fortissima munimenta, bello & fame diruta etiamnum non squallerent, dum eorum præsidarii multum quidem salubrioris lymphæ, sed parum, aut nihil, habentes alimenti, fame tandem ac inædiâ decessere. Consului tamen innumeros & doctissimos viros, qui hoc argumentum tractarunt fusiùs; & ex eorum censu magnum Stagiritam, lib. Meteoror. & 4. Physic. Albert. Magnum, lib. 2. Me-

toror.

*Horor. Hippoc. lib. d. capit. Vulner. Galen. Plinium, lib. 33. cap. 1. 2. & 3. Vitruv. lib. 8. Jovium Pontanum, Meteor. c. 34. Solinum Polyhistorum, cap. 10. & 32. recentioresq; quamplurimos, & maximè Helmontium : Tit. Aqua : doctissimum Kircherum, lib. 5. de Virtut. aquarum ; item, in itinere Hetrusco : & alios (tantum negotii facessit vel unicum delirantis phasma) & ne unum reperi, qui virtutem alimentalem & nutritivam Aquæ accenseat. Sed plus unius Morionis negandi pertinacia prævalere attentat ; quàm centum sapientum demonstrationes. Te igitur hic nutriat latex cum alcali tuo, nec melioribus dignus es : nos interim nostra tueamur. Sed forsàn à pari argumentari volebas, quòd nimirum aër plus contineat hujus volatilis salis, de quo loqueris, quàm aqua putealis, fluminum, & destillatæ ex herbis refrigerantibus ; adeoque forsàn plus enutriat. Sed alia hîc ratio militat pro aëris constitutione, qui, (sic mecum quamplurimi viri docti sentiunt) suo modo, porositates suas habet, in quibus hic sal volatilis detinetur ; quem elicere, operosum non est ; prout ex *m. Animadvers.* pluribus patet. Non sic ex aquis, quæcunque illæ sunt, hic sal elicitur : ex quibus sequitur, alcalibus tuis (quæ vacua stupidè asseris) plenum esse aërem ; plus nutrice aërem, quàm aquam ; plus refrigerare, quàm aquas destillatas, quæcunque illæ sint ; quoniam plus sale abundat. Sic aëre vivimus, nutrimur, & sanamur. Hæc citra calumnias, & textuum adulterationes, pro inani commento tuo, objicere placuit.*

Plura se offerunt emendanda in hoc Capitulo, utpote de præcipitatione, & solutione, sacchari Saturni ; de indurando ac corroborando ferro, quod per mechanicam tritum ; & quamplurima. Sed dedignor pluribus immorari. Legat interim B. L. auctoritatem quam, *pag. 134. lin. 12.* affert, ac quâ ratione ad rhombum sit, combinet. *Hinc Lactantius, ait ; lib. 1. cap. 5. à quâ sunt omnia, sed quid illa, & illud ? Quod ante Hippocratem, Thales Milesius, fortassis hac arte, etiam cognovit : teste Laertio in Talete. Sic Hermes antiquissimus. Aqua inquit : est susceptibilis nutrimenti in hominibus & aliis : Et sine aqua non operatur natura &c.* quæ omnia ultrò concesserim : ergò aqua nutrit : negatur falsissima consequentia : cruda auctoritas est, ac alio sensu accipienda.

Quæ porrò, *paragr. sequenti*, de Aqua Rosarum, & aliis aquis, scribit, *pag. 134. in cupreis instrumentis destillatis ; hæc laudo, & probo consilium : ex quo fundamento & iteratò, in Animadvers. m. & secundariò, in Novo Dispensatorio, Pharmacopœos hortor, ut non solum in destillationibus aquarum, sed & decoctionibus quarumcunque rerum vel liquorum, tantillum saltem acidorum, vel quasi vinosorum, à cupreis, æneis, aut aurichalceis, instrumentis abstineant, & eorum loco, terrea, vitrea, aut etiam ferrea, vasa, ac instrumenta, sibi procurent : ac, si tamen in cupreis vesicis, uti vocant, stanno probè obductis, suas perficere velint aquarum destillationes ; capitellum saltem vitreum agglutinent, nec non cannas etiam ex cupro, per vas refrigeratorium, mutant : quoniam hæ particule, quas aquæ, ex cupreis instrumentis destillatæ, de metallis secum vehunt, non ex infimo continente vase, sed ex superno receptaculo, seu capitello, & canna cuprea, per quâ fluunt, abraduntur, vel abluuntur, aut solvuntur, ac unâ cum aqua eliciuntur. Nam metallum quodcunque, & vel cuprû, non ejus est volatilitatis, ut, unâ cum vapore aquoso exhalante simplici, in altum elevetur, & per alembicum transeat. Sufficiat igitur, vitreum capitellum cupreo etiam vasi destillatorio, rejectâ nec non cupreâ cannâ, apposuisse & agglutinasse. Tale vas destillatorium, ad omnes simplices & compositas Aquas legitimè & dextrè destillandas inveni, & æri incidi curavi, in Classe decima quinta Aquarum destillandarum, Dispensatorii n. Novi : ubi majorem Lector hauriet eâ de re informationem.*



*Pag. 136.* magnificis iterum verbis Lectorem pascit, ac, velut Tantalus, quos jamjam promptis fructus, malitiosè eripit. Ita enim, *in margine*, ponit: *Specifica remedia*; & ne unum apponit, quod non vetulis & agyrtis notum. Amplas quæstiones, & Philosophiæ abdita theoremata, proponit; tumultus excitat: sed nihil horum solvit. Quærit, cur succus millefolii conducatur Hæmorrhoidibus specificè: cur ictero Fumaria? Sed iteratò quærit: nihil decedit. Hoc proprium est Idiotarum: multa dubitare; nihil resolvere. Item, *in sequentibus*, statim: *ut & in quo consistat purgantium facultas?* Sed audite responsum: Optat ephippia bos piger: optat arare caballus. *En nunc hic enarrare, nimis operosum esset: Lampada tradidisse, sat est.* Caliginem nobis induxisti, non lampada tradidisti, tenebrio: quamquam, cum fatuis Virginibus, tibi lampada, sed oleo non instructam, esse, indulgeam. Hic Rhodus: hic saltus, *Tackeni*. Hic inaudita, nova, rara, occulta tractare licuisset: hic te Philosophum, & novum Hippocratem, non verbis, sed rebus, inaugurare. Non enim erat quæstio de vitriariâ, saponariâ, indusiorum locurâ, lixiviorum apparatu; sed de facultate purgantium, arduâ, in universâ Medicinâ, quæstione; de qua, cum Theoreticis, præclara quæque quærere & dissertare potuisses; an solâ facultate irritante, quâ vasa laxantur, distendantur, & ipsa natura ad exitum stimuletur, purgantia agant: ut voluit Aristot. *lib. 1. probl. 43.* an verò vis purgatrix è qualitatibus primis, notis aut manifestis, resultet, ut calore pharmaci: an verò à toto temperamento: an potius occultâ vi & qualitate, seu actione totius substantiæ: an Magnetismo; ut fit in Agarico calido, frigidam pituitam deturbante; à Myrobalanis citrinis, frigidis in primo; & à Tamarindis, frigidis in secundo: quæ utraque calidam bilem subvertunt. De quibus vide Mesuen, *lib. simpl. c. 2. & c. 7*: an vis cathartica assignanda similitudini potius, relationi, symbolo, & modo substantiæ; prout Rhabarbarum demonstrat, solam ferè bilem evacuant; aut à potestate occulta: prout meusetiam Hippocrates docet, *lib. de natura humana, & libr. de medicamentis purgantibus*; & Galenus, *lib. contra Julianum, c. 13.* item, *de natura humana tex. 17.* & passim: an pharmaca, ut selectivè purgent, debeant deduci ad venas, contactu suppositi; ut Bravo loquitur: an solâ irradiatione; ut aliorum est opinio: an purgantia solos naturales humores, non verò purgent corruptos, putridos, ac malignos; ut Zacutus acutè voluit, eò, quod hoc opus naturæ sit, crisi talia, vel acrisiâ, sequestrare: & innumera denique talia, homine ac Philosopho digna, agitare licebat, ac mox ex destillato cerebello tuo, post tot ventos, & promissâ, novi aliquid & inauditi, juxta amplissima promissâ, nobis afferre. *Sed est operosum.* Mentiris, sed ignoras, *Tackeni*. Ex Helmontio nihil depeculari, harpagare, furari, transcribere, tibi in promptu fuit, *Furcifer*: igitur lampastibi extincta est; Helmontius oleum non suppetiit: uti non dubito, quin ab eo suppetias mendicâris; sed ubi ab illo audiisti, Titulo: *Respondet Author*: (ad tua forsân postulara) *pag. 336. paragr. 6.* *Reus sibi coram Deo, si non prorsus svadeam, omnino à laxativis abstinendum: & paragr. 3. fides nulla danda solutivis.* Iterum, quod purgantia perfecta solis ægris, non sanis, competant; neque per secessum, neque sudorem, sed insensibilem transpirationem, operentur; quod nullum, ex tribus humoribus, purgent; sed purgata, & excrementa per pharmaca eduçta, sint virus pharmaci, maceratus cruor & cadaverosus; & plura his affinia, quæ vide, *pag. 306. paragr. 14.* quando animadvertisti, quod Paracelsus comptè pe-xuerit, eò quod ridiculè affirmaret, laxativa operari non, nisi calcinatione, superveniente liquido; ac laxativum cum humoribus resolvi in calcem: &c. hæc à longè subodoratus, aures subduxisti, lixivium veritus es, alcalibus miseristuis prospexisti, & operosum tibi visum fuit. Satis erat, lampada extinxisse,

se, & tenebras quæsiisse & latibula coluisse. Vah pudor! *Tackeni*! quòd hanc herbam porrexeris; quòd ex castris fugeris, & hastam abjeceris. Hic Dogmaticos & Canonicos exturbare poteris, quorum mentem supra retuli; aut Galenicos vindicare adversus Helmontium: & te Herculem dixissemus. Tuam mox novam, inauditam, doctrinam sancire poteris: & plus quàm *novum Hippocratem* Orbiste coluisset. Sed: ibas, quò quibas; quò non quibas, ibi stabas. *Onerosum erat*. Fricabas auriculas, &, quòd pessimum, nihil incidit. Profectò, *Tackeni*: res alia est sceptrum; alia plectrum: aliud: *Novi Hippocratis*, in fronte & capite libri, inscriptio; aliud, in arena, ex cathedra disceptare, & ad Rhombum loqui. Bonus es Rabula, ubi *operosum non est*; sed malus athleta in Medica palæstra; ubi, profectò, operosum. Sed hæc per parenthesis longam, tibi in aurem, & tuis in auriculas, *Tackeni*.

Ais, *sequenti statim paragrapho: Susurrones hic audio*. Haud crediderim, *novelle Hippocrates*: forsan adhuc aures tibi tinniunt ab hac, quam supra invictus sustinuisti, exegefi? *Susurrones hic audio, quòd cum plumbo soluto, vegetabilium alcalia volatilia, demonstrare contendo, pag. 136. lin. antepenultim.* Falleris, *Tackeni*, non susurrones, sed toto splene ridentem, & totam in cachinnos effusam Scholam audis Medicorum. Cur? primò, quòd, ut ipse ais, cum plumbo soluto, per alcalia, in alcalibus, & ex alcalibus, purgantium vires, universam Chymiam, & ipsam naturam, deinceps alcali ex alcalibus dicendam, tractare, ac mentiri, ridiculè attentes. Quid hæc ad scopum & connexionem? Secundò, rident pulchram & aptam solutionem objectionis hujus, quam attuli, *pag. 137. quæ talis, in margine: solutio: ais: in paragrapho illo sequitur tandem: Quantum luminis Hippocratica hæc doctrina addit medico (plus quàm sol Heracliti!) tam in componendis medicamentis, ne unum alteri obsit (imò simplicium virtus miro modo hac scientiâ exaltari potest) quam etiam in morbis sanandis.* Quid tempore, Baccho sacro, festivius afferri posset? Quis ordo? quæ connexio, ad propositam objectionem? Quantum tenebrarum, quantum dedecoris & macularum, tua doctrina, nihil minùs, quàm Hippocratica, attulit? Ridemus ulteriùs, quòd de urtica, canitiem retardante, tam ambigua & falsa affers. Ridemus, quòd Salomonem tua alcalia tractasse somnias & insanis, dum *pag. 138. scribis: Hujusmodi, existimo, fuere absconsa virtutes radicum, de quibus Salomon, &c. & infra: non enim credibile est, quòd verba funderet, de primis qualitatibus, & gradibus elementalibus, quas lingua metiri promittunt nostri Botanici.* Sed, sine dubio, de alcalibus *Tackenij*. Ecce! plus homo hic, quàm Salomon, in omni gloria sua. Ridemus, *Tackeni*, quòd, *pag. 139. cum Arnoldo, hoc dogma amplexeris, dum, ubi in promptu habentur simplicia, inquit: dolum esse, si quis compositis utatur: cum tamen svadeat hoc totum opusculum tuum; illud maxime capitulum 14. pag. 81. Calculum resolvit & componit pro majore lumine: sc. antiqua & apta diruere, dissolvere, nova arcana, inaudita, componere, cudere, & ineptissima substituere.* Fateor; dolum est, si cui sint ad manum simplicia, uti compositis, & imposturis *novi Hippocratis*. Ridemus, quòd *compositum pulverem inveneris, qui chinelle vires, si non superat, saltem ei æquivalet in quartana, pag. 139 lin. 24.* Quis est ille Pulvis? Quid? Ventus, sonus, mendacium: nec verbum de hoc allegas ampliùs. Sic etiam Ego, ut tu, *Tackeni*, habeo Lapidem Philosophorum; sic universalem Panaceam possideo; sic Orbem instruere possem; sic fraude quisque potest *novus* inaugurari *Philosophus & Hippocrates*, pollicitis dives. Sanè, frater, de fera comedisti, ut Plutarch. ait. Et putabas: in magnis & voluisse, sat esse. Rideremus denique & sine fine, nisi hoc Capitulum ad terminum & finem jam pervenisset, tot scatens nugis & facetiis. Nunc ordine sequitur



## CAPUT XX.

quod inscribitur

*Spiritualis plantarum representatio.*

(a) Cap. 23.



**E**X dictis & ostensis emergit fundamentum. (magnum & decumanum mendacium) quo procedere debeat plantarum spiritualis regeneratio, de qua Quercetanus (a) in libello contra Anonymum, quam se vidisse ait, apud medicam quendam Cracouensem, qui adeo eleganter cineres, cujusvis planta, apparare norat, eamque spiritus, omnium facultatum autores exactissime conservare, quarum supra triginta, vasculis diversis vitreis hermetico sigillo obsignatis habebat, ut: si quis rogaret, sibi rosam, aut calendulam demonstrari: tunc cinerem illius cum vasculo, cujus speciem esset editurus, vasculo rosæ titulo insignito, vasis fundum, lucernæ admouit, ut aliquantulum intepesceret, tunc tenuissimus, ac impalpabilis ille cinis, ex se, apertam rosæ speciem emittebat, quam sensim crescere, vegetari, ac formam penitus totius rosæ floride, umbram ac figuram exprimere videbat. Hac autem umbratilis figura, vase ab igne remoto, rursus in suos cineres relabebatur: Hoc arcanum summo studio perquisivi nunquam tamen assequi potui. Hac ille.

vulnus erat  
mat per igne  
Hippocrati-  
cis per a-  
quam.

Hippocratico philosopho, hæc plantarum spiritualis resuscitatio non usq. adeo difficilis videtur, præsertim quando non violento, sed molli igne procedit, naturam imitando, ut docet Magister. Modum excogitavi quem tamen hætenus experientia, nondum confirmare, propter hujus loci, pro hoc studio, incommoditatem potui, hanc curiosi hic apponam.

b. Spiritum  
esse vincula  
conjugens,  
animam  
eum corpore  
alib. ostendi.  
Naturam in  
omni rei si-  
milem dous-  
rât, Hermes,  
pitagorus &  
postea Hip-  
pocr.

Ostendi ex Hippocrate ad ocalum ACIDUM & ALCALI architectonica natura instrumenta, omnibus sublimaribus inesse: hæc cum artifici non subjacent, sed solius naturæ regimini; tunc istud subiectum crescit & vegetat, ut testatur abjectissimus silex, de quo suo loco dixi. Si itaq. crescit & vegetat necesse est, ut acidum & alcali habeat quoddam (b) quod operationes, ad suos fines dirigat, RECTOREM voco eum corpore alibi, hanc, voca tu ut lubet, modo rem percipiamus, propter verba enim nemini lib. ostendi. tem movebo. Hostres, Hermes antiquissimus philosophus vocavit corpus, spiritum & animam, adeoq. tria hæc latent in terreno illo domicilio, quod figuram seminis nobis representat.

a. Vascula  
fuerunt in-  
quit Quer-  
cet.  
a. Cum Cos-  
mopolita.  
b. Quæ ut  
opinor non  
rotunda esse  
debet.  
c. in Magia  
naturali.

Hujus seminis, ex: gr. papaveris, flore pleno, colligatur libra semis, Cælo sereno, quod temperato loco, conservari debet in futurum ver: tunc vesperti observanda, Cæliclaritas, quæ promittit, serenam noctem, in qua, semen exponendum est larga vitrea, elato ore tabula, ne decidere possit, & locanda in pratum, aut sortum, variarum florum & herbarum feracem (nisi enim terra fuerit fertilis, sterilem colles rorem) manè antè solis ortum, rore madidum semen, curiosè de tabula vitrea, demere, & in phiolam, huic rei aptam (x) osculo cera bene obsignato, servare debes, ne ros expires (qui adeo lers est à spiritibus (quos occultè acidos & volatiles, sequenti capite, imo occultum vitæ cibum (u) ostendam) quibus in aëre impregnatus, ut cum inclusus in oui testa fuerit, & appositus hasta (b) oblique posita, tunc onum, a solis calore, elenatur, ad summitatem hasta, ut docet Hildebrandus (c) sed à semine absorbeatur. Deinderursus, serena nocte, tabulam cum seminibus, sereno exponere debes, in dictum pratum ut rorem hauriat, quem iterum ante solis ortum, in phiolam dictam, obsignabis ne fugiat, sic semina, paulatim, à rore hausto turgere incipient, acidum & alcali à rore & superum influxu, vires acquirunt, quæ Rector dirigere incipiet, sic expositio, & repositio, tam diu repetantur, donec germinationis & vitalitatis signa edant.

Interim

Interim dum hæc fiunt, oportet in eodem prato, cum mundis linteis, ligneis baculis ex pansis, rorem colligere, hunc in vase vitreo, optimè clauso custodire, qui dum quiescit, deponit suas feces (a pulvisculo per aëra volitante) hujus puri roris, tantum superfunde seminibus ut digitum transversum, plus minus ferè superemineat, & sic colloca in balneum vaporosum (Raimundus enim docet (a) illud quod facit natura, Solis & stellarum calore, hoc idem facit, per calorem ignis, dum taliter temperetur, ut non superet virtutem motiuam & informatiuam, quæ est in materia influxa de super) clauso in phiole osculo, cum liquato sulphure: acidum & alcali, in humido & calido, tunc in inuicem agere incipiunt, liberabunturq; à terreo seminis corpore, quo inclusi, & dierum curriculo, hæc naturalis compositio, in summitate viridescet, sicut aqua stagnantes, per æstatis calorem ambientem, & in umbra latentes, contingit; sub viridi ista pelle perficitur tunc facultatum unio, quas volatiles, unà cum rectore ab acido inseparabilis (per se mori nesciens b) ostendi, quam unionem, consermentationem appellare licet.

a. In Testamento c. 24.

b. Ut docet Hipp. lib. 1. de dietn.

Domicilium vel seminis corpus mortua substantia erit, quæ viriditatem, id est fermentationis bullas, cum liquore superfluo, in se dierum cursu absorbet, ut vidimus in stagnis, viride efflorescentibus, vertiturq; paulatim, in pulverem subtilissimum cineri similem, quando maturitatem acquisiuit.

Hoc vasculum, cum intepuerit, ut vidit Quercetanus sine dubio roris leuitas, consermentata cum rectore & facultatibus seminum, eleuabit papaueris iconem.

Vasis osculum, si vitrò colligatum fuerit, nunquam perituum existimo: ut et quod practica, de verbo ad verbum, speculationem non sequatur, ob id requiro solertem & ingeniosum experimentatorem. Hactenus ut dixi, mihi periculum faciendi locus commodus Venetiis non est, neq; erit, propter defectum fecundi & puri roris, qui turbatur ab hali nitro (a) indefinenter hic spirante, ut muri omnium adium testantur, cui & ipsi rores, quatenus etiam subtilis exhalatio, ut Aristoteles docet (a) & propria experientia confirmat, commiscetur, mixtique recadunt.

Hali nitrum fit ab exhalatione putrida urina, & variis commixtis, sibi amplius.

Hujusmodi umbratilis rerum regeneratio à Paracelso, in naturali Hippocratica doctrina illuminato, sub Homunculi generatione occulta fuit, quem quidam medicinae satrapæ, hujus doctrinae ignari secundum literam intellexerunt (b) atq; virum ut impium in exilium proscripserunt.

a. lib. 1. meteororum.

b. Sennertius de consensu & dissensu c. 4.

Addo: quod in vniuersi philosophantium schola etiam cum magno labore, nihil reperitur, quod mysterium resurrectionis, clariùs nobis ad oculum demonstrare posset, quam hæc naturæ propria instrumenta, ab Hippocratico, a quisquiliis mundata, rursusq; reconjuncta, reunita & regenerata. Si mysterium hujusmodi esset per naturalia demonstrabile.

Scimus, mi Tackeni, innumera posse artē, ad naturæ æmulationem, motu quodam plastico, naturæ consimili, reproducere: posse artem in simulachris, ac rerum Idæis, ludere. Nam & ars, naturæ simia: quanquam & hoc nequeat, quin naturam habeat assistricem: Scimus, mi Tackeni, etiam obmutescere tuâ Svadâ, in cinere falem, in fale, tanquam in gremio cujuscunque entis, aut vegetabilis, semina, quin & plasticam virtutem, latitare; & arte eandem plasticam vim, in fale, posse suscitari, ut, ex pergefacta, appetitu, & motu, quo fertur, & iussa est à Patre luminum, illam producat Idæam, & simulachrum, ad quam semen naturaliter destinatum est; sive flos sit; sive germen; seu tertium quid. Et hæc velut nova, occulta, inaudita, nobis obtrudis? Quomodo dicebat Erasmus? Asinus mysteria portat. Dixit; nisi me fallit memoria. Legistiné Joh. Baptist. Portam, lib. de magiâ Natural. Agricola, Kentmannum, Gesnerum, Bockium, Bauhinum &c. & nihil inde mutuatus es? Legistiné hoc novum miraculum tuum, quod, anno 1608. accidit, uti narrat Jeremias Cornarius, Archiater Brandeburgicus, Culmbacii, quomodo nimirum, cum ipse tum, mense Junio, aquam quandam destillari curasset, camq;



in vitro, quali solent aquæ destillatæ, asservasset: mense Novembri in vitri ejus fundo, plantula ejusdem aquæ viridis & efflorescens excreverit, omnium hilari & amœnissimo conspectu: quæ diu asservabatur. Lege Libavium, *Synag. Arcan. Chymic. lib. 1. cap. 22. pag. 48. titulo: Appendix.* Hæc ille fusiùs narrabit. Quam nova ergo iterum doces? Legistine magnum P. Kircherum, Societatis Scriptorem, qui, anno 1664. Mundum subterraneum imprimi curavit, ubi, *lib. 12. sect. 4. de arte destillatoria*, ostendit, quòd super lixiviorum, in hyeme glaciatorum, planum, & superficiem glaciæ, sint ipsarum plantarum Idææ & characteres? hoc est, quòd oriantur ab alcalibustuis? Item, quòd anno 1657. Romæ plantam rarissimam, ex cineribus suscitata, in phiala Hermetice clausa, jam decennio asservatam, Regina Sveciæ Serenissimæ, Christina, spectandam dederit? Et tamen: Venite, videte, *hæc adeste veritatis amatores: vos admiranda & jucunda vestris oculis aspicietis, & manibus tractabitis quæ absconsa & occulta à sensibus & cognitione hætenus steterunt: pag. 7.* Adeste igitur, Auditores veritatem amantes, & palpare manibus furtiva spolia Tackenii! An negare potes, quòd tu Schema illud, & paradigma, de resuscitatione papaveris, flore pleno, *pag. 142. cujus initium: Hujus seminis, ex: gr. papaveris, flore pleno, colligatur libra semis, cælo sereno, quod temperato loco, conservari debet in futurum ver: &c.* (sicut superius totus textus conspicitur) quòd, inquam, hoc exemplum, & theoriam, suffuratus sis, ferè de verbo ad verbum (nisi quòd quædam verba clara omiseris, & obscuriùs dederis) ex dicto R. P. Athanasio Kircherò, *Tom. 2. lib. 12. sect. 4. de arte destillatoria, pag. 414. in fol.* Clarè id apparet ex textu, quem hîc etiam, de verbo ad verbum, fideliter adscribo:

παλιγγενεσία:

Seu regeneratio Plantarum ex cujuscunq; Plantæ semine

#### PROCESSUS.

**A**ccipe seminis plantæ cujusvis maturrimi, tempore & cælo serenæ lib. 4. quæ in mortario contusa phiala munda, quam optimè clausæ, impones, & ne vel minimum expiret, caveto, asservata quoq; phiala in loco munito. Hoc peracto observabis tempus vespertinum cæli serenissimi, ut sequenti nocte rorem decidentem colligas.

Phialam reseruatam aperi, semen contusum comminutumq; exime & super tabulam vitream extende; hanc verò tabulam cum semine in horto aliquo aut prato sub dio libero expositam relinque, & ne aliquid roris abundantioris è tabula defluendo pereat, tabulam unâ cum semine in patina latiuscula collocabis, sic fiet ut ros copiose supra semen decedens, ipsi commodius naturam suam nocturnis hisce macerationibus conferat.

Eodem tempore ad rorem commodius excipiendum quatuor palis affixum linteamen subtile & purissimum extendatur, quod madore nocturno imbutum, deinde in vitrum mundissimum ad octo circiter mensuras exprimat.

Porro semen imbutum rore nocturno iterum phialæ suæ inclusum, ne quid inde expiret, aut calore Solis extrahatur ante Solis ortum pristino loco reponatur. Ros ex linteamine expressus sepius percoletur, colatus aliquoties distilletur, donec omnibus facibus & terrestri immunditie immunis evadat: facies verò relictas calcinabis, & salem dabunt pulchrum visu, qui mox in rore distillato dissolvatur.

Ros hoc sale imbutus semini in phiala asservato altitudinis trium digitorum affundatur, deinde phiala hermetice cum vitro contuso & borace signata in loco calido & humido asservetur, aut etiam sub simo equino, menstruo spatio condatur; deinde exemptam phialam considera, & semen ad instar gelatinæ transmutatum, spiritum cuticulæ

in pag.

instar videbis variis coloribus variegata supernatantem, & intra cuticulam & reram limosam, rorem de natura seminis existentem instar seminis viridis.

Phialam hanc ita sigillatam per totam astatem suspende in loco, Solis inter diu, noctu Luna, reliquorumq; siderum radiis pervio, caelo vero turbato aut pluvioso, in loco sicco & calido reserva, donec pulsus nubibus serenitas demum affulserit, cui demum eam expones.

Accidit nonnunquam, ut opus hoc, mensibus fere duobus, aut citius, aliquando post annum, juxta temporum constitutionem absolvatur.

Ceterum signa perfectionis operis haec sunt: limosa materia in fundo in altum contumescit, spiritus & cuticula indies decrescunt, totaq; materia demum inspissatur, in vitro vero à reflexione Solis subtiles nascuntur exhalationes, & veluti nebula plantae excrecentis veluti prima quaedam rudimenta, sed debilis adhuc & sine calore, & ad formam solum telae araneorum ascendente nunc, modo descendente pro radii solaris phialam ferientis efficacia.

Tandem ex tota illa in fundo subsistente materia spirituosacina fit, albo ceruleus, & tum successu temporis caulis, herba, & flores producuntur in forma & specie seminis, quae species praesente calore comparet, eodem absente evanescens in chaos suum revertitur; sed quoties ignem applicaveris, toties calore suscitante materiam plantae formam exhibebit, durabitq; hac ratione, si vas bene obturatum fuerit perpetuo.

Vides, Tackeni, quod vera dixerim in praegressis? Cuculus es; peregrina excludis ova: Vespa, quae alieno pascere melle: Cicada strepera, industriores apes, & formicas (ad quos te Sapiens ablegat) exhibilans. Sicut Methodicos, & Classicos Autores, Viros in Arte exercitatos, Pædagogos tuos, turpi sarcasmo Canonicos vocas; Botanicos cavillas, in praegressis & sequentibus schedulis tuis: & non vides iterum manticae quod à tergo tibi in longum prominet? Non vides, quod tota tua doctrina sit molimen, conatus, & opus instar telae araneorum, quam Nausicca etiam, ad flumen lotrix, sibilo & scopis dissolvere potest? Vides, quod opusculum tuum (praeter logismos, sophismata, amphibologias, sarcasmos, scommata, & vitia Grammatico-Syntactica, quae soli & uni tuae debentur industriae) sint pura & mera furta ex Authoribus haecenus citatis? Iterum tibi, nove Hippocrates, non Bartolum & Baldum cito: an aqua sis Penâ dignus, post tot furta & rhapsodias. Vide Echo ad Vindicias.

Postquam igitur ostendimus, quàm non sit difficilis Hippocratico Philosopho haec plantarum resuscitatio, pag. 141. lin. 8. quàm non arduum, prostratâ arbore, ligna colligere, & alienâ bursâ creditores placare, nec non alienis inventis niti: transeo ad

## CAPUT XXI.

quod inscribitur:

*Dicta in summam contrahit.*

**E** Orfan aptius dixisset: Summam calumniarum. Textus, pag. 147. lin. 3. talis est. Alkali, & acidum volatile, in vegetabilium familia, concremantur per ignem, in sal fixum, vel in plane alcalizatum. Modum quidem verbis magnificis, promittit Reformatore in mantissa Hermetica (a) a. fol. 788, nullibi tamen reperibilis, interim vituperat salia, quorum cineres cum sulphure combusti, reprehenditq; Hartmannum (b) ut pessimum scriptorem, nil quae ineptius b. in append. doceri, inquit: quam salia alcalia acidis miscere (quasi ipse non docuisset Alkali viperinum, cum acido spiritu salis miscere; ut etiam spiritum vitrioli, cum sale absinthii alcalizato, sub titulo spiritus Vitrioli coagulatus, (c) & rursus in appendi- c. mantissa ce fol. 100, summis laudibus rursus extollit huiusmodi mixta salia) & paulo post fol. 788.



iterum admittit cineres cum sulphure calcinari, sub incertitudine domini, quid eligendum.

*Aër volatilis.* Sciendum est, nullum uegetabile habere fixum sal, cuiuscumq; sit generis, nisi comburatur actuali igne, ita, ut acidum, ustulando; in alcali, & vicissim alcali in acidum agere, & apprehendere queat, ut in vini succo & ejus tartaro ostendi. Testis mihi erit lignum putridum, licet hoc summo studio, in cineres redegeris, quocumq; igne, sal exinde non elicies, acidum enim & alcali, ambo volatilia, ab aëre sunt absumpta & nil nisi cadaver inutile reliquere: sin verò comburantur, antè putrefactionem, tunc habebis intentum.

*Fermentatio* Principale studium & labor, itaq; erit, in hoc opere, ut herba sint recentes & minime flaccide, tunc nimirum concremando; innata humiditas, cum bullit solvit acidum, & alcali, quæ soluta agunt in inuicem, unum apprehendit aliud, & ambo fixantur juxta concreti proprietatem: pars autem quæ aufugit cum flamma, & ab acido non arrepta fuit, in fuliginem abit; ex quâ; alcali volatile facili methodo elicies, nunquam autem sal fixum, ingenio tamen, ad constantiam reducitur.

*hac actio vocari meretur, transmutantur nimirum, ambo instrumenta natura, in unum artificiale; quod sicut in saponaria, & vitraria arte cum acido, suo contrario, in neutrum vertitur; sic etiam in humano corpore contingit; cum à prudenti ac Hippocratico medico adhibetur, vel administratur, suo contrario, eadem enim est operatio, ut docuit (a) Magister.*

*a. lib. 1. de diat.* Exemplum sit Absinthium, viride, istud viride, sub camino, vel loco aperto accenditur, flamma impedienda summo studio, satis erit, in cineres esse conuersum, qui post concrematione, in larga olla terrea, & humili vel super ferrea clata ora tabula vel lamina, accensis subtus carbonibus, fornaculo venti, ut portella, claudi & aperiri, pro necessitate queat spatula ferrea semper mouendo cineres donec optimè albescent, quos sacco lineo acuminato, vel si paucillu; carta acuminata impone, & aquam communè perfunde, quæ cum transcurrit sale prægnans, lixiuium vocatur; hoc percolatum lixiuium, in sartagine ferrea (non vincta in culina) celeri ebullitione coagula & constringe in massam, & quando instar mellis spissescit, assidue spatula moueto, & siccabitur in puluerè gryseum, quem statim olla non vitreata, fornaculo venti clauso ostiolo, impone, ac obrue carbonibus minutis, pulvere mixtis, sensim calefacito, vix ad prunitatem, non autem ut fundat; refrigerato; projice sal, in vitreum vas, ut sufficienti aqua dissolvatur (a) move cum baculo ligneo aliquoties; tunc solum quiescere permittit, duas vel tres dies, clarum à facibus, sine magna agitatione effunde, & in plumbeo vel vitreo vase, in arenam posito, aquam exhalare, sine bullis permittes, donec salina cuticula supercrescat, tunc remoueto vasculum, & sequenti mane collige splendentia grana salis, quæ aqua limpida celeri motu abluenda, & exsiccanda sunt. Remanens lixiuium iterum arene impone, ut aqua exhalet, ut pridem, ad cuticulam. Ambo hæc salia, conjunctim, in vno vasculo sunt asseruanda, quæ hoc modo parata, referunt sui concreti crasin.

*a. satis unita aqua libra sic optimè deponit.*

Reliquum lixiuium, urinae saporis, & fatulenti odoris pro vitris abluendis relinquendum. Hæc est facilis & naturalis ratio, parandi uegetabilium salia, quæ nunquam liquecunt per se, neq; ingrati sunt saporis. Libra hujus cineris, fundet ferè uncias quatuor salis purissimi, sed aridarum herbarum cineres lib: 4: vix dabunt salis vnciam.

*qua herba sunt alcalia? falsa vel acida, supra satis ostendi.* Alcalia sunt ex uegetabilibus eodem modo, quorum tamen quadam facile in li- quorem vertuntur vacua enim sunt, ob id ex aëre quarunt exsatiari: ut supra in oc- culto aëris acido indigitavi, quod sufficit.

*a. mantissa 789.* Reformator, cineres coquendos, & lixiuium inspissari ad siccitatem, & postea fusionis igni, sine discretionem, committendum docet (a). Sic loco salis uegetabilis, semper inane & causticum alcali euadit: sal enim absinthij, fundamentali suo puncto est ex acido salis, & non planè fixus, ut ostendi, sin verò fusionem patitur, tunc agunt in inuicem, ambo saporis, & in alcali fixantur, sicut omnibus acidis arte paratis salibus con- tingit.

tingit. Igitur ex solo ignis (b) regimine alterantur res, mutant nomen, virtutem & efficaciam. Hac est causa quod vires salium nunquam sunt aequales ab ignaro preparati, quando nimirum alcalizantur, laudantur ab imperito (ex: gratia sal absinthii) in colica profuisse (qua tunc ex acido erat; quod combiberat) cum vero ex acido falsus, & adhuc volatilis a perito preparatur stomacho & in antiqua oppilatione prodit: & tunc est basis, in cachectico pulvere (a) Quercetani. Causam humoribus noxiis adscribunt.

b. ignis praefossus publicus.

a. pulvis cachecticus.

Sic multa sunt fixa, si debito calore, & juxta subjecti perpeffionem, & suis requisitis tractentur, quae alias erant volatilia, alium nimirum calorem, & instrumenta requirit sanguinis fixatio, aliud ingenium quando nitrum & arsenicum fixantur, aliud quando totum nitrum solo adore in terram vertitur, aliud vas & ignem quando Mercurius per se quodammodo fixitatem induit, alia requisita, quando antimonium & sulphur fixantur, sic etiam alia operatio est salium, quae omnia sunt volatilia, ut in ligno putrido ostendi.

omnia ipsa sunt per Diavina necessitatem Hip: lib. 2. de diata.

Hac est ratio, quare ligna, ex quibus componunt naues bellicas Veneti, sapientissimi, & prudentissimi patres, aquis submergere, in ornatissimo, ac instructissimo Armamento jubeant recentia, per multos annos, ne scilicet aer illa penetret, suntque sub aquis tam fixa, ut saxa emulentur.

Veneti ingratissimi.

Sin vero in aere flaccescere incipiant, priusquam submergantur, debent modeste adurari, ut acidum & alcali in invicem liquentur, & quasi incrustentur, sic per secula non corrumpuntur, neque putrescunt. Sic incrustantur pali, qui in terram defiguntur, profundamentis, magnorum adificiorum, ne marcescant.

Hortulani in hisce insulis, in cineres reducant herbas in aere arefactas, & vendunt cineres pharmacopaeis sub bona fide, hi, cum parum, aut nihil salis exinde eliciunt, & ob id, horticulatores reprehendunt nullius valoris fuisse: respondent quod transportando cineres, aqua marina sal abstulerit: facile id credunt plurimi, aliam causam ignorantes.

Cum vero in cineres reducuntur vegetabilia recentia, ut fit in Lituania, Scandia, & Muscouia pro cineribus clauellatis; tunc in igneae bullitione acidum & alcali se invicem apprehendunt (a) colliquantur & fixantur. Cum vero urgeantur, igne liquefactiuo, ut docet reformator, tunc naturam mutant, & in alcali vitrificans vertuntur, ut Zoar notavit (b) quod tamen priusquam per ignem transferunt, concretis nec insuit, ut neque fixum: quod rursus per inversionem, non solum induit volatilitatem, sed etiam in elementa reducitur, ut de alcali tartari ostendi.

a. in hunc sensum ait Basilius de sale armoniaco Wann mit die flugel brechen ab und wo es den bereit zum Wasser baad a Super exodum.

Sin vero alcalia cum propriis oleis distillatis, iuxta proportionem debito requisitis tempore, artificiosa occultaque circulatione, idoneo vase, coquantur, dant ens mirabile. Sic oleum Cinnamomi, absortum proprio alcali (vestibus sit spoliatum) efficit in paralysi similibusque morbis quantum de illo speratur. Oleum tartari, volatile & pingue, cum proprio alcali iuxta proportionem, fit sapo.

Oleum fit sal a domo ingratum non recedit malum.

Hoc exemplum de Tartaro cum olim monoculus quidam, oretenus per modum informationis, a me audiuisset, statim coxit alcali viperinum, cum oleo tartari, diuersa natura, rustico more, imo minore cum obseruatione, quod coctione in phiola, longi colli cum alcali saponis consistentiam acquisiuit: hic tamen, amicam informationem, mihi vitio vertit, in admodum longa epistola, scribens: Oleum tartari quod affundere iussisti, piceam omnino naturam induit, ea que est spissitudine, dum refrigit ut scindi possit, ita animaduerto, me penitus deceptum esse: verum quidem est, me saepius ex ore domini: (a) vestra audiuisset, quod huius salis preparatio ingens lumen in chymia praebeat, &c. Magnus hic physycunculus tantum in ignauo cerebello, non habuit salis, licet de eo scriballans, ut huius inspissationis, necessariam causam perquisiuisset, sed statim illud quod ignorat, fucum, & imposturam esse scribit (b) Quemadmodum autem animaduertit, huius inspissationis causam, vulgo & saponem conficientibus notissimum, sic etiam animaduertit quae reformat.

a. qui amant esse rustici sunt, mirum in modum venusti euadunt. b. fol. 487.



Summarium edidit, & epithomen calumniarum, *Tackenius*, dum, juxta promissa Tituli præfixi, in summam contrahit mendacia, conspicuus literato orbi *Physicuncus*, & *Doctorem virorum Simia*. Ait primo; quòd Reformatior pollicitus sit modum apparandi salia alcalia, de quo tamen nihil scriptum reperiatur. Verùm quàm præmeditatum hoc sit figmentum, is diluet & reperiet, cui nostræ innotuere Animadv. in Pharm. Augustan. pag. 451. edit. Norica, & 788. edit. Belg. Item Append. ad Animadvers. pag. 73. edit. Noric. & 101. edit. Belg. quibus in textibus manifesti mendacii hic Rabula convincitur, dum salium lixivialium (quorum præparatio communis est) & alcalium apparatus tam tersè & graphicè descripsi, annexis in super requisitis prænotionibus, ut ad Solem cæcutiat, vel Tiro sit, cui hæc tam perspicua doctrina dubium aut caliginem non ademerit. Quòd si autem differentiam spectemus, quâ jam dicta Reformatioris methodus, à speciosâ & fucatâ, parandi salia lixivialia, doctrinâ novati Hippocratis discrepat; alia non est, quam hæc, quam suggeram. Præcipit *Tackenius* (ineptè sanè!) recentes herbas lentè incinerare, ac saltem alcali è cineribus in fornacula venti ad albedinem calcinatis (dicamus, pessundatis) elixiviatum, ac in massam, ritu omnibus decantato, decoquendo coagulatum, in crucibulo non planè fundere, sed iterum in fornacula venti ad prunum & obscuriorem colorem candefacere. His verbis mysticam Philosophiam, & arcana arcanorum *Tackeny*, tibi, A.L. communicavi. Quàm autem ridiculus hic sit discurrendi, quin Sophisticandi potiùs, mos hujus *Physicunci*, sequentes te erudient Annotationes:

Advertendum primò: Herbarum & Vegetabilium maximam esse differentiam in crasi & dispositione, ob quam multum à se diffident, ac à natura disparata sunt. Quædam enim herbæ aridiores & siccæ; aliæ, è contrario, multum humidæ & succosæ. Aridiores naturâ herbas, recentes tamen, per se, & immediatè, incinerare velle, nisi succenso priùs, è lignis, aut aliis conflagrationi aptis rebus, igne; irritum & nugax tentamen est. Nam pro combustibilibus siccitas prævia requiritur, tanquam dispositio, ac conditio sine quâ non: adeò quidem, ut, si vegetabilia in umbrâ, consveto modo, arefacta non sunt; ignis ea in alimentum suum, ac postliminiò cineres, & favillam, non redigat, quin violenter priùs exsiccet, ac sic disponat, ut conflagrent. Nam siccitas ignis & caloris lima; juxta Philosophum. Nunc, ad casum *Tackeny*, quid magis obest: lenis & moderata, quin omnibus usitata vegetabilium, in umbrâ, desiccatio Reformatioris; an violenta, ignis & flammæ potentiâ *Tackeny*? Novum quid Scholis nostris novus attulit Hippocrates, dum phasma suum hoc novum, & recens somniatam herbarum incinerationem, ostentationis pruritu aperuit; quasi verò vel Tironibus ac Discipulis hæc pridem cognita non fuissent! Sed procedamus ad Vegetabilia succo turgida: sit pro exemplo Fumaria quæpiam, aut Endivia, Acetosa, Sempervivum, &c. Quæro, *Tackeni*, quâ ratione exusturus es ejusmodi Vegetabilia, nisi priùs lentè in umbra, vel in igne violenter, per desiccationem disposueris, ut deinde conflagrent: nisi forsan, novus Doctor, defendas, ipsam Aquam, & humiditatem elementarem, exuri posse & incinerari? Sed indulgeamus aliquid nugacibus somniistuis: dato; non concessio: succedat dicta herbarum recentium exustio: quid inde emolumenti obtinebimus? Majorem copiam alcali seu salis lixivialis, uti asseris. Sed quare? Quoniam, ut ais, sal seu alcali earum in exsiccatione leni exspirat; prout videtur in ligno putrido, quod nihil præbet salis: Ita Philosopharis, magne *Tackeni*? Miramur tuam sapientiam. Si verò in leni exsiccatione plantarum alcali earum exhalat; servabiturnè illud in violentâ exustione, quando recentes igni aperto & violento statim committuntur? Annon in resolutione vegetabilium violentâ, putâ combustionem, in qua primigenius eorum humor violenter expellitur, mox alcali eorum, unâ cum suo connato humore, tanquam vehiculo apto, promptiùs exspirat, & à dicto

dicto humido secum in auras rapitur, quàm in leni illorum exsiccatione: quàm salis seu alcali copia inhærens augeri potius, quàm diminui posset? Dispar longè ratio est, de putridis lignis; & herbis leniter siccandis. In putrefactione naturaliter totum resolvitur compositum, in eaq; fixa cum volatilibus volatilifantur, & in suum chaos transeunt (nisi arte conserventur Philosophicâ) naturali quadam necessitate & providentiâ, antequam arte violenta facta fuerit separatio partis volatilioris à fixiori. Indicet proinde æqvus Artista Chymicus aut Philosophus, qui ignem, ejusq; gradus, novit, rerumq; naturalium, ac laborum Chymicorum, cognitionem habet; annon consultius sit, plantas, seu vegetabilia, leniter prius in umbra exsiccare, antequàm actuali igni, & lucidiori flammæ, committantur, pro incineratione; quàm illa recèter mox exurere? Et quocunq; demùm modo comburantur, in cineres veros nihilominus redigi debent, & quidem in aprico: neq; enim in clauso vase, ut neq; in ollâ operta, vegetabilia in cineres vertuntur, fortissimâ licet, & diuturnâ calcinatione. Dicat præterea, & ferat judiciû, æqvus Artista: si in prima herbarû, aut plantarû, conflagratione lentâ, in cineres tamen veros, quidquam volatile aut acidum (uti ignoranter asserit: nam nullum acidum in igne violento constans est) remanisset; an non illud, ipsum volatile, aut acidum, sequenti denuò calcinatione violentâ, *in fornacula ventis, donec cineres optimè albescant* (uti ridiculè iterû præcipit: quasi verò magna Artis prærogativa, aut totius Chymicæ honos, hoc uno volveretur cardine: cineres nimirum in fornacula venti studiosè calcinare) totum exhalaret, & auras peteret? An non violentâ illâ, & prolixiori calcinatione cinerû, sal seu alcali inhærens magis fixaretur, exureretur, & alcalizaretur; uti loquitur: ac omnis acidus spiritus, si quis cineribus inesset, fugaretur, quàm si inspissatus sal in crucibulo paulisper liquetur? Quæ quidem fusio salium neutiquam Reformatoris commentum & inventio, sed Viris artem professis jam pridem decantata & usualis, quotiescunq; salia conficere animus est. Ignorat Hippocraticus Physicaster (parce verbo: tuis te compello terminis) quòd è salibus quibusq; fixis, facili operâ, & efficacius, expellantur insiti spiritus eorum, si ve acidi, si ve falsi, si ve demum acido-falsi, succedentibus omnibus virtutibus eorum & energiâ, juxta crasin & constitutionem salium; si eis terra quæpiam, bolus, aut consimile quid, quod liquatione eorum in igne morari & præpedire potis est, admisceatur. Talia verò liquata in igne per se, ac sine additione, diu in igne integris viribus perdurant, ac non nihil ignipotentiora, & acria magis evadunt: soluta demùm aquâ aliquâ simplici, in pristinû esse remigrant, & benigniora redduntur, deposita notabili & superfluâ acrimoniâ: quæ metamorphosis quotidie in Nitro demonstrari potest. Quid aliud contingit in speciosâ Hippocraticâ hâc calcinatione cinerum, violentâ quidem & diuturnâ, in fornacula venti, donec cineres, ut ait, albescant: ubi terra illa mortua, ex quâ cineres, pro maximâ sui parte (plus quadrupla, vel sextupla) respectu salis alcali vel lixivialis, qui cineribus inest, constant, se habet per modum admixtæ cuiusdam terræ, boli, aut alterius rei, quâ salium fusio impediatur; quàm quòd alcalia, seu sales, suo acido, si quod haberent, imò omni suâ virtute & efficaciâ, penitus priventur, aut multò magis etiam alcalizentur, quàm si decies in crucibulo per se, igne aperto, liquentur? Sunt itaq; nugæ Hippocraticæ, phasmata Tackeniana, hæ noviter excogitatæ (Reformatoris causa) salium lixivialium præparationes, quas Pharmacopœi rident, & quibus ipse Autor Hippocraticam suam ignorantiam, caninam invidiam, & animum calumniandi ac contradicendi avidum, palam denuo facit. Quotiescunq; enim in Reformatorem invehitur, propriam semper ignorantiam prodit: quod vel hîc maximè pater. Ait porro, in hoc textu, noſter Physicaster, p. 147. lin. 11. *Reformatorem vituperare salia, quorum cineres cum sulphure combusti sint, & reprehendere Hartmannum ut pessimum scriptorem, &c.* Prius verum est, quòd Reformatore rejecerit alcalia, seu sales lixiviales, quorû cineres cum largâ, & quidem duplâ, quantitate

(adver-



(advertat *Physicuncus*, largâ, & duplâ, quantitate sulphuris; neque toties falsarius sit, precor, falsificando textûs) sulphuris admixti, combusti sint. Et hanc sulphuris copiam cineribus admiscendam adhuc vitupero, reprobo, maxime nocuam & destructoriâ proclamo; nec abs re; ut neque iniquè cavillando Authores. Rationes verò sufficientes allatæ sunt in *Animadv. m. pag. 451. & Append. pag. 73.* quas callidus Autor & *Physicaster* subtracet; quoniam ipsum convincunt, & iniquitatem ejus palam faciunt. Nimiſ longum foret, prædictos textûs ex *Animadv. & Append.* hîc adscribere; quos L.B. ibidem reperiet, & ipsam veritatem deprehendet.

Secundò: *Reformatorem reprehendiſſe Hartmannum, ut peſſimum Scriptorem*, ſeſquidale denuo mendacium eſt; cùm Hartmanni ne ſemel quidem, in meis textibus, fiat mentio. Sit tamen; præceperit Hartmannus, & quidem, ut Reformatore ſcripſit, perperam (perperam inquam: intelligiſne *Physicuncus*, tua verba? Hocne Adverbium tanta calumnia eſt?) prodigam planè & destructoriâ calcinationem, ſicut & tua, *Tackeni*, calcinatio cinerum, in fornacula venti, destructoria eſt: illa ne foret, in ſolius Hartmanni gratiam, detrimentum verò humani generis, & Poſteritatis riſum, contirenda & approbanda? Si legitima minusque eſt destructoria hæc dicta Hartmanni calcinatio: cur tu, *Tackeni*, illam in tantum non approbas, ut tuo adderes, peſſimo etiam, modo, calcinationi nimirum cinerum in fornaculâ venti, ad illorum albedinem? Sat tibi videtur Reformatore contrariari, & ut habeas, quod calumniſ & cavilles. Sed crede mihi, *Tackeni*, haud facile Reformatorem ementiâ & perfrictâ doctrinâ tuâ convinces; quin propriam inſcitiam magis magisque prodas.

Scribillas præterea; quòd Reformatore ipſe docuerit alcali viperinum cum acido ſpiritu ſalis miſcere; ut etiam ſpiritum Vitrioli cum ſale abſinthii alcalizato, ſub titulo ſpiritûs Vitrioli coagulati.

Prius dictum; nimirum, ſalem volatilem Viperinum cum ſpiritu ſalis acido uniſſe Reformatorem, verum eſt. Sed cur? Tibi ad amuſſim explicavi ſæpius, & ulterius dicam. Alterum verò attributum falſum eſt, ſolium Tibi commentum; quod patet evidentiffimè ex textibus D.D. Auguſtan. pag. 451. col. 2. & Reform. pag. 454. *Animadv.* qui planè contrarium evincunt: nimirum D. D. Auguſtanos coagulationem ſpiritûs Vitrioli cum ſale Abſinthii præcepiſſe; refragante autem reformatore. Ecce! quàm non pudeat te evidenter mentiri, litera ſcripta te convincit, quâ ultrò tibi injuriam accerſis. Docui autem ſalem Viperarum volatilem (non alcali Viperinum; quia non ineſt viperis alcali) cum ſpiritu ſalis acido legitime & dextrè unire, & non nihil à ſuâ volatilitate nimia coercere; ſicut ſuperius pluribus oſtenſum eſt, & inſuper probatum tuo ipſo calculo, quòd ſine deperditione virium, aut destructione ſalis Viperini, hoc fiat: Tu verò ſalem Tartari cum vulgari acetato deſtillato miſces & imprægnas, pro tanto ſecreto; ut ſuperius demonſtratum. Uter igitur noſtrum artificioſè magis, aut digniùs operatus eſt? Reformatorene, aut *Physicaster Hippocrates novus*? Eſtne idem, *Tackeni*; ſalem volatilem quendam graveolentis odoris, uſui Medico non nihil inhabilem, à volatilitate nimia coercere, odorem ejus ingratum ſupprimere, à primitiva tamen virtute non immutare nec deſtruere, ſed acido falſum tantum, magis penetrabilem, & ſalubriorem efficere: & ſalem alcali, ſeu lixiviale, è contra, uſui Medico per ſe aptiſſimum, à naturâ & virtute immutare, deſtruere, tantâ copiâ ſulphuris perperam obſuere, viribus ſuis, quibus per diaphoreſin operari debet, ita privare, ut longè alias & peregrinas ſortiatur virtutes, & alterius efficaciam ſit? Eſtne, inquam, idem; ſalem volatilem Viperinum acido ſalis ſpiritui ſalubri

& medicamento dextrè unire, illum acido-salsum, penetrantem & amabilem reddere, servatâ primâvâ salis naturâ & volatilitate, in quam iterum restitui potest; vel juxta tuam ipsius sententiam: & è contra alcali quoddam ex vegetabiliquæ forti insalubri (juxta Hartm. etiâ; quem defendis) summè venenatâ & corrosivâ, nostræ naturæ inimicissimæ, commiscere, à naturali sua indole, in quam restitui nequit, penitus immutare, & pessumdare? Quis non cernit inter viros doctos Medicos, & peritos Pharmacopœos, quòd prior, scilicet Reformatoris, artificiosa unio salis volatilis Viperini, cum spiritu salis, sit legitima, non destructoria; & efficiatur exinde medicamentum naturæ nostræ amicum & salutare: è contra verò ambæ duæ superiores salium alcalium illegitimæ correctiones, cum largissima copia sulphuris, & aquâ forti corrosiva, sint destructoriæ, insalubres, perperam institutæ, nobis & Posteritati nocuæ & probrosæ? Esto: Clarissimus Hartmannus hæc inter alia docuerit, & meâ quidem sententiâ, perperam; nequaquam tamen injurius fui in venerandum Senem; at cui à *Tackenio* requies ne quidem in tumulto superest, quin hâc ipsâ ridiculâ suâ defensione cum ludibrio exponat. Sed audi porrò, *Tackeni*, cur iterum falsè loqueris, & mentiris, quòd summis laudibus ejusmodi mixta salia alcalia, seu lixivialia, cum tantâ copiâ sulphuris reverberata, vel cum aquâ forti saturata, extollam in *Appendice*, pag. 73. edit. *Norica*, & pag. 100. *Belgica*? Ibi enim locutus sum de Tartaro Vitriolato, tanquam sale fixo acido-salfo, quem omnes doctissimi Medici approbant, ac pro salutari habent remedium; addidi nec non expressis verbis, quòd inter salia fixa acido-salsa, arte talia elaborata, unicus Tartarus Vitriolatus sese offerat, qui in usu sit, ac in Officinis parari consueverit. Item; quòd, quamvis omnia salia lixivialia simili modo vitriolari, & à naturali sua indole immutari possent, si eximè in iisdem taliter immutatis virtutes elucèscerent; ea tamen in usu non sint, nec alicujus momenti. Non intelligis igitur, *Tackeni*, particulam: si, si: cujus vigore illa reprobò, ac firmiter assevero, quòd à naturali sua indole taliter vitriolata alcalia penitus immurentur. Et posito: approbarem alcalia salia purè salsa, cum spiritu vitrioli nimirum enutrita, & acido-salsa facta, ad normam Tartari Vitriolati: non proinde admitterem, nec laudarem, ea, quæ à corrosiva aqua forti insalubri fuissent saturata & destructa; ut neque illa, quæ ex cineribus, cum tanta sulphuris copiâ calcinatis, sunt extracta. Turpiter igitur te traducis, *Tackeni*, dum toties falsarium agis; & textûs clari te convincunt. Non sufficiunt tamen hæc falsa attributa, uno hoc paragrapho in Reformatorem immeritò effusa; sed addis falsum falsis, quando ais, pag. 147. lin. antepenultimâ: *Et paulò post iterum admittit cineres cum sulphure calcinati*, (putarem, calcinatos) *sub incertitudine domina, quid eligendum*. Hoc quod astutissimum & falsum, ex *Animadversionibus m.* luculenter iterum patet; & convinceris. Nam ubi, pag. 452. edit. *Norica*, m. *Animadv.* reprobavi destructoriâ illam cinerum calcinationem cum tantâ Sulphuris copiâ, duplâ nimirum ejus quantitate, aut pondere, respectu cinerum; nec non summè nocuam aquæ fortis affusionem jam confectis salibus planè rejeci; addidi tandem, lin. 16. & seq. hæc formalia:

Sciendum igitur (ut mediâ procedamus viâ) quòd plurima salia, utpote Absinthii, Centaurii, &c. si bene parata sunt, ex cineribus ritè calcinatis, non tam facilè in frigore liquecant, nec difficulter in crystallos redigantur, etiamsi cineribus eorundem nulum sulphur addatur, ut adeò nec sulphure, nec aquâ forti, hîc



semper opus sit. Quod si verò nonnullis cineribus, ex quibus aliàs sales facilè liquabiles eliciuntur, sulphur admiscere volupe fuerit, non opus est æquali, multò minùs duplâ ejus portione, respectu cinerum, sed aliquali saltem particulâ, nimirum uncia semis, vel, ad summum, drachmis sex sulphuris, ad libram unam cinerum.

Hucusq; Animadvers. Ignoras adhuc, *Tackeni*, vel sub incertitudine domina hæres, quid eligendum? Nondum agnoscis mendacia tua, inique? Ignoras, inquam, ponderum rationes, quantum differat uncia semis, à libris duabus? Nescis, quod quadragesies octies, secundum pondus Medicinale; secundum pondus civile verò, ultra sexages? An Latio, & Latinitate, excidisti? Quod denuò illuc reprobârim tantopere repetitam hanc calcinationem Cinerum, tantâ copia sulphuris; additis rationibus, cur id actum? Et quod pauxillum adeò sulphuris, nimirum unciam semis tantum, pro integrâ librâ cinerum, & hoc quidem conditionaliter, admiserim, ad tollendam nempe quorundam alcalium liquabilitatem spontaneam in frigore: quæ particula autem sulphuris respectu integræ libræ cinerum necquicquâ obesse, aut ab indole suâ alcalia immutare potest? Revolvat L. B. citatas *Animadv.* de salibus; & majorem, de his omnibus, tum etiam de differentiis salium, eorumq; virtutibus, capiet informationem; & manifestè insuper ex illis perspiciet, quàm iniquè *Novellus* hic *Hippocrates* cum Reformatore egerit. Pag. 148. lin. 2. porrò ait: *Sciendum est, nullum uegetabile habere fixum sal, cujuscunq; sit generis, nisi comburatur actuali igne, itâ, ut acidum, ustulando; in alcali, & vicissim alcali in acidum agere, & apprehendere queat, ut in vini succo & ejus tartaro ostendi, &c.* Magnum, aut antiquissimum, Tironum secretum pandit *Magnus noster Hippocrates*, & uti cum eodem aptè, ceu existimat, præmissa mendacia, in Reformatorem diffusa, sic etiam salium alcalium, seu lixivialium, diversam præparationem, vult palliare. Quasi verò ludicra hæc, & communissima, scilicet non dari salia fixa lixivialia vegetabilium, nisi illa priùs comburantur, antea nota non fuissent; vel ipsâ naturâ dictante. Quomodo verò *acidum, ustulando; in alcali, & vicissim alcali in acidum agere, & apprehendere queat, ut in vini succo & ejus tartaro se ostendisse*, dicit: est locutio sine fundamento, de sale sine sale, sine mente ac intellectu, in vacuo cerebro præmeditata, quæ longâ indigeret ventilatione, antequam absurda omnia hinc emanantia palam fierent. Quæ porrò, de actione & reactione Vinisucci & tartaro, adducit, ludicra sunt; tanto Hippocrate & Philosophastro indigna. Propterea hæc, & sequentia plurima, nugacia & obscura, utpote *paragr. qui incipit pag. 149. lin. 7. Fermentatio, hæc actio vocari meretur, transmutantur nimirum, ambo instrumenta natura, in unum artificiale; quod sicut in saponaria, & vitraria arte cum acido, suo contrario, in neutrum vertitur: sic etiam in humano corpore contingit; cum à prudenti ac Hippocratico medico adhibetur, vel administratur, suo contrario, eadem enim est operatio, ut docuit (a) Magister: hæc inquam, brevitatis causâ sicco pede transeo.* Lector Am. enim ipse, ex nugis hisce, absurditates jejuni *Physicatri* deprehendet, quas iterum, cum divino Coo, & quidem ex libro ejus primo de diætâ, ridiculè demonstrare nititur.

à lib. 1. de  
diætâ.

Tandem, *eadem pag. citata 149. lin. 20.* solitâ pompâ salium lixivialium simplicem præparationem docet; qui labor Tironum est, illisq; notissimus; nostro verò Hippocr. Chym. prægrande secretum: cum tamen illa in nullo alio differat à consuetâ & recepta præparatione, quàm quod plantas, seu vegeta-

vegetabilia viridia, non siccata prius, lento igne, & non lucidâ flammâ concremare jubet, ne alcali illorum ab acido in auras feratur. Et nihilominus, sibi contrarius, mox cineres in fornacula venti tamdiu ustulare jubet, donec albescant (quæ calcinatio, seu reverberatio, planè destructoria est; uti superius clarè ostensum.) Tandem salem alcali elixiviatum, & in massam coquendo redactum, igne non penitus in crucibulo fundere, sed tantum ad brunitatem, in fornaculâ venti, ostiolo clauso, calcinare præcipit; ac si magnum in hac calcinatione latitaret secretum, ridendâ potiùs, quàm imitandâ; saltem ut contrarius sit. & novi quid, præter communem parandi modum, excogitasse videatur, novâ Hippocraticâ Philosophiâ. Quanta verò absurda ex eâ deduci possint, superius clarè & perspicuè oculis legentium exposui. Addit tandem, in hoc eodem Philosophico processu, pag. 151. lin. 27. quòd *libra una horum cinerum, dicto suo modo calcinatorum, fundet ferè uncias quatuor salis purissimi, sed aridarum herbarum cineres libra 4: vix dabunt salis unciam.* Hoc quàm falsum, & sesquipedale mendacium sit, Pharmacopœi, & eorum Discipuli, ipsâ experientiâ demonstrabunt. Si pergamus ulteriùs, mox iterum, lin. 26. deprehendimus obscurissimum paragr. ex quo quid colligendum, vacuum nimirum, ipse fortè ignorat. At autem ibi: *Alcalia fiunt ex vegetabilibus eodem modo, quorum tamen quedam faciliè in liquorem vertuntur vacua enim sunt, ob id ex aëre querunt exsatiari: ut supra in occulto aëris acido indigitavi, quod sufficit.* Quot verba; tot, profectò, absurda: indigna, ut cuncta penitus examinentur. In priori processu descripsit salem absinthii, & illum pro exemplo proposuit, qualiter alcalia ex Vegetabilibus, seu lixiviales sales sint parandi: hîc verò, & nunc, distinguit tales, & salem absinthii non ampliùs alcali vult, sed inquit *esse salem Absinthii fundamentalis suo puncto ex acido falsum, & non planè fixum*, lin. 9. pag. 152. & tamen (ut suprâ) dicit; *alcalia fieri ex vegetabilibus eodem modo, & vacua esse, propterea ex aëre querere exsatiari, & faciliè in liquorem verti: &c.* Vah! quàm docta vacui demonstratio; & quàm lamentabiles contradictiones! Quia sal Absinthii faciliè in liquorem vertitur, si in humido fuerit loco: ergo etiam vacuum alcali est, uti reliqui sales vegetabilium omnes. Implicat enim, salem lixiviale seu alcali, esse ex acido falsum. Non dantur in rerum natura sale, lixiviales acido falsi per se, nisi arte tales efficiantur; nulla aciditas, eo modo, quò lixiviales sales parantur, in igne constans est: lixiviales verò sales sunt constantes, & acidum spiritum nunquam eruant, violentissimo etiam igne pressi. Igne enim parantur; igne & calore conservantur. Ignis autem est aciditatis insensibilissimus hostis. Nulla aciditas aut acidum igni resistere potest, quin fugâ sibi consulat, & in chaos suum sive vacuum (fortè Hippocratis novi) transseat. Hinc etiam liquet, quòd *marginale*, pag. 151: utpotè: *qua herba dant alcalia? falsa vel acida, supra satis ostendi: sit falsissimum.* Neque enim ostendit, nec ostendere potest, dari alcalia falsa acida; quoniam implicat, & repugnat omni experientiâ & rationi. In natura non datur, nec reperitur, sal purè acidus; multò minus alcali purè acidum; nisi fortè in vacuo cerebro Hippocratis novi inveniatur. Ex his sufficienter explosis absurditatibus, fallaciis, & mendaciis, quàm breviter fieri potuit, elucescent etiam sequentes contradictiones & absurdaæ assertiones, quas ulteriùs, pag. 152. lin. 2. contra Reformatorem iniquè effudit, ubi ait: *Reformator, cineres coquendos, & lixivium inspissari ad siccitatem, & postea fusionis igni, sine discretionem committendum docet, &c.* uti suprâ. Ex hoc textu statim patet sesquipedalis hujus Physicatri contradictio. Nam superius paulò, pag. 147. lin. 7. expressè asseruit, quòd *Reformator quidem promit-*



*rat modum parandi alcalia salia magnificis verbis, nullibi autem reperibilem.* Hic etiamnum affirmat, & ipsemet recenset modum, quem Reformatore docuit. Igitur invenit jam modum parandi, quem nullibi reperibilem, *loco citato*, dixit. Ergo superius, *pag. 147. lin. 7.* falsum commisit, & mentitus est: hic verò, *pag. 152. lin. 2.* sibi turpiter contradicit; solum ut ansam habeat cavillandi & calumniandi; sive mendacis, sive contradictionibus, id fiat, perinde est, quia citra pudorem vivit. Perspiciamus tamen intimè; quidnam *Novus Hippocrates* doceat præcellentius Reformatore, in hac & Pueris & Tironibus Pharmaceutices trita arte. Reformatore cineres coquere, & lixivium ad siccitatem inspissare, ac salinam postea massam igne liquare, consueto & recepto modo, docet. *Hippocrates novellus*, profectò, pejorem affert & tuetur sententiam. Nam cineres prius in fornaculâ venti diu reverberare jubet, ad albedinem usque: (uti loquitur; *donec albescant*) quâ diuturnâ reverberatione & calcinatione verò nil aliud efficit, quàm quòd sallem alcali, in cineribus adhuc occultum, spiritali virtute privat, & magis fixum ac causticum reddit. Et si verum esset, quod, *pag. 152. lin. 9.* scribillat; *saltem absinthii fundamentali suo puncto esse ex acido falsum & non plane fixum*: (quod tamen falsissimum & ridiculum) illum, reverà, hac diuturnâ reverberatione suâ aciditate spoliaret, & planè fixum ac urentem redderet. Ut ita hæc cinerum violenta & diuturna calcinatio multò deterior sit, quàm salis elixiviati fusio: in quâ fusione nimirum nil quicquam deperdunt sales lixiviales, nec suis privantur spiritibus & virtutibus; etiamsi decies igne liquantur: ut superius clarè demonstratum. Adeoq; nec ultima tandem ejus calcinatio salina massa, quam, *pag. 150. lin. 20* tam studiosè præcipit, *saltem ad brunatatem*, potiores virtutes salis alcali nec addere, nec conservare potest: de cætero lixivium ex cineribus eodem modo, quo Reformatore, coquendo exhalare sinit, & ad spissitudinem salinæ massæ reducit. Rident profectò Pharmacopœi, eorumq; Tirones, Hippocraticum Philosophum, ejusq; singularem, de salibus lixivialibus, omni sale carentem doctrinam; ac meritò ludibrio habent tot singulares calcinationes, imperitè edoctas: antiquo ac consueto modo, minusq; destructorio, cum Reformatore contenti, & apprimè gnari, sales lixiviales esse ex naturâ suâ, & modo fiendi, alcalizatos; non opus igitur, ut ulterius alcalizentur. Plura, quæ in hoc, & sequentibus paragraphis, *pag. 153.* affert, castigationem partim, ac risum sibi vendicant. Risum primò; quòd Patronum & Mecænatem crepundiorum suorum iteratò, in margine, citet Hippocratem, semper de dicta, jejunos Physicaster; doctrinam interim furetur ex magno Helmontio. Veni mecum iterum, *Tackeni*, redde Autori, quod surripuisti, tibi que supposuisti. Novi, quòd hoc frustulum, de Fixationibus, quod centoni tuo assuisti, sit ex Helmontio. Quid dicit Van Helmont. Titul. Blas humanum, *fol. 118. paragr. 37.* audi, & audi: *Multa, inquit, sunt fixa, si calore urgeantur, alias erant in se volatilia.* Quid tu ais, *Tackeni*, *pag. 153. lin. 3?* *Sic multa sunt fixa, si debito calore tractentur, quæ alias erant volatilia.* Quid dicit Van Helmont, *paragr. 39.* de sanguinis, seu cruoris, fixatione? Quid tu, *lin. 7. pag. 153.* de calore sanguinem fixante? Quid tractat Van Helmont de vegetabilium, arborum, &c. alcalibus fixis, & fixandis volatilibus, &c. per *paragr. totum 39. 40. & sequentibus?* Quid tu, *recentissime Hippocrates*, in tota tua summa *Cap. 21?* Nisi quòd meliora dimittas quandoq; ac tuam saponariam nobis obtrudas; risumq; moveas stolidissimis marginalibus. Non dissuadeo Lectori, quin hoc; de fixandis alcalibus; item de fixorum & volatilium alcalium differentia, Capitulum ex *Tackenio* legat. Bona enim in quibusdam doctrina est,

est, quousq; ex Helmontio descripsit. Svadeo interim etiam Lectori, ut ipsum adeat Helmontium, purissimum delibaturus fontem, loco *suprà citato*; ubi statim comperiet fragmenta, quæ, dilacerato Helmontio, suo assuit centoni. Quæ in margine dicit: *Veneros Sapientissimos & Prudentissimos, esse ingeniosos*; hoc verum est; hoc tota eis tribuit Europa elogium. Verum non tantum ingeniosi sunt; sed admirandæ patientiæ, & inauditæ longanimitatis: quod te, hominem iniquum, toti Europæ invisum, plus centies convictum, & undiq; proscriptum, tolerant, nec te ad triremes, in quibus architectandis eorum commendas ingenium, *pag. 153. lin. 24.* pridem ablegarunt, robustiori calamo te novum Scriptorem inaugurantes. At verò quis non omnibus votis exoptaret, à Magno *Tackenio* intelligere, pondus & æquilibrium, aut gradum caloris, quo sanguis fixandus? Quis non ambiret, ediscere modum, quo novus Hippocrates Sulphur, seu Cinnabarim, Antimonii artificiosissime figit: prout illam fixationem, Viennæ, Excellentiss. D. Doctori Teuber fixandam pollicitus est; sed, præter æris dispendium, aliud huic Viro non præstitit, quam quod vacuum & inane naturaliter dari illi, demonstrârit, Cinnabrio ad Chaos præperante. Neque etiam illud contemnendum dogma est; *indifferenter* nimirum *omnia sal. a esse volatilia*; maximè cum falsissima sit illa demonstratio novi Hippocratis, de ligno putrido, *pag. 148. lin. 10.* quoniam, secundum novi Hippocratis doctrinam, *vegetabilibus omnibus*, uti dicit, *nec granum salis inest, nisi arte fiat*: adeoq; neq; lignis putridis inhærebit actu sal: non potest ergo dici volatilis. Rationem autem veram do ignaro Hippocrati novo; cur lignis putridis non inest sal: sicut superius etiam veram adduxi rationem; quoniam ligna putrida sine combustionem violentâ, in aëre sunt resoluta per putrefactionem internam, antequam violenta resolutio per ignem fuerit instituta, per separationem principiorum: sicq; antequam sal, qui potentia inest vegetabilibus, in actum fuerit redactus, aliis principiis sulphureis & spirituosus congenitis adhuc junctus, unâ etiam cum iis putrescit; adeoq; etiam unâ cum aliis dictis principiis, naturali lege & necessitate volatilizatus, in suum chaos transire debet; non verò, quod per se alcalia salia, jam dum perfecta, volatilia sint; & vel omnia sint talia indifferenter: quæ stupidissima assertio est, & omnino veritati contrariatur.

Ignaram præterea & absurdam statuit noster Hippocrates rationem, cur ligna in aqua diu detenta duriora fiant, saxa tandem æmulantia. Vera causa, *mi Tackeni*, est sal marinus, & spiritus ei connatus, qui ligna diuturnitate temporis petrificant. Sic etiam aquæ dulces, sale terræ nitroso prægnantes, vim pariter indurandi ligna habent, diuq; à putredine conservandi; verum longè minori efficaciâ, quàm aqua maris. Levis porro ustulatio lignorum superficietenus tantum, induit illis crustam, quod minus aqua & aër penetrare, & putredinem ab extra inducere possint; consumit nec non superfluum lignorum humiditatem, putredinis causam: non verò *quatenus acidum & alcali in invicem liquentur*: *pag. 154. lin. 3.* sed *Physicastro* nostro sine alcali & acido in naturâ fit nihil. Omnia in vacuo ridiculè concepta, & ipse meditatus.

Salia porro alcalia seu lixivialia, dum igne liquefactivo urgentur, nequaquam suam mutant naturam; uti mentitur *novellus Hippocrates*, *pag. 154. lin. ultima*, etiam si decies igne liquentur. Etenim & Sal communis, sive etiam Sal Tartari, licet aliquoties igne liquefactivo urgeantur, nunquam tamen suam amittunt naturam, neque in alcali vitrificans unquam convertuntur, quin integram servant indolem & crasin: rebus verò peregrinis & siccis, utpote bolo, terrâ figulinâ, &c. permixti, pro eorum fusione impe-



dienda, si igne premantur, tum demum emittunt spiritus suos, privantur eorum virtute & efficaciam, inefficaces & disgregati in residuo remanentes. Hoc, profectò, contingit in Hippocratica nova & inaudita, ac verè destructoria, reverberatione cinerum usque ad albedinem, ante extractionem seu elixivationem alcali seu salis, ubi terra mortua, in cineribus salibus copiosè adjuncta, se habet per modum boli aut terræ figulinæ, quibus salium eliquatio in igne prohibetur, ut eorum promptius exhalent spiritus, relictis alcalibus seu salibus effœtis, spiritibus omnino privatis. Habent sales lixiviales, seu alcalia, naturam veluti metallicam, quæ igne liquefactivo haud quidquam deperdunt; calcinata verò in scorias vertuntur; auro excepto: quatenus eorum Mercurius & Sulphur diuturnâ reverberatione exhalant; igne verò liquefactivo tantum unita & constantia manent. Vis enim unita fortior est dispersa. Et sic, *novissime Hippocrates*, Philosophatur Reformator, fundamentis realibus, non alcalinis nugis, acidis, in vacuo fabricatis.

Sed audite gloriosum arrogantem, quid, & qualia, pag. 154. & 155. de Basilio Valentino sibirencomii arripiat, & quàm appositè adducat marginale illud; *Wann mir die Flügel brechen ab / und werden bereit zum Wasserbad: super Exod. Zoar.* Risum teneatis, Amici! Ex trypode, profectò, non sine scœnore, tua alcalia, quæ sales lixiviales sunt, apparasti; quæ nunc pro universali Philosophorum materiâ, seu ipso lapide Philosophorum jam jam emergente, venditas. Sed an non vides, *Mysrum ultime*, quòd hæc sit gloriosa insania, ex miseris tuis alcalibus velle elicere primam Philosophorum materiam, & gemmam Philosophorum? sed vel nuda verba de Auro, velut modulamen dulce, aures tibi demulcent, *nove Hippocrates*, dum tibi refrigeras, quòd olim Aurifabrum (quam artem ex professo te didicisse affirmasti) egisti. Nondum, profectò, alcalia tua alis his sunt instructa, ut ipsis juxta Valentinum demi possint. Te potius lymphatum interim destinatis mergamus Thermis.

Cæterum alcalia salia, seu lixivialia, dare, cum propriis suis oleis destillatis, salutaria medicamenta; minimè diffiteor: quin & ipse hujusmodi Pharmaca, in nostra recens edita Pharmacopœia, sincerè ac clarè descripsi. Oleum verò Tartari destillatum, cum proprio sale mixtum, in saponem desciscere; hyperbole manifesta est. Nam ad saponem non desiderantur olea destillata, sed pinguedines animalium, & olea unctuosâ expressa; quæ longè alterius prosapiæ sunt, quàm destillata: potius enim in nigrum crassamentum ac picem degenerarent, quàm saponem. At in his tractandis *nosler Tackenius* non tantum monoculus (uti Reformatori inanes & famosæ pagellæ ipsius obijciunt) & Polyphemus fuit; sed vel talpâ cœcior: quòd nec saponariam, tam humile opificium, pro debito tractarit; tot spuriis subscribendo assertis.

Nunc procedo ad reliqua Saponarii dogmata, pag. 155. lin. 25. ubi ait:

à domo ingratum non recedit malum.

Hoc exemplum de Tartaro cum olim monoculus quidam, ore tenus per modum informationis, à me audivisset, statim coxit alcali viperinum, cum oleo tartari, diversæ naturæ, rustico more, imò minore cum observatione, quod cœctione in phiola, longi colli cum alcali saponis consistentiam acquisivit: hic tamen, amicam informationem, mihi vitio vertit, in admodum longa epistola, scribens: Oleum tartari quod affundere jussisti, picem omnino naturam induit, ea que est spissitudine dum refrigerat ut scindi possit, ita animadverto, me penitus deceptum esse: verum quidem est, me sæpius ex ore domini: (a) vestra audivisse, quod hujus salis preparatio ingens lumen in chimia præbeat, &c. Magnus hic physiconculus tantum in ignavo Cerebello, non habuit salis, licet de eo scribillans, ut hujus inspissationis, necessariam causam perquisivisset, sed statim illud quod ignorat, jactum, & imposuram esse scribit

(a) qui amant uti rustici sunt, mirum in modum vana nesci evadunt.

scribit (b) *Quemadmodum autem animadvertit, hujus inspissationis causam, vul-* b. fol. 487.  
*go & supponem conscientibus notissimum, sic etiam animadvertit qua reformat.*  
 Hem tibi, quàm niger es, dicebat Graculus Ollæ! Quàm bālat, ne dicam,  
 rudis oculatus noster Argus! Verè ingratus cuculus: in alienā imbecillita-  
 te lustrandā centoculus; in propriā lippus. Proh! quàm strabo & luscus in-  
 ter cæcos triumphat! *Hoc exemplum de tartaro monoculus quidam à te per mo-*  
*dum informationis audivit?* Quid ad auditum monoculus, seu oculus, pro-  
 ficit? Cur non dixisti: monoculus vidit tuam imposturam? Nisi quia Pata-  
 vii Idiota eras, & Impostor; quem etiamnum ludis; nihil eorum possidens,  
 quæ oculos Studioforum oblectare possent. Quid enim unquam, arbitro  
 honesto viro, in Chymicis ibidem confecisti? *ter modum informationis audi-*  
*vit.* Dic, *glorioso Thraso*, quis Informator ibi fuit? Tu ne; an Reformator?  
 Quis collegia Chymica & Galenico-Pharmaceutica publicā Auditorum  
 Nobiliss. frequentia obivit: vel ipso Doctissimo Veslingio, incomparabili  
 viro, accurrente: an *Tackenius*; an Reformator? Sed quid talia te delecta-  
 bant! Mollia quæris; & potiùs: Audis tæd ferum pueros Hymenæa canen-  
 tes. Unde etiam ad Lucinæ deliciosum Lyceum hoc tuum axioma, *in mar-*  
*gine, pag. 156.* desumpisti: *Qui amant etsi rustici sunt, mirum in modum ve-*  
*nuisti euadunt.* Quis te non credat robustissimum, & venustissimum villanum  
 ac rusticum, ex jacto hoc tuo fundamento, qui strenuè amoribus indulgisti:  
 prout in Echo Vindicarum ultro declaras? Sed heus, Luscè! Cur me Mo-  
 noculi satcasticā metaphorā deludis, *pag. 156.* cum tamen omni beneficio-  
 rum genere te pridem demeruerim? An non ex ore tuo hîc affirmem:  
 à domo ingrati non recedat malum: quoniam dulcedo acerrimæ  
 ultionis te fefellit, ut contingit ei qui scabit carnem prurientem  
 ultra debitum & mētas, ad sanie & insaniam? An non te *Physicun-*  
*cum* (ridendo, & digno tam stupido Nomenclatore, etymo, ac *Tackenius* est)  
 altā voce compellem? Cur iterum mentiris, ac de vacuo tuo, alcalium uni-  
 verso, & spatiis imaginariis, literas producis; de quibus ne vel per somnium  
 egeram? Novi te, *versute Coluber*, vel ex serpentinā caudā tua. Vox quidem  
 Vox Jacob; Manûs autem sunt Esau. Novi hispitum Stylum, & inculta ver-  
 ba, & aculeis armatas satcasticas periodos tuas; è quibus hanc Epistolam  
 confabas, Fumiger, & hîc impressisti. Mentiris: audacter dico; quòd hanc  
 Epistolam ad te dederim. Considera Stylum; an non æmuletur tuam *Episto-*  
*lam de famoso liquore alcahest*; quam lascivè edidisti: Fateor: coram Patavii  
 fraudes tuas tibi proposui, quibus me in communicando secreto tuo secre-  
 torum delusisti; ut etiam Celsissimum Principem Holsatiæ Slesvicensem:  
 sed literas, quas fingis, tibi non inscripsi. Et verò quid emolumenti ex im-  
 pressa hâc Epistola tua in te redundavit, *Tackeni*? Aliud nihil; (tibi enim,  
 non mihi, dedecori est) nisi quòd plura figmenta tibi in caput detorquere  
 cogor, ac iteratò te convincere. Falsum enim est, quòd Oleum Tartari, ex  
 clarâ ac sæpius repetitâ rusticâ informatione tuâ, falsi Viperino affusum, pi-  
 ceam omnino naturam induerit: sed paulisper tantum spatio sex septemve  
 mensium in calore sicco detentum, à tenuitate suâ qualicunq; descivit, &  
 paulò crassius effectum est, ut adhuc ex phiala longi & strictioris colli frig de  
 potuerit effundi. Sed quis non succumberet dolo & machinis tam callidi  
 amici? Quis periculum à falso fratre declinet: quando lupo ovinam in-  
 duit pellem, & inimici hominis domestici ejus? Proh! quàm incrustata &  
 melliflua verba; quàm blanda mendacia; quàm speciosas imposturas adin-  
 venit nolter Hippocrates, quando, per modum informationis, ut ait, *pag. 155.*  
*lin. 27.* hoc secretum oretenus communicavit! Et quidquid objectionum  
 Refor-



Reformator afferebat, semper tamen affirmabat; Oleum Tartari continere aliquam aciditatem, & impedire suâ levitate, quâ supernatat, ne sal volatilis Viperarum altum & sublime petat, nec non necessitari, ut in fundo perfiltat & fixetur. Neq; hoc semel affirmasse, sat erat; iteratò repetiit; etiam dum, post menses tres, frustraneâ operâ fixationi ac circulationi indulgerem & insudarem: quo tempore sæpius *Tackenium* commonefeci, ne fraudibus me circumveniret; ne alieno periculo, seu meo damno, cautus fieri, & anceps illa per me experiri velit, quæ hætenus ignoraret. Sed eadem semper peierabat, seu affirmabat: donec, cum tandem, patientiâ meâ in indignationem versâ, altiori tono & rigore ei rem exaggerarem ac demonstrarem; quòd, veluti simia, alienis pedibus pro harpagone ad prunas abuti, seu alienâ experienciâ & sumptibus instrui voluerit, ac me, pro magnis beneficiis ei exhibitis, ingratus, deluserit; in risum solutus; cur me decipi passus sim; reposuit. Sed cur prædictus Gelsissimus Princeps Holsatiæ à te eodem modo se decipi passus est? Sed audite, quàm lanceis pedibus incedat; quàm repat vulpecula, gloriolâ turgida, & laudes aucupans; quàm commendari velit in effictâ sua Epistolâ! *Verum quidem est*, inquit, *me sæpius ex ore dominationis vestra audivisse, quòd huius salis præparatio ingens lumen præbeat in chimia, &c.*

Dixerat: at genitor circum caput omne micantes  
Deposuit radios, propiusq; accedere iussit.

Quis enim lumen & splendorem; quis ferientes radios sustineat tuos, gloriose Ardelio, & Chymix Lucifer, *Tackeni*? Quis ad meridianum ambigat, quòd ingens lumen nobis producas; quin tenebras plus quàm Cimmerias aut Ægyptiacas? Quid fumos iterum vendis, quid splendoris tibi arrogas? Quomodo lucere pòtes, *homo obscurissima fama, confuse doctrinæ, umbrarum & latebrarum amans*; ad quas cum totâ tuâ doctrinâ fugis & te abdis? Quid enim clarius dici potest, ad tradendam salis Viperini tui inspissationem; quàm hoc ænigmate illud nobis dictare: Acidum informat alcali? Annon, qui legit hæc, ultrò tua verba in te detorquere cogitur? Profectò, qui hoc scripsit, obscurum eum *Physicuncum* esse oportet; licet novus etiam sit Hippocrates, vel centies inauguratus. Quis citra Oedipum, & haruspices, hæc indaget? Sed, pace tuâ, addam non nihil luminis hisce tenebris tuis: ac huic triverbio tria subjungam verba, tibi, ac tuis, in aurem: *Acidum*: id est, Acerum destillatum: *Informat*: hoc est, saturat, aut imprægnat: *Alcali*, id est, Salem Tartari. Ecce mysteria, & nodum Gordium, quem resolvi! Hæc sunt *novissimi salis Viperini antiquissima fundamenta*. (ne dicam, stultissima) Prædicate super tecta: resonent in compitis; ad tubam & lituum promulgate; quoniam his verbis panditur mysteriorum abyssus. Vide igitur, *Tackeni*, arrige aures (tuæ sunt sequentes elegantix, & congenitæ phrasæ) an magnus *Physicunculus* tantum in ignavo cerebello non habuerit salis, ut huius inspissationis necessariam causam perquisiverit? Vide, quàm magna, quàm inaccessa, habeat arcanorum tuorum epitome! Quam ludicra & scurrilia tractet, digna *Physicunco*. Risisti aliquando magnum Virum, Helwig Dietericum, Archiatrum, seria commentantem: ac Apologetico sarcasmo multa in eum jecisti scommata: quæ si afferre velim, tuam planè, *Physicunco*, phrasin, quam hic adfers de *Physicunco*, æmulantur. Quærebas enim, in Echo Vindicarum: an visi tergia debeant esse linea vel cartacea, vel an demonum excrementa sint Alexiteria hominibus in octavo gradu, an hiatus ventris sit spiraculum animæ, an si mus in mare mingat timendum naufragium, &c. Addamus nos alterum corollarium: An

Physi-

*Physicuncus* possit in *novum Hippocratem* inaugurari? Talia sunt novissimi salis Viperini novissima etiam commenta. Videat amicus Lector, inter quos enutritus ille sit: annon in haris & mappalibus: annon ad aleas & fritillum. Fax hominum, & infimi scurræ, talia peierent, qualia olim Dieterico, nunc novissimè mihi, scommata impingit, propriam affricando infamiam. Nunc colligat amicus Lector, quàm nigra sit hæc avis; quàm cloacis amica, quæ tam fæda modulatur.

Sed silentium mihi imponere voluit in superioribus benignus ac misericors *Tackenius*, dum ait, pag. 73. lin. 4. ante me Reformatori, hic sal cum omnibus requisitis ejus, ne quidem per somnium in mentem venit, quod propriis ejus literis ad me datis ostenderem, nisi honori ejus parcerem. Et eas jam produxisti, mendax, in tuum despectum. Et ego proferrem literas, nisi me taderet oneris. Habeo, *Tackeni*, in Tevtonico quandam à te Epistolam, prohi mirum! tibi honorificam: habeo à D. Bruno, Medic. Holsatiæ in Kiel: habeo à Jacobo Sheps, Chirurgo Gedani; & quadam Netrice ibidem: habeo Fischusio, in Borussia, à Viro Ecclesiastico probo, & Chymico: Regiomonte, à D. Clemente Bolz; & magistra quadam parvæ pilæ. Prostant aliæ Cracoviâ, & Vilniâ Lithvaniæ, Varfaviâ; hinc ex Austriâ, Viennâ, &c. (*Tackeni*, sapienti pauca: tria verba in aurem tibi; tria alia tuis) quas si producerem; nec tot Nocturæ Athenis ullulant, quot avidos congregarem Auditores, qui absorpti stuperent, quomodo tam vastus & amplus Panegyricus uni & soli homini *Tackenio* possit dicari. Tace, noli movere Camarinam. Hæc mihi credito, vel è machina Numini. Ego taceo, & altum quidem. Tu mihi obviasti, inculto & nodoso stipte armatus, cui innituntur, qui porcos minant, verbis petulantiam olentibus: ego Physicis rationibus, & propriis quandoque, te convinco. Vide sis, quod hoc sit pugnæ genus. Ne hæc chorda oberrato. Sed resipisce, quæso.

Arrige iterum aures, *Tackeni*, & judica contradictiones tuas, pag. 157. & seq. nunquam tot, quin plures. Quoties tibi contradicis de alcali & acido? Mox acidum tam volatile proclamas, ut solâ coctione, vel destillatione ex oleo avolet: mox fixum tibi est, & alcalibus inhæret, ut etiam igne reverberii expelli nequeat. Quàm pulchras Physicas insuper addis rationes, de Oleo cocto, de Oleo Lampadam! Essent reverà disquisitione digna, si tempus suppeteret. Verùm quia paucis absolvi nequeunt; illa, cum plurimis sequentibus; utpote, judicio de sulphure, & lacte sulphuris stupido, pag. 160. de aceti residuo; & tartaro regenerato: omnia tibi in omnibus: de Camphora, quod tibi sit alcali volatile (nimirum!): de sale communi ex fixo alcali, & acido salis spiritu efficiendo: item, de fixo alcali cum acido Vitrioli fieri Vitriolum, pag. 171. cuncta, quàm absurda etiam sint, ut vix lingvâ exprimi possint: nunc tamen sicco pede transeo.

Interim non absrequæro ex Philosopho nostro *Hippocratico novo*: quod nomen ipsi per antonomasiam imponat: utrum ex illo, arte tantum confecto, sale communi (quod implicat statim) nimirum ex alcali seu sale lixiviali quodam, aut tartari, & acido salis spiritu, talis, aut idem acidus salis spiritus, qui ex communi & naturali sale destillando elicitur, ex hoc suo, arte confecto, sale, uti dicit, communi, pariter etiam destillari possit? Utrum hic ejus artificialis sal communis veri salis communis saporem, energiam, & virtutem in condiendis cibis, & aliis, æmuletur? Num ad aquam Regiam conficiendam aptus & efficax sit? Nullum horum in illo, profectò, reperiet. Nam alcali, seu sal purè salsus lixivialis fixus, & spiritus aliquis acidus, five salis, vitrioli, vel sulphuris, naturali contrarietate ita se, reciprocante activitate, destruunt, immutant; ut ambo, tum sal alcali, tum



Spiritus, in aliud planè ens degenerent, & neutrum horum ampliùs ab alio separabile sit. Quo jure igitur sal artificialis, ex alcali & acido conflatus, communis sal dici meretur? Longè enim differunt in esse, fieri, & operari. Aliter planè se habent sales volatiles animalium purè falsi etiam: qui, etiam si cum acido aliquo spiritu, Salis, Vitrioli, vel Sulphuris, saturentur; tamen ab invicem denuò separari possunt: & sal volatilis facillimè ab acidis spiritibus separatur per salem Tartari, vel alium salem lixiviale, qui spiritibus acidis recipiendis magis pronus est, quam volatilis sal. Hinc cogitur spiritus ille acidus à sale alcali fixo, ut salem volatilem totum & indestructum, suâ primævâ virtute integrum, relinquat, & libertati restituat. Spiritus verò acidus ipse etiam per chalybem artificiosè separabilis est: prout alibi clarè demonstravi.

Porro ait noviter inauguratus Hippocrates: *Sal alcali fixus, cum acido vel spiritu vitrioli saturatus, fit vitriolum*. Quod ipsum etiam sesquipedale mendacium est. Potestne, Tackeni, ex Tartaro Vitriolato, qui ex fixo alcali, seu sale Tartari, & spiritu Vitrioli, conflatus est, Vitrioli denuò spiritus destillando elici, aut violentissimo igne expelli; uti ex ipso Vitriolo? Nequaquam. Ipse antecederet recensebas, quòd tartarus Vitriolatus mirabilem præbeat destillando spiritum, ex acido falsum, si fortiter igne urgeatur: & quod verum. Sed si alius planè spiritus, odore, sapore, virtute & naturâ suâ, ex tartaro Vitriolato eliciatur; ne utique verò spiritus Vitrioli ex illo destillari possit: quo fundamento igitur dixeris Tartarum vitriolatum Vitriolum? Vitriolum, debite per retortam destillatum, in residuo largam deponit capitis mortui (ita dicti) copiam, Colcothar nuncupatum. Hoc in aëre aliquandiu detentum, quo imprægnetur, ac denuò destillatum, spiritum præbet Vitrioli: vel elixiviatum, salem suppeditat nitrosum aëreum; prout, in *Animadvers.* edocui. Contingitne hoc etiam in Tartaro Vitriolato? Nihil horum. Ex capite dicto mortuo, aut colcothar vitrioli, arte fusoriâ metallum quoddam elici potest. An hoc etiam ex Tartaro vitriolato, relicto ab ejus destillatione? An non absurdum, hæc affirmare? Vitriolum atramentum efficit, adjunctis gallis, rosis: pluresque alios producit colores, juxta rerum admiscendarum naturam. Virtutes habet vitriolum rodendi, qualitates malignas, æruginem sapit, emeticum est violentum, in largiori paulò dosi assumptum: horum tamen nullum in tartaro Vitriolato perspicuum; quin potius, quòd sit medicamentum benignum, ab omnibus doctis Medicis (tibi Canonicis) approbatum & laudatum. Et tamen *novi Hippocrati* Tartarus vitriolatus est Vitriolum! Quis unquam hæc, & similia, ante novam hanc apocalypsin & Hippocraticam revelationem, credidisset? Fuerunt nobis occulta, quia in vacuo nuper nati Hippocratis demum fabricata. Idem tenendum est de acido, seu spiritu, vitrioli, sulphuris, qui, uti stupidè & ignoranter ait; *si roserit arenam, vel aliud naturale corpus; ex eo iterum naturale sulphur sublimari possit*: quod experientiæ repugnat, & quamplurimas involvit absurditates. Sic nec Nitrum, juxta *novelli Hippocratis* compositionem, unquam fuit generatum; ut neque ex alcali tartari, cum acido vini Tartarus denuò producitur: quod tamen plus decies jam asseruit; citra omnem experientiam aut veritatem. Et, hoc modo, inquit, pag. 172. docet meus Hippocrates procedit etiam naturam. Quasi verò divinus Senex ita ita nugatus & tam crassè sæpius mentitus sit. Multum, profectò, sustinet Cous à Tackenio, dum omnes absurditates & figmenta, sine principio & fine, cum Divino Sene palliare nititur: nobisque omnino per-

persuadere conatur, ac si totum universum ex alcali vacuo & acido conflatum, totaque Philosophia ab alcali & acido prima mutuaretur principia. Imò : *Si omnes cartacei libri, cum eorum scriptoribus interirent, ex ingenti Naturæ (alcalifato fortè) libro, omnes artes rursus hac methodo (observentur hæc acida alcalina ! ) addiscerentur ; pag. 173. lin. antepenultima, stupidiſſimè garrit.*

Pag. 175. parag. 1. multa iterum effutit, & falsissima experimenta, de alcalibus volatilibus, & spiritu nitri : Iterum : *alcali cum aceto, fieri tartarum, qui totus in liquorem destilletur salsum.* Quæ ipsa experientia falsissima dicitur. Miror proinde, quod non erubescat, tot tantaque proferre mendacia ; quasi de plebe, & villa discipulos haberet Auditores, Evangelista novus.

Porrò, pag. 175. lin. 13. obscurè discurrit, dicens : *nam sicut alcalia fixa, sunt vacua & inania corpora, sic etiam volatilia, omnium animalium ; quorum preparationem docet quidem reformator qui cum alcalibus tamen omnibus, admodum vacuus est.* Hinc, motus Hippocrates meus, sereno vultu, in dulcem risum, inquitens (iterum lib. 1. de diata.) *Nesciunt quid faciunt, sed destinatum fatum explent.* Eja ! quis non moveretur in dulcem risum, Tackeni, ubi marginale tuum observat, pag. 162. *si loquor absq. veritate erubescam ?* Cur mentiris iterum sine rubore, & adversus Solem loqueris ? Quàm argutè argumentaris in forma ! Nimirum : *Reformatorem quidem docere volatilium alcalium omnium animalium preparationem.* Sed, *alcalia fixa & volatilia omnium animalium sunt vacua & inania corpora :* Ergo & Reformator, cum alcalibus tamen omnibus, admodum vacuus est. Nescis, vacuum non dari ; quoniam stultorum plena sunt omnia ? An non eorum ipse impleas bonam partem ? Profectò, nisi te nitro defricuero, aut elleborum tibi propinem, Acesias medicabitur, Tackeni : aut denique, nisi saponem sapientum affricem, de quo tu in margine, pag. 172. deploratus es, nec vel Panacea tibi auxiliabitur. Ubi Reformator vacuum unquam alcalium somniavit : deliria, & superstitiones, Scholis & Orbi tecum propudiosè persuasit ? Edissere, *novelle Hippocrates*, & attrite Physicaster. Nego dari vacuum, vel arte, vel naturâ ; prout superius deduxi ; & tam firmiter defendo, ut in cerebro quoque tuo etiamnum dari vacuum negem ; quod undique dementiâ, & caninâ rabie tumet, vertigine rotatur, & inflatis stultitiæ punctis non divisibilibus (cum Anaxagora Philosophor) seu nunquam tot, quin pluribus, ad insaniam distenditur. *Nescis quid facis* (ex lib. 1. de diata, hæc tibi Hippocr. quem citas) *sed destinatum fatum explēs :* de malo in pejus proficis. Nescio, Tackeni, amplius, quid moriæ tuæ respondeam, ne limites excedam, quibus me honestatis ardor circumscripsit ; & aptè doces, pag. 175. quod *Reformator admodum vacuus est ;* cui pridem prolixia tua fabellandi scurrilitas, psevdologia, & nova salis Viperini connubia adulterina, evacuare omnem & exprimere debuerant patientiam. Plura hîc non addo. Memento iterum : quod mendacem oportet esse memorem fui. Juxta te enim superius, Jovis omnia plena erant : ergo falsum est, quod, *sicut alcalia fixa ; ita volatilia omnium animalium sunt vacua & inania corpora.* Eris, profectò, mihi magnus Apollo, Tackeni, si vacuum Scholis probaveris. Alii requiruntur Canones contra Canonicos, quàm aniles tuæ fabellæ.

Ulteriùs pergit *novissimus Hippocrates*, &, pag. 175. lin. 25. inquit : *Alcali itaq. Viperinum vacuum & inane corpus saturatur à Reformatore etiam vacuo, magno labore & sumptu acido salis spiritu, quid aliud quam salis communis proles, exinde generari potest ? En fucus & impostura, quam reformator, cum tanto labore (a) tandem inuenit : de quo ante victoriam triumphans scribillat ; Nec a. pharm. velim tibi quisquis es persuadeas, aliam esse viam fixandi. Hoc dicto pauitans fol. 486.*



*palinodiam recant: inquit (submissa voce) si tamen quisquis esset, qui majorem in hisce laboribus haberet experientiam, ipsi ansam praebeo, ut boni publici causa, illa quæ in hac re expertus est, secum commori non patiat. Meum corculum! meus molliculus cascus! quidni? Eja age; optemremus fratres, hujus cupiditati: bene ædopol narrat; ah, quantum non meretur, de republica medica! quod pharmacopæis (b) acidum & salsum tam politulè discrevit.*

b. Appen. in  
Animadv.  
fol. 75.

Scimus jam dudum, Tackeni, quòd magni labores & sumptus tibi non arrideant, & in iis nimis sis parvus. Scimus, quòd *molliculus cascus* tibi sint delitiæ, ac magis placeat, quando ex quatuor tantum Viperis (quæ vix ac ne vix quidem unciam dimidiam salis Viperini suppeditant) quadraginta, & aliquot, libræ nihilominus salis Viperini conficiuntur. Propterea optimè in te cadit illud Satyropægnion, quod, in principio *Vindiciarum Excell. D. Dieterici, adversus Tackenium, statim post Epistolam D. D. Knöfelij, Archiat. Reg. Polon. cecinit Philalethes Bonæfidius, de sale Viperarum: cujus sex ultimi versus, cum subscriptione, sequentia habent:*

*Hic sal Vipereum, hic nova se medicamina tollunt,  
Et caput Anticyris tribus insanabile curant.  
Vos verò Asclepi soboles, genus acre medentum,  
Si qua fides foliis, si quid mihi cantat Apollo,  
Frigidus hoc vivusq; latet sale, credite, serpens,  
Et fugite, ô fugite hinc, grano micat angvis in isto.*

*Dabantur ad salinas Echidneas, Mense & Anno eodem, cum varios passim insignis hic & improbißimus Planus, Pseudo-sale suo Viperino deciperet, Viperam verò longo tempore non vidisset.*

En igitur fucus, & impostura, novelli Hippocratis! cui labores & sumptus tantopere displicent. Et hoc est, quòd sal Viperarum Reformatoris minimè ipsi arridet: imposturam, & *molliculum cascum*, libentiùs amplexatur. Cæterum quid aliud Tackenius, quàm de vacuo in pleno, & alcali, quod non est alcali, scribillare potest? Superius non semel, sed iterum atque iterum, statuit, & expressis verbis vociferatus est; quòd Reformatoris sal Viperarum, acido spiritu salis saturatus, sit sal Armoniacus: posse iterum, admixto aliquo alcali, scilicet sale tartari, ab acido spiritu salis separari, & in suum esse pristinum volatile transire. Nunc verò turpiter iterum sibi contradicit; uti etiam in superioribus, rabiosus totus in hoc paragrapho; ac si conjurasset in necem salis Viperini Reformatoris (quem tamen, pro magno secreto, ipsi Celssissimo Principi Holfatiæ communicavit, tanquam genuinus & proprius esset partus) dicens: *quod nil aliud, quàm salis communis proles sit.* Verum quantum differat sal communis, à sale Armoniaco, & à sale Viperarum vero Reformatoris, superius sufficienter declaratum est, & vel per se mendacium elucescit; & patet, *Physicuncum* hunc (tua repeti) vel planè salium differentiam ignorare; vel ex mera invidia, & canina rabie scribillare; ut denuò optimè, & jure merito, in illum detorquem Philalethis Bonæfidii Satyropægnion, in principio talia habens:

*Vipereos dentes, squamasq; & sibilis lingua,  
Et virus dirum, & petulantis verbera cauda,  
Volventesq; sinus, tergumq; immane colubri,  
Scintillasq; oculosq; & hiantem in pravia rictum  
Hactenus atatum seris dedit usus ab annis,  
Et Tityrus vidit viridi prostatum in ulvâ.*

Sal communis est sal fixus, in igne constans, igne fusorio liquabilis, ad instar metalli: sal verò Viperarum Reformatoris est sal volatilis: ergò non est sal communis; & toto cœlo differt, tanquam volatile à fixo. Est igitur (ut denuò ignaro Hippocrati novello differentiam salium inculcem) verus sal Viperarum Reformatoris, sal acido-salsus volatilis: sal verò communis, est sal acido-salsus fixus. Quanta autem sit differentia inter utrumque, existentia nimirum, esse, operari, sapore, & virtute; quilibet peritus Medicus & Chymicus, citra nostram informationem, noverit. Impostura autem fascinat nostrum Hippocratem novum, ne veritatem agnoscat. Quis autem non cernit, inter Viros doctos, & peritos Pharmacopœos, quòd turpiter sibi denuò contradicat, & decumanum mendacium heic proferat? Non placet Tackenio sal Viperarum Reformatoris. Quid mirum? Quia genuinus, sine impostura, & magno labore, & sumptu haud exiguo, comparatur; nec notabile lucrum exinde sperandum. At verò novi Hippocratis sal Viperarum, ita dictus, corculum ejus, & molliculus casus est, pag. 176. lin. 15. Eja! quam dulcis impostura, dulce etiam lucrum procreat sine magno labore, sine sumptu: Acidum informat alcali! Ah! quantum non meretur de Republica Medica Hippocrates hic novellus, quòd tantum secretum; quomodo nimirum acetum vini informet salem Tartari, sub metaphorâ tamen hac nobis communicarit, ac acidum & salsum tam politulè discreverit! pag. ead. lin. 22. Eja! Accedite, literati, qui hujus cupiditate flagritis: vobis hîc offertur ferculum Hippocraticum, ex magno & ingenti secretorum & observationum ejus cumulo decerptum. Sed priusquam Reformatore palinodiam canat, aut Tackenius ante victoriam Triumphum; examinandum suscipiam

## CAPUT XXII.

cujus inscriptio:

*Puerilem sententiam declarat.*



Hîc ferulam: hîc, Tackeni, qui puerilia tractant, hîc castigandi sunt. Hoc est, quod semper vociferatus sum: puerilia declarasti; crepundia tractasti; novellus Hippocrates es; fascicolas adhuc tenes, & artis incunabula. Obiter, inquit, nunc percurram acida, quæ reformatore docet (salsis contraria (c) quam tamen doctrinam, cum reliquis pluribus falsissimam, & ignorantia plenam invenio, ut per ignem (qui hic professor publicus & justus iudex vocatur: dialectica hanc discretionem non habet, ea se temscientia repertas, & veras, in quo vis scibili methodicè, rectè, & clarè, magna utilitate proponere & tractare novit.) servatis vocibus, usu receptis, demonstrabitur. Salium autem sapes quantum visum fuit, pro intelligentia, præsentis compendioli, supra distinxî.

Ex nitro, & sale communiana uncis quatuor, & aluminis uncis duabus fiat pulvis, cui super adde aquam simplicem quantum satis, pro salium solutione (qua non agunt nisi soluta) & habebis liquorem salsum, cui adde auri foliati duas saltem dragmas, misce aurum cum salibus, & coque in ollula vitreata ad siccitatem sub finem auge ignem, donec odorem aquæ fortis instar spiret: sic mixtura salsedo erodit aurum. Albam massam in ollula, dissolue aqua communi, solum quiescat vitreo vase, donec faeces salium subsideant, clarum per inclinationem effunde: huic clara solutioni guttatim instilla, alcali quoddam fixum resolutum, ex: gr: liquorem Tartari, qui statim absorbet, subtiliores acidus spiritus & ilico aurum cadit coloris purpurei. Hac in operatione, sal non obsuit acidis spiritibus, ut docet reformatore; sed alcali tartari absorbens acida, compositum destruxit.

c. in Append. fol. 52

Ignis tam internus quæ externus, ardinarius

Creatoris professor, Natura librum explicat.

Auri Calcinatio in uia siccæ.



*Auri calcinatio in via humida.*

*Eadem via sed majori impetu, distillata aqua ex nitro & alumine, in qua sit solutum sal commune, aurum dissolvit, nisi enim sal in aqua dissolutum esset; aurum non corroderet. Non itaq; destruit sal; acidam aquam fortem, neq; in sicca, neq; in humida via; sed ei vigorem addit, sale ammoniaco similem. Hinc Basilius.*

*Was im adler wird gefunden klaar*

*Das steckt in mir auch ganz und gar.*

*Hinc liquet, quod aurum non dissolvitur nisi à salsis: quare autem acidus salis spiritus hoc solvit? dixi & ostendi suo loco; quod nimirum spiritus rodendo, redit in id quoderat à nativitate, id est in sal.*

Obiter, ais in principio hujus capituli, nunc percurram acida quæ reformator docet salsis contraria. Hoc est, quod incauta pueritia assolet, obiter nimirum, perfunctoriè, oscitanter, omnia percurrere. Non obiter, sed maturo judicio, & Hippocraticâ severitate, hæc tractare debebas. Audiamus igitur puerilem sententiam: *Acida sunt salis contraria.* Tu dicis, & dixisti, hæc, *Tackeni.* Quisenim frequentius, & ad ravim usque, vociferatus est, quam tu, *novelle Hippocrates*, cui uni & soli librum dedicasti, de alcali, alcalibus, & ex alcalibus, de lixivialibus salibus, aut sale tartari & acido; quâ ratione in se mutuò agant, & mox acidum, salem alcali; mox sal alcali acidum superet ac demoliatur, hinc omnia excrescant & vegetentur? Sed, ut ais, pag. 13. lin. 19. *omnia salia, quæ acida mortificant, sunt alcalia: & promittis, velle salia generali nomine alcalia imposterum appellare: iterum, pag. 27. lin. 23. salia alcalia ad unum omnia acidis sunt contraria, illorumq; destructiva: & alibi passim. A quo igitur puerilis sententia prolata est, Tackeni? Ex ore tuo, serve fidelis. Tuus hic aphorismus est, nove Hypocrita. Magnis itaque elementis tibi inscribamus hoc Apophtegma, Tackeni: Pueri puerilia tractant. Ignosce, precor, quòd talia reddam: in capite libri tui hæc scripta sunt: hæc tibi Talionis pœnâ adjudicantur. Vides igitur, quis puerilia declaraverit, quis asseruerit, salia esse acidis contraria? Si hæc sententia ignorantiae plena est, Tu, mi Otto; tu, mi disertissime Tackeni, dixisti; tu multus hæcenus fuisti in tractandis sine sale salibus: tu alcalium pater: tu cum igne ordinarius Creatoris professor: tu naturæ hos libros explicabas, in marg. pag. 177: tu denique novam condidisti Babylonem Spagyricam, clarè, sed perperam, edocens; salia communia, naturalia, & salia acido-falsa artificialia, nunc sola esse salia; reliqua verò omnia lixivialia & alcalia salia vegetabilium, ut & volatilia animalium, pro tuo imperio non esse amplius salia, sed genericè alcalia: juxta propositum tuum, & fraudulentum scopum, pag. 13. lin. 19. Et hæc ideò factitasti, quia multum ignarus eras Philosophiæ, rudis Physicuncus (parce: tua repeto) & uti aliàs, ubi definit Physicus; ibi incipit Medicus: sic tu ibi desisti, ubi Physicus incipit: sic præcox tua ferebat indoles; ignorasti naturam, crasin & differentias salium; quòd salibus alcalibus lixivialibus, quin & salibus volatilibus animalium, verè, realiter, ac propriissimè, salis nomen competat, re & etymo, quòd sint salia purè falsa. Hinc illæ lachrymæ! Tackeni, quòd solidè doctus non es; quòd levis armaturæ miles & Chymicus: hinc dissolutas scopas in forum attulisti, centonem impressisti, plumas alienas malè divisisti, ac ex omnibus aliquid, ex toto nihil, vel aliquid, idque ineptissimum, edidisti. Hinc iterum de dialectica, pag. 177. sine connexione, cum risu Lectoris, discurras, ac ubique chartas repleas logismis & ineptiis.*

*Eadem pag. 177. & seq. ais: aurum solvitur cum salibus, sed aurum non solvitur, nisi acidis spiritibus. Ergo sal non obsuit acidis spiritibus. A dialectica ad sophisticam rotaris. An non fallacia est, quòd cum salibus, ut salia sunt, solvatur aurum? Sed solvitur ope & virtute acidorum spirituum, quos salia illa,*

illa, quibus aurum solvi tentatur, continent; utpote sal communis, sal nitri, & aluminis. Aurum proinde sive solvatur cum salibus acido-sal-  
 sis, qui non, nisi acidum spiritum continent; ut destillatione ex illis fa-  
 cile elicitur; sive cum eorundem salium spiritibus acidis, perinde & idem  
 est: nisi quod illa, cum salibus, benigna magis; hæc verò, cum de-  
 stillatis spiritibus, magis violenta est; ex uno tamen eodemque funda-  
 mento procedunt. Hæc autem salia acido-falsa, quæ Aurum solvunt,  
 quibusque Reformatior ipse, in suis *Animadvers.* pag. 465. Aurum solve-  
 re, & eodem modo, in Crocum convertere, docet, (unde, profectò,  
*novellus Hippocrates* hunc suum processum mutuatus est) quæque salia sci-  
 licet *novus Hippocrates* pro fundamento suæ fallaciæ ponit & constituit, ac  
 illa unice & sola vult esse salia: hæc, inquam, salia Reformatior nun-  
 quam acidis contraria statuit; nullibi dixit; nec unquam per somnium  
 ipsi in mentem venit: prout *Tackenius* mendaciter ipsi appingit: quin  
 potius expressis verbis, sanâ doctrinâ, illa acidis non esse contraria, sta-  
 tuit, & firmiter affirmavit, quod natura his salibus acido-sal-  
 sis jam dum de aciditate tantum, in visceribus terræ, tribuerit & implantarit, quan-  
 tum pro eorum esse & operari sat erat, & differentiam salium purè falso-  
 rum, scilicet lixivialium, tartari, & volatiliū omnium animalium,  
 quæ verè acidis contraria sunt, in esse & operari: uti in doctrina vera,  
 de differentiis salium, pag. 73. *Append. edit. Norica*, clarè patet, & ad ra-  
 vim usque demonstratum est. Hæc L. B. haud gravatè revolvat. Ex  
 illis enim ocyus hujus callidi & iniqui hominis fallaciam, ad fallendum  
 incautos, ac in Chymicis minùs expertos; & quàm mendaciter Reforma-  
 torem accuset, deprehendet. Patet tamen statim ex hoc processu & funda-  
 mento, quàm sibi contradicat, totus opinioni suæ contrarius; sicque Refor-  
 matoris sententiam firmiter comprobet. Nam, pag. 178. lin. 5. jubet, *huic*  
*clara solutioni* (scilicet Auri cum salibus peractæ) *guttatim instillare alcali quod-*  
*dam fixum resolutum, ex. gr. liquorem Tartari, qui statim absorbeat, subtiliores*  
*acidos spiritus, & illico aurum cadere coloris purpurei.* Sed quidnam, *Tackeni-*  
 hoc aliter sonat, quàm quod acidi spiritus aurum solvant, & quod falsa et-  
 iam acidis sint contraria? Quoniam liquor, seu sal tartari, resolutus in  
 liquorem, qui propriè sal purus falsus est, & ab *Hippocrate novo*, pag. 42.  
 lin. 1. & 4. pag. 45. lin. 4. pag. 47. lin. 4. & 12. pag. 51. pag. 54. lin. 21. & in fi-  
 ne, &c. sal tartari simpliciter appellatur, non, nisi contrarietate, quâ acida  
 & purè falsa in se invicem agunt, acidum illud salium, solventium aurum,  
 utpote salis communis, nitri, & aluminis, absorbet, destruit, inque aliud  
 ens convertit, ut destructo acido, à suo contrario sale tartari, Aurum ne-  
 cessariò fundum denuò petat, vinculis scilicet acidorum spirituum libe-  
 ratum, in forma pulveris, seu croci. Quid clarius Reformatioris senten-  
 tiæ demonstrandæ & verificandæ ipse *novellus Hippocrates* potuisset afferre,  
 turpiter sibi contradicendo? Et tamen adeò hebes est suo hoc ebrio cerebello,  
 ut denuò, pag. 178. lin. 11. contradictionem suam repetat, dum inquit: *Hac in*  
*operatione, sal non obsuit acidis spiritibus, ut docet Reformatior; sed alcali tartari*  
*(cur non dicis sal tartari?) absorbens acida, compositum destruxit.* O stupidum  
 & inquam dogma! Dic, quoniam sal non obsuit acidis spiritibus? Et tunc tua  
 impostura palam fiet, quod Reformatior ipse docuerit, illa salia acido-falsa  
 spiritus habere acidos, solve aurum, & acidis non esse contra;  
 & hoc expressis verbis, verè, & realiter; uti virum probum decet.



Tu verò sub fallacia termini hujus (ALCALI) impudicè mentiris, quando ais : *quòd sal non obfuerit acidis spiritibus.* Quid enim alcali tartari aliud, quàm verus sal tartari ? Sed est purè falsus, omnibus acidis spiritibus contrarius, acida absorbens & destruens ; hoc est, quod Reformator docuit : Quid est hoc Compositum aliud, quàm solutio Auri, acidis spiritibus horum salium acido-salforum peracta ? Quis destruxit hos acidos salium horum spiritus, nisi sal tartari ? Omnia hæc ex tuo ore confirmo. Tuâ hæc fallaciâ & imposturâ, nimirum ; salia alcalia, seu lixivialia, & salem Tartari, non esse salia, sed saltem alcalia, vis imperitos, & in Chymia rantopere non expertos, in contrariam opinionem, & falsissimam sententiam, trahere, oculis eorum caliginem obducere ; ut etiam meridianâ luce tecum cæcutiant : ac unâ etiam Reformatoris vera ac fundata scripta, de differentiis & speciebus diversis salium, obliterentur. Monstra, si à mendaciis tuis immunis es, ubi Reformator unquam statuerit, quòd acidi spiritus sint acido-falsis salibus contrarii ; aut acido-falsa salia, acidis spiritibus ? Nonne ipse Reformator Aquam Regiam exactè descripsit, & expressis verbis docuit ; salia acido-falsa acidis non esse contraria ; *loco citato Appendicis, pag. 73. editionis Noricæ, à lin. 30. ad lin. 49. item, lin. 24.* hæc clara verba extant : utpote, Longè enim alias operationes Salia acido-falsa ; alias verò purè falsa lixivialia & Alcalia salia virtutes sortiuntur : Item, in præparatione spiritus Vitrioli coagulati, *pag. 454. Animadversionum*, lucidissimis verbis hæc omnia expressa sunt : nimirum, Totum autem hoc coagulationis opus in eo consistit, ut spiritui Vitrioli corpus aliquod, quod ipsi non contrariatur, adjungatur : tale autem est sal proprium, & sal Nitri, tanquam salia acidiora : salia autem lixivialia, utpote Absinthii, Tartari, & similia, spiritibus acidis contraria sunt, &c. Hucusque textus Animadversionum. Quis tibi nunc, vacuo Physicunco (tua verba reddo) magis clara & perspicua fundamenta appingere potest, ad fallacias tuas & imposturas convincendas, quibus incautis imponere, & unâ Reformatorem exosum reddere voluisti ? Sed redit in te hoc scelus & absurdum ; quo ipse tuam ignorantiam & imposturam melius delineare non potuisses. Verùm sine verecundia vivis, citra pudorem, & perinde tibi est, vincere, an convinci ; tibi, an aliis, contradicere ; docere, an mentiri ; calumniari, an commentari. Hæc croci Solis, seu Auri, præparatio unde, quæso, tibi accrevit, nisi ex *Animadv. m. pag. 465*, vivo adhuc Authore : mutato nonnihil pondere salium, ut vel sic fraus lateret ? Sed an nosti, cur hæc ibidem scripta sint ? Ideo : ut vel minimi signi, & literæ, rationes exactas reddere tibi possem ; vel à longè hos impostores prospiciēs, quorum tu Antesignanus, qui sanam doctrinam ubique adulteras, ac eam pervertis. Annon dilucidè, *citatis Animadv. m. & Append. locis*, doceo ; quòd salia acido-falsa acidis non sint contraria ; sed tantum salia lixivialia purè falsa acida destruant, illis contraria sint, in se agant & reagant, ac tandem his alteritatibus in aliud ens, ac velut novam creaturam, commigrent ? Sed hæc subticuisti tu, & impostorio modo testatus es, quasi salia communia propriè & acido-falsa acidis spiritibus contraria sensissem : cum tamen te supracitata scripta mea luculenter convincant. Interim, ut errorem cum pertinacia defenderes, omnia salia lixivialia, & volatilia animalium, itidem purè falsa, proprio salis nomine defraudasti, & genericè alcalia inscripsisti ; quasi verò alcalia, salia non forent ; cum tamen illa, supra citatis locis tuis, salia toties ipse appellitaris. Si non ignorares, quid ex fundamento rei, & propriè, alcali sit ;

verum

verum fateri cogereris, quòd nomen alcali uni saltem sali competat, scilicet herbæ Kaly dictæ, in Ægypto & Syria germinanti, è cujus cineribus extrahitur, & nulli alteri: reliqua verò omnia, quæ ex herbis & vegetabilibus combustis, ac eorum cineribus, eliciuntur, vel elixiviantur, sint propriè, & verè sic dicta salia lixivialia purè falsa, quæ nil quicquam de acido participant, uti salia communia, quæ acido-falsa sunt, proptereaq; à lixivialibus longè differunt. Salia porrò volatilia animalium quorumcunq;, quæ etiam verè & propriè salia sunt purè falsa, quàm stupidè & ignoranter à te, *Tackeni*, alcalia nuncupenter, quilibet Chymix & Philosophix Tiro, omnesq; Pharmacopœi agnoscunt & rident: quia implicat re & terminis. Alcali enim, sive sal quidam lixivialis, ex naturâ suâ non nisi fixus esse potest; quia ex vegetabilibus combustis, inq; cineres reductis elixiviat & extrahitur; præsupponit adeoq; ignis tolerantiam, ejusq; examinis constantiam: secus enim in combustionem ac ignis torturâ avolasset. Sales verò volatiles animalium, contrario modo, levi statim ignis tentamine avolant, & vel levissimum ignis examē ferre nequeunt; quin sponte in aprico per se avolent. Præterea non sunt abstergentes, ad lixivium & loturam inepti, adeoq; ad saponem *Hippocratis novi*, & Saponariam ejus, quam malè adhuc didicit, inutiles, à calce vivâ totaliter dissipabiles & destructibiles. Nec fuit inventus Medicus, Philosophus, Chymicus, aut Pharmacopœus, qui sales volatiles animalium improprio planè & barbaro etymo, alcalia, & quidem vacua, dixisset & statuisset. Solus in orbe nunc *Hippocrates novus*, nova dat dogmata, novas præscribit leges, novam docet Medicinam Hippocraticam alcalizatam, nullibi in Coo obviâ; dum omnia pervertere, & vacuum in pleno statuere conatur.

Quæ porrò, pag. 178. ad obtinendam & propugnandam fallaciam, falsa acidis non esse contraria, iterum scribillat, eandem calliditatem, ad fallendum incautos, præ se ferunt, quam superiora; verum iisdem fundamentis veris & immobilibus discutiuntur, ac sophismata ejusdem deprehenduntur. Relegamus ignorantem, aut iniquum Hippocratem ad fundamentalem Reformatoris doctrinam de salibus, & eorū differentiis: ubi sanè expressis verbis docetur; quòd sales acido-falsi, utpote sal communis, nitri, gemmæ &c. neutiquā acidis & spiritibus acidis sint contrarii; quin potius eos, scil. acidis spiritibus, in aciditate ejus adaugeant: sales verò lixiviales omnes, sal tartari, sales volatiles animalium, tanquam sales purè falsi omnes, acida destruant, immutent, & proprietate substantiæ suæ sibi invicem contrariantur. Sic lis dirimitur, *Hippocrates novellus*, mendacii convictus, imposturâ, ad fallendum incautos, detectâ, doctorum virorum ludibrio, velut nudata cornicula, expositus squalet.

Consideret nec non L. B. duo marginalia hujus capituli; quorum prius, pag. 177. lin. 17. *Auri calcinatio in via sicca*: aliud, pag. 178. lin. 16. *Auri calcinatio in via humida*: quàm pulchrè iterum Philosophetur, & sibi contradicat: cum in textu contiguo loquatur de solutione; in margine verò de calcinatione. An autem hæc operatio, seu confectio Croci Auri, calcinatio aptius, quàm solutio, dicenda sit; ad longum ventilari posset. Sapit fastuosam saltem, & inanem grandiloquentiam hæc dictio, de calcinatione & solutione in via humida, & via sicca. Quemadmodum enim *novellus Hippocrates* Antiqui Coi textus & auctoritates mirabiliter, imò ridiculè, suis adaptat nugis; ita etiam, uti simia malè instructa, Antiquorum Philosophorū viam siccam, & viam humidam, in parando lapide Philosophorū, aquâ eorum non madescente manus, quâ viam siccam: & iterū, præcedenti solutione communiore, quâ viam humidâ appellarunt, garrulitate & grandiloquentiâ suâ, in hac simplicissimâ auri solutione hinc vult æmulari; quasi verò ambæ hæc auri solutiones non humidæ essent, sed calcinationes siccæ, cum tamē in mero humido aquoso perficiantur. Latere te,



*docte Philosophæ*, Aqua Philosophorum sicca, non mædefaciens manûs; nescis adhuc, quid siccum, & quid humidum. Sic lubens explorarem, & mecum quilibet artis peritus sciscitari posset; cui fini etiam Germanicum hoc distichon Philosophi cujusdam, utpote:

*Was im Adler wird gefunden klar/*

*das steckt in mir auch ganz und gar:*

huic simplicissimæ solutioni auri adscripserit, & quomodo ei applicari possit. Tam appositè nimirum, ut infinitæ etiam citationes & allegationes textuum ex libro 1. de diæta Hippocr. Coi.

Tandem, *paragr. ultimo hujus capituli, pag. 179. lin. 1. & seq.* tria mirabilia iterum profert axiomata; sibi tamen crassissimè contradicens. Primum est: *aurum non dissolvitur nisi à falsis*: quod falsum est. Nam, *pag. antecedente 178. lin. 9.* contrarium statuit, nimirum: *acidus spiritus, qui aurum solverunt, absorbere salem tartari, seu alcali quoddam fixum*: Item, cum vix ore excidissent ipsi paucula hæc verba, scilicet: *aurum non dissolvitur nisi à falsis*: palinodiam canit contradictione, dicens: *quare autem acidus salis spiritus hoc solvit? dixi & ostendi suo loco, quod nimirum spiritus rodendo, redit in id quoderat à nativitate, id est in sal.* O stupidas rationes! O grandem hyperbolen, & contradictiones! Quando redit spiritus acidus salis, aut alii spiritus acidi, in salem communem, post solutionem Auri? Phasmata sunt *Tackeniana*. Hic prius addere debuisses pro hoc tuo aphorismo, utpote: *Aurum non dissolvitur nisi à falsis*: quibus falsis, vel quibus salibus? fortè sale Absinthii; qui etiam sal est, & ipse salem simpliciter appellasti, *pag. 35?* Vel salibus diureticis, *pag. 33?* aut ex herbis vulnerariis, *pag. 34. lin. 18?* aut sale tartari, quem toties salem simpliciter, & per antonomasiam, dixisti; sicut superius locis plurimis citatis patet? Quod tamen absurdum esset, dicere vel asserere. Agnosce igitur ipse, quàm ludicra scribilles, quantisque te involvas, imposturis tuis, absurditatibus. Quoniam ad ravim usque demonstratum est, sensibusque patet, diversas esse salium species: sales lixiviales purè falsos; ut etiam animalium volatilium tales. Inter sales vegetabilium præcipuum est sal tartari: sic etiam reliqui sales lixiviales, aut alcalia, sunt verè sales, sed purè falsi, ab omnibus doctis viris, Philosophis & Chymicis, sales dicti & habiti. Hi verò Aurum non dissolvunt; sed solutum potiùs præcipitant, & spiritus acidus, quibus aurum solutum est, destruant, ac contrarietate naturali immutant. Hos, inquam, sales (quod bene notandum) à salium numero, naturâ, & etymo, *Tackenius* nunc proscribit, excludit, segregat; immemor sui, &, ad fallendum incautos, sales hos omnes alcalia proclamat, & solos sales communes, & sales acido-falsos, salem nitri, &c. sales vult. Quibus contra semetipsum, contra Solem loquitur: de reliquis omnibus salibus taciturnior Pisandro. Tibi igitur, *Tackeni*, & universæ Reipublicæ literariæ injuriuses, quòd basin & fundamentum doctrinæ, & demonstrationis, sophismata & fraudes delegeris; quibus incautos circumvenire, Reformatorem verò impudentiùs liceret criminari. Citra umbras, & mendaces æquivocationes, & verborum Syrtes, hæc sequacibus dictare oportebat; prout Reformatorem egisse deprehendes, in Animadv. & Appendice, citatis locis: nimirum; quòd sales acido-falsi spiritibus acidis non contrariantur, sed ex illis ipsis salibus acidi spiritus, pro solutione Auri, elici possint & destillari: sales verò purè falsos lixiviales, & alcalia sic dicta, utpote sal Tartari, Absinthii &c. sales etiam volatiles animalium, esse acidis, & acidis spiritibus, naturâ sua contrarios in esse & operari; acidus spiritus destruere, & alterius reddere indolis. Verùm si sic, & veraciter, processisses, *Tackeni*, quid inauditi, quid occulti, quid novo Hippocrate dignum impressisses?

Nihil.

Nihil. Omnis quæstio soluta mansisset. Denique : quò ingenium se non extendit ; fraus adrept : quanquam ; meo calculo , *Philosophus etiam mansisset ; si tacuisset : nunc Physicuncus es.* Offerunt se in hoc diminuto paragrapho plura , quæ sapone sapientum *Tackenij* defricarem , utpote pag. 178. lin. 5. ubi dicitur : *huic clara solutioni guttatim instilla , alcali quoddam fixum resolutum , ex : gr : liquorem Tartari.* Subsumo ego : sed liquor tartari est sal tartari resolutus in aère & humido , naturâ suâ acidis contrarius ; ac ideò subtiliores acidus spiritus absorbet. Si igitur acidus subtiliores spiritus , quibus aurum dissolvitur , sal tartari absorbet : ergo aurum non dissolvitur à non , nisi falsis , sed dissolvitur à salium acido salforum naturalium spiritibus acidis. Sed quid muscam in Apulio contero ; cùm earum myriades prodeant ? Quid vitia *Tackenio* remonstro , quorum nec initium nec finis ? Transeo ad

## CAPUT XXIII.

cujus inquit titulus :

*Obscura clarescunt.*



Audete sapientes , jam tenebræ decantantur , & noctuæ Athenis Philosophantur. Textus capituli incipit :

*Aliud , oculis per jucundum experimentum objs iam quo ostendam falsa , acidis non esse contraria.*

Ex vitrioli exsiccati libris tribus , nitri libris duabus , communis sulphuris flo-  
ribus uncis sex , & salis communis libris quinq. semis , & laterum pulvere , quantum  
satis , ne salia cum sulphure fundantur , sint hujus pulveris libra sex , misce exacte pul-  
veres minutos , & destilla aquam ex arena saltem in hanc aquam , sine premissa recti-  
ficatione , immitte nummos aureos , & intra paucas horas , in tepido loco , videbis a-  
quam aureo colore tinctam (occasione hujus tinctura , memoria subuenit , quòd non si-  
ne herculeo labore , ignis ope , magnaq. diligentia , ascendit alcali volatile (cujus ali-  
bi mentionem feci) grati odoris , adeò rarum leueq. , ut vix à tangenti digito sentia-  
tur , aliquando grisei , aliquando nivei coloris , salini saporis , linguam ferientis &  
penetrantis , ita subtile , ut citrà ignis irritamentum , in aperto vase , sponte in auras  
abripitur , cum per se ipse in igne constans persistat ; per hujus alcali proprietatem  
inquam , fiunt Aurum , Argentum , Mercurius , Christallus &c. verè potabilia , ita ut  
non solum in corpora redire sit impossibile : sed in super , sic à vinculis coagulationum  
liberantur , ut libere nobiscum colludere queant &c. sed cum hac & similia , non sint  
hujus loci , lubens ea nunc prætereo) quam effunde , & aliam super adde , & iterum  
destilla in loco calido , donec aqua satis sit tincta : Aquas tinctas confunde in aliam  
phiolam , atq. in illam aquam pone laminas argenti , prius cupellati , tunc aureo colore  
tincta aqua , statim nigrescit , paucisq. momentis totum argentum in visibilibus dis-  
solvitur , caditq. totum in calcem nigram , quam periti in arte , sine contradictione  
aurum dicunt. Notandum : quod aqua , ab auro non tincta , argentum non solvit ,  
imo ne tangit quidem : hinc *Basilijus* de argento (a)

a. de proprie-  
tatibus pla-  
metarum.

*Mein Seel mein Geist , und meinen leib*

*Hab ich meim König zu geeigt. &c.*

Aureos nummos ablue , hos reperies aliquantulum pallidiores , sed parum aut nihil  
de pondere amisse : hoc experimentum est consideratione dignum. Cum verò supra  
dicta species , igne nudo , & aperto distillaveris , addito plus de farina laterum ; tunc  
sane non extrahit tincturam , sed totum aurum plane dissolvit. Hoc inquam experi-  
mentum (licet inutile videatur , jucundum tamen est , & magni momenti) sine sale  
non succedit , adeoque sal , acidis his spiritibus non nocuit.



In hoc capitulo & textu iisdem certat fallaciis & imposturis, quibus demonstrare denuò nititur, falsa acidis non esse contraria. Ultra hæc, ne quid desit Majestati hujus opusculi, salem tractat, Aurique tincturam, processus denique Alcumisticos, qui pridem à nobis explosi, à Veteribus verò ad nauseam descripti reperiuntur. Antequam de hoc perjucundo experimento, nobis objecto, pluribus agam; dirigo ad Andreæ Libavium Benevolum Lectorem; è quo, citandis locis, reperiet, cum quæ furto mutuatus est, tum quæ perperam docet, refellenda. Consulatur igitur Libavius, *Syntagma arcan. Chymic. cap. de artificiis coloratorum, maxime per project: pag. 112. lib. item 8. cap. 16. de arcano Tinctur. pag. 399.* ubi de fallaciis hujus tincturæ, *lib. 8. cap. 22. de oleo Antim. Alchymia denuò pharmac. pag. 132.* in folio: è quibus B. L. ediscet, quid judicii de hoc perjucundo experimento ferre oporteat. Quod concernit ejus demonstrationem, quâ hîc triumphat, falsa nimirum acidis contraria non esse; petitio principii est, & vetus musica seu aphonía; quâ eadem imposturâ & falsissimâ hypothesi suum nititur obtinere intentum, & ad fallendum incautos, egrediè denuò sese exercet. Docet proinde, ex vitriolo, nitro, floribus sulphuris, & sale communi, aquam destillare, quæ cuncta mineralia & salia non nisi acidis præbere destillando spiritus, Tironibus, lippis & tonforibus notissimum est; adeoque nemo unquam dixerit, multò minus Reformator, his spiritibus acidis, ex prædictis rebus prolectis, salia communia acido-falso esse contraria. Non igitur tibi, *Sophistico Philosopho*, laudi est, ita stupidè argumentari: utpote, si falsa acidis essent contraria, spiritus acidi ex salibus non elicerentur: sed eliciuntur ex salibus acidi spiritus. Ergo falsa acidis non sunt contraria. Prima propositio, *obscure Philosophæ*, est statim falsa, & innititur sophismati deceptorio. Differentiam igitur salium si addideris solum, quam Reformator tuus, locis citatis, clarè docuit; tunc ruit tuum argumentum per se, & falsum est totum. Nimirum si diceres: si salia quæcunque acidis spiritibus essent contraria; ex salibus quibuscunque non elicerentur acidi spiritus: sed eliciuntur ex salibus quibuscunque acidis spiritus. Ergo salia quæcunque acidis non sunt contraria. Hoc argumentum, *Philosophæ*, est etiam tuum si simpliciter vis defendere, acida falsis non esse contraria. Sed totum est falsum, sicut reliqua sophismata tua; quia non ex salibus quibuscunque eliciuntur acidi spiritus, non ex sale Tartari, non ex sale absinthii, non ex salibus herbarum, non ex salibus volatilibus animalium, quæ omnia tu salia dixisti & proclamasti, uti etiam verè sunt, nec salia quæcunque augent acidos spiritus in virtutibus suis, sed salia tantummodo acido-falsa naturalia, nec arte talia facta, & ex iisdem acidi spiritus eliciuntur; juxta veram & genuinam Reformatoris tui doctrinam. Tuo fallaci & sophistico argumento oppono ego contrarium, ex tuâ hypothesi, & propriis assertionibus. Nimirum: si salia acidis spiritibus non essent contraria; illa hos, scilicet acidos spiritus, non destruerent, aut immutarent: sed hoc præstant salia. Ergo, &c. Major propositio est quidem falsa; sed juxta tuam assertionem est vera; quia sal tartari & lixivialia salia, item salia volatilia animalium, destruunt acida, & illa planè immutant; suntque illorum destructiva: prout ipse asseris, *pag. 13. lin. 19. pag. 27. lin. 21. pag. 131.* & in plurimis locis aliis: & illa tamen sunt verè & realiter salia; & tu ipse toties illa salia, sine distinctione, dixisti. Minor propositio est etiam tua, & juxta prolatam tuam sententiam, *citatis locis*, æquè, ac prima, vera. Sequitur igitur conclusio talis. Ex his disce, *Hippocratische philosophæ*, quòd & hujus argumenti prima propositio, simpliciter sumpta, nullo stabili nitatur fundamento, ut neque secunda, minùs etiam conclusio; neglectâ differentiâ salium: tui tamen verbis & assertionibus verificantur, quoniam salem tartari, absinthii, & reliquos sales liviales, qui tibi jam sunt alcalia tantum, sales sine distin-

distinctione ipse dixisti, & nunc etiam sales communes acido-salvos, sine ulla pariter distinctione, pro tuâ imposturâ obtinendâ, sales dicis, & nullos alios admittis sales: adeoque turpiter contra te ipsum, & tua expressa verba, loqueris. Liquet proinde, tuas hypothesen esse falsissimas, ac per claros Reformatoris citatos textus penitus annihilari: adducta verò argumenta tuis ipsis assertionibus, & clavis verbis, verificari; quæ commonstrant, te esse Sophistam, qui incautis, ac in Chymia non admodum expertis, unice imponere cupis. Verum hæc tua phasmata ac sophismata, jam toties in præcedentibus refutata, adeo squalent, ut tædeat, cramben hanc infusam toties recoquere: quemadmodum tua hæc impostura in hoc uno fundatur, quod differentiam salium calidè & iniquè subtrices, aut ignoras, Reformatorem mendacis impudicè criminando.

Quod Processum ipsum concernit Tincturæ Auri, illum bis in meis antiquis collectaneis Chymicis reperio. Qui processus si veritatem scaperet, & vera esset tinctura Auri; quis crediderit, infidum *Hippocratem novellum*, qui vix ad callos pedum remedium nobis propalat, ipsum publici fecisse juris, aut proximo fideliter donasse; cum adeo sit infidus, ut non, nisi saponariam, & vitriariam, de cætero ferè nihil veri, aut realis, præter Mercurium summè corrosivum sublimatum, acidas crebrasque calumnias, & injurias, adhuc attulerit? Mox enim dixisset ad omnes *Canonicos Medicos*; hoc est, Methodicos doctos: *Meum Corculum! Meus molliculus casus! Quidni? Eja, agite! Opteremus Fratres hujus cupiditati: benè adepol narrat! Ah quantum igitur non meretur Hippocrates ille novellus de re Medica, quod hocce multoties scripto processu nobis imponere attentet? Præito, Tackeni, sequemur te, si Diis placet. Videbis autem, hanc Auri tincturam esse fallacem, & provenire à menstruis, non ab Auro. Si tantus esses Chymicus, deberes revera hoc probè nosse. Pauxillum illud sublimati (quod alcali volatile dicis, quia omne tibi alcali est, & sine alcali loqui nescis) est de floribus sulphuris, & sulphure vitrioli, qui sulphuris flores de salibus & vitriolo adjunctis, animam quandam, seu penetrantem essentiam, secum evexerunt fursum. Posse autem illud sublimatum Aurum, Argentum, Mercurium &c. metalla putabilia, dico, potabilia reddere, & in sua corpora illa reducere; impossibile. Quæque plura & mira addis, sunt fanaticæ & novæ Hippocraticæ cogitationes, absque experientia & veritate. Nam hoc apparet illico ex tuis verbis. In duplicata enim illa parenthesi, quam, occasione hujus magni secreti, struxisti; pag. 180. lin. 11. & seq. dicis, quod illud sublimatum ita subtile & penetrans sit, ut citra ignis irritamentum, in aperto vase, sponte in auras abripiatur, cum per se ipse, in igne constans persistat. Et quomodo, quæso, per se in igne constans persistet, si citra ignis irritamentum in aperto vase sponte in auras abripitur? Quæ absuda & contraria? In unâ periodo, tribus vel quatuor lineolis, à contradictionibus abstinere nequis. Secundò: ante parenthesim illam longam & duplicatam ais, pag. 179. lin. 29. & intra paucas horas, in tepido loco, videbis aquam aureo colore tinctam, quam effunde, & aliam super adde, & iterum destilla in loco calido, donec aqua satis sit tincta &c. Prius enim digestio saltem fuit in tepido loco, & nulla destillatio: quomodo igitur congruè dici potest in alia, vel secunda, affusione menstrui, & iterum destilla, donec aqua satis sit tincta: cum non præcesserit ulla destillatio? Tertiò: laminas argenti dissolvi, & totum argentum in calcem nigram precipitari, quam periti in arte, sine contradictione aurum dicunt, pag. 181. Citra contradictionem hæc imperitus Alchumista fingit. Quis non & agrum, & domos, galeram, & tunicam venderet, argentum mercaturus, illico amplissimo fœnore aurum recepturus? Juxta illud Tevtonicum:*



Mein Seel/ mein geist/ und meinen leib  
hab ich mein König zugeeigt. 2c.

Quod distichon Basilii Valentini maximæ arti, & operosæ Chrysopeiæ attribuit; *novus* verò Hippocrates vetustis quisquiliis suis, & reculis Tironibus decantatis, hic affuit; quanquam & ipse palinodiam postliminiò canat, pag. 181. lin. antepenult. dicens: *Hoc inquam experimentum (licet inutile videatur, jucundum tamen est & magni momenti) sine sale non succedit, adeoque sal, acidis his spiritibus non nocuit.* In hoc brevissimo paragrapho, qui veluti conclusio est hujus processus Alchymistici, quæ paulò antea *novus Hippocrates* firmiter asseruit, nunc retractat, & palinodiam canit: nimirum, quod *totum argentum invisibiliter dissolutum in prædicta sua aqua, cadat totum in calcem nigram, quam periti in arte, sine contradictione aurum dicunt*: nunc verò timidulè hoc experimentum inutile proclamat *jucundum tamen esse & magni momenti.* Quomodo hæc concordant? Si prius & superius verum esset, quod totum argentum, aquæ dictæ injectum, solvatur, & in calcem nigram per se cadat, quæ calx sine contradictione aurum sit: aurum etiam prius in aqua illa dicta detentum, à quo tinctura parum, aut nihil, de pondere & colore amittat: labor, profectò, deberet esse utilissimus; & à nemine prudente & experto inutilis diceretur. Sed ambiguus Hippocrates Chymicus, rei veritate incertus, timidulè hoc asserere absolutè non audet; quoniam propriis manibus hunc nunquam elaboravit processum, nec periculum fecit; saltem ex processibus Alchymisticis descripsit, & suo centoni affuit. Præterea nullam sapiunt veritatem, si solutionem totius argenti injecti, & etiam totius argenti præcipitationem consideremus & examinemus. Naturæ enim, & laboribus similibus contrariantur: quia nullum metallum simul solvitur, & totum per se præcipitatur, aut fundum iterum petit, seu, uti dicit, cadit. Nugæ ergo sunt Hippocraticæ novæ, imposturæ, & solitæ contradictiones, indignæ, quæ ulterius ventilentur.

Quod conclusionem concernit; nimirum, *Hoc experimentum sine sale non succedit, adeoque sal, acidis spiritibus non nocuit*: illa idem demonstrat, ac sic aliquis diceret: Hoc experimentum sine impostura non succedit: adeoque impostura Tackenio non nocuit. Baculus in angulo; ideoque cras pluet. Hippocrates Chymicus totus ventus est; ideoque nihil salis in ipsius cerebri. Si Hippocrates *novus* realiter dixisset, uti decet virum probum: hoc experimentum sine sale communi, aut sine sale acido-falso naturali, non succedit: verum esset, & sine fallacia hæc foret conclusio. Sed quia differentiam salis non addit; igitur falsa est, absurda, & fallax ad decipiendum incautos. Sic autem mea conclusio verior esset, si dicerem: Hoc experimentum cum sale non succedit, adeoque sal acidis spiritibus his nocuit. Hanc meam conclusionem ad tuam Hippocraticam formam efformatam, veram esse, tuis verbis probo: quia sal tartari, & sal absinthii, & plures, sine distinctione sales appellasti & dixisti. Sales verò isti sunt acidis spiritibus contrarii, eosque absorbent, (tua verba:) ergo sales sunt acidis spiritibus contrarii. In his verò liquet, quantæ fallaciæ lateant, imposturæ & sophismata, de salibus disputando; si salium differentiarum, genus, & species non addantur, sed callidè subiceantur. Nam sicut ego absolutè, & sine distinctione, dicere nequeo; salia in genere acidis spiritibus esse contraria, eosque destruere, absorbere: nec unquam dixi, nec somniavi quidem, sed semper, ac ubique, aut genus, aut speciem, denominavi, vel singularem quendam salem proprio nomine descripsi & monstravi verè ac realiter, qui sales contrarii sint acidis spiritibus, & qui non, in Animadv. & Append. n. locis citatis: ita & tu Hippocraticæ Sophistæ, debuisses realiter processisse, sine mendaciis, sine sophismate. Cum autem contrarium feceris: conclusionem igitur tuam pessimè formasti; & illud verè

& realiter dicere nequis, quòd *hoc experimentum sine sale non succedat, & sal acidis spiritibus non noceat*: quia, si adderes salem tartari, vel alium salem lixiviale[m] cujusdam vegetabilis, quos tu sales dixisti; omnino hoc tuum experimentum non succederet, & in totum destrueretur. Disce igitur, mi *Tackeni*, cautiùs mercari deinceps, veracius loqui, & conformius argumentari; nec nos tam prodigiosis mendaciis aspergas amplius, quàm sumus. Duram, profectò, suscepisti provinciam, *noxe Hippocrates*, si rete tuum jacias ante oculos pennatorum; si Autorum arcana furta producas nobis, qui hæc ad nauseam evolvimus; si fucum addas iis, quæ nobis plus quàm cognita. Redi igitur, *Æole*, ventorum genitor & vita, in obscuram specum, è quâ erupisti. Non es, quem te hæcenus dixitasti: *ventus est vita tua*, sonus, sibilus, vox; prætereaque nihil. Redde Authoribus processus, & alia, quæ ab alienasti, Reformatori famam, quàm, velut cuniculos agendo, subruere tentasti, & discat orbis: *quoniam ab inimicis salus*.

Ulteriùs affert *Hippocrates novus* processus Chymicos; utpote, sulphuris antimonii præparationem, pag. 182. quæ multoties in Tirociniis scriptis & impressis obvia invenitur: attamen, ut parca sit manu, nevé nimium fortè revellet, ait, pag. 183. lin. 1. *Ex hoc sulphure, additis duobus simplicibus, oleum compones, quo cum dorso spinam, carpos manuum, plantasq[ue] pedum, unica hora ante paroxysmum inunxeris, febres intermittentes tertianas omnes tolles*.

*Hoc sulphur est basis artificiosæ undæ, in qua si dissolvitur argentum, præcipitat magnam ejus partem in calcem nigram, quam aqua fortis deinceps non tangit*.

Nunc, *Tackeni*, quærunt ex te Medici Canonici (non Reformator. Nam dedignatur tua oracula) dico, Dogmatici, quæ sint illa duo simplicia secreta pro oleo febrifugo? Quid respondebis illis? *Meum corculum, meus molliculus caseus! Quidni? Eja agite! Opteremus fratres hujus cupiditati, bene adepol narrat! Ah quantum non meretur de Republica Medica novellus Hippocrates*, quòd saltem dixerit duo simplicia anonyma sulphuri antimonii pro oleo febrifugo esse admiscenda! Quærunt præterea Medici Canonici ex te, ut illis in aures dicas, ne fortè Reformator tuus audiat, quæ sit illa artificiosa unda, cujus basis hoc sulphur sit, in qua si dissolvitur argentum, præcipitat magnam ejus partem in calcem nigram &c. Hoc, fateor, iterum secretum est auriferæ artis Alchimiæ: respondebis verò illis sine dubio iterum: *meum Corculum! meus molliculus caseus! Quidni? Eja agite! Opteremus fratres hujus cupiditati, bene adepol narrat: Ah quantum tamen non meretur Tackenius*, quòd processum, qualiter sulphur antimonii parandum, ex aliquo libro non solum descripsit, sed illum denuò typis, pro implendo suo centone mandavit; etiam si, cujus usui, vel quæ illa artificiosa unda sit (ridete, vel teneatis risum, Amici) in quo argentum solvitur; & quomodo unâ solvatur, & magna ejus copia in calcem nigram præcipitetur, planè subticuerit. Sufficit illi, tam candidè nobis communicasse, quòd crystallus cum eo si cementetur, rubini colorem acquirat. Sufficit, remedium contra hydropem siccam monstrasse. Sufficit, inquam, inscianter, sed constanter, affirmasse, Rulandi Balsamum Sulphuris ex hoc sulphure factum fuisse; cujus manuscripta verò aliter testantur. Pro hac igitur liberalitate tuâ, *Tackeni*, si non alii Canonici Medici, Reformator utique tuus tibi gratiasaget. Cæterum Helmontii textum, de Mercurio Antimonii non vulgari: Præparationem item Cinnabaris Antimonii: & quæ ulteriùs filiis suis in aurem dicit; pro nunc non attingam: quia fortè extra caput; quamvis aliàs notissima sint.

Transeo igitur ad Capitulum xxiv. cujus Titulus: *Quæ nocent docent*. Suspicio, ne nobis *novellus Hippocrates* imponat, Amice Lector: eamus illi obviam. Metuo, ne, quæ docet, noceant. Fingit enim ut araneus, *Tackeni*,



*nus*, faber mendaciorum, simul & aurifex. Quis scopus; quod argumentum; quæ intentio, in hoc Capitulo? Malefano iterum percitus æstro, & stultitiæ fermento, iteratò in Reformatorem rabiosus involat. Carpit, dilacerat; corrodit huic ardellioni cerebrum Mercurius sublimatus medicinalis Reformatoris; quem paucissimis verbis perstringit: aptam ejus præparationem edocendo. Sed cur, *Tackeni*, rabidos dentes tuos, cur ungves exacuis adversus Reformatorem; cum potiùs insanix tuæ, & furoris, objectù D.D. Augustanos statuere poteras; cum eorù Mercurii sublimati præparatio, quam ego debito nitore restitui, multù deviet à scopo & parandi modo tuo, & quidè multo magis, quàm Reformatoris? Verùm hos monoculus transiens, ac callidè dissimulans, aciem in Zwelferum defigit. Cur? ne PROTECTORIS Augustani nomen & insignia aut perderet, aut commacularet, & dictò Venerabili Augustanorum Collegio tanto mitiùs adularetur palpo; quos tamè in sinù suum deridens, festivo sarcasmo Canonicos appellat: prout & reliquorum Medicorum Collegia incluta non semel delusit. Sed quid iterum canis ad myrtum? Indoctum caput! an novi àliquid, an quid exotici, tradidi? An non paria nobis dictârunt Quercetanus, Beguinus, Agricola, Schröderus, & passim Chymicorum Collegia? Tu quid novi Scholis apportas, Caduceator? Cur immundissimam oris tui spurcissimi colluviem in Reformatorem, & omnes illos revomis, qui tuum dogma non sectantur, ac unica tantùm sublimatione, nullâ præviâ lotione Mercurii, corrosivum summè Mercurium non apparant, sed plus laboris infumunt; sincerè tamen & fidelissimè præparant? An ignoras, plures semitas nos ducere Thebas? Tu solus Mystra & Medicinæ Numen, cujus oracula populus Medicus adoret, & vestigia exosculetur? Resorbeto vomitum tuum, *rabiosissime Cavillator*, quo me, quo innocuos viros, & Medicos, aspersisti: ac redeat ad Dominum scelus. Sed sacrilegus es, & ut video, sacras legisti paginas. *Hoc est*, inquis, *pag. 187. quod ait Sapiens in proverbiiis: Abominabile apud Deum pondus & pondus, mensura & mensura.* Mi *Tackeni*, tractant fabrilîa fabri: sola scripturarum est ars, quam sibi passim omnes vendicant; ita Hieronymus, in prologo. At quid hæc ex corroso tuo cerebello, pro Mercurio summè corrosivo stabiliendo, adducis? Vides, quòd sacer nugator sis, & mulus Divina portans? Ego tamen explanabo tibi illud Scripturæ, *ac pondus & pondus, mensuram & mensuram*, Deo abominabilia, quæ non capis hætenus. Non enim, uti putas, in verbis scripturarum est Evangelium; sed in sensu: non in sermonum foliis; sed in radice rationis. Ita Hieronymus, sup. *Epistol. ad Ephes. primam.* Quid igitur est illud *pondus & pondus*? Esaias *primo* tibi explanat. Væ, inquit, genti peccatrici, populo gravi iniquitate, semini nequam, filiis sceleratis! Dereliquerunt Dominum; blasphemaverunt sanctum Israël; ab alienati sunt retrorsum. &c. Hæc sunt ponderosa verba Esaiæ, de *pondere & pondere*. Applica Ephod. Hanc amplectere scripturam, *Tackeni*, & nugari de sacris imposterum cave. Nunc ad profana redeo. Sed quid in tantum spiras, Æole? Cur fremis, Caure? Quid novi attulisti in præparatione tui Mercurii summè corrosivi? Vidén, ut te denuo convincam? Adducam textus meos genuinos, quos iterum, *falsarius*, corrupisti. Nimirum ubi Mercurium sublimatum, à D.D. Augustanis adductum, eventilandum suscepi; ita, in *Animadv. meis pag. 457. edit. Noricæ* scriptum. R. Mercurii purificati, Vitrioli calcinati, Salis præparati, ana libram unam. Subigantur cum pauxillo Aquæ fortis, aut modico Aceto: exsiccata terantur & misceantur simul in mortario lapideo tam diu, donec Mercurius, unà cum prædictis speciebus,

ciebus in pulverem abeat. Tritam materiam inde cucurbitæ cum alembico, dando in arena igne per gradûs, ad octo vel decem horas. Videram autem, quod insufficienter hæc Mercurii sublimatio esset descripta; cum quoad pondus valde exiguum addendorum salium, & Vitrioli calcinationem; tum etiam quoad sublimandi modum &c. Non ergo potui, quin pauca adhuc adderem, ad complendum defectum, & quæ experientiâ comprobasset, haud illegitimâ & verâ sublimatione Mercurii, ad Medicinam adaptandi. Sunt autem, quæ addidi, denuò ex *Animadv. pag. 400.* pro majori intelligentia excerpta, sequentia. Nimirum: Mercurius sublimatus rectè quidem cum Sale & Vitriolo paratur, sed necessum est, ut Vitriolum, quod ipsi additur, ita calcinetur, ne suo corrosivo aut spiritu acido priveretur. Quantitas item præscripta Vitrioli & Salis non sufficit, præsertim si corrosivus (uti ex sequenti dulci subl. apparet) reddi debeat Mercurius. Necessum igitur est, ut non solum pondus eorum dupletur, sed & sublimatio Mercurii, additis semper recentibus speciebus, Sale scilicet & Vitriolo, bis ter vé reiteretur, donec in crystallinam compagem elevetur. Commodius autem igne aperto, quàm in arena sublimatur, servatis ignis gradibus, in cucurbitâ lutatâ, aut in alio accommodato instrumento. Ex his duobus parandi modis sublimationis Mercurii, D. D. Augustanorum, & Reformatoris, seu Zwelferi, judicet totus mundus, omnesque in arte Pharmaceutica & Chymia periti, an non posterior præparatio præstet priori: an non vera sint, quæ priori præparationi D. D. Augustan. modeste, sine ulla calumnia, addita & animadversa sunt: quoniam secundum priorem, D. D. Augustanorum, modum, cum quoad pondus addendorum salium & Vitrioli, tum etiam in modo parandi, sublimatio nullo modo succedit, ac Mercurius in massam solidam, uti decet, nequaquam ita sublimari potest; vanusque foret omnis labor ita susceptus. E contra verò Reformatoris præparatio, siue sublimatio præscripta, defectum nullum habet, neque ullum subolet errorem aut absurditatem: quin potius omnem sapiat perfectionem; præsertim si ad Medicinam sublimatus hic sit adaptandus. Etenim in prioribus duabus sublimationibus Mercurius vivus à sua impuritate & nigredine, prægressâ etiam lotionem, perquam bene & legitime purificatur, ut in tertia sublimatione purus & crystallinus adscendat, nec tantopere corrosivus, uti vulgaris sublimatus. Propterea æmulatus est Reformatore D. D. Augustanos, & plures alios Doctissimos Medicos & Chymicos, superius denominatos, qui studio, & scienter, absque additione rerum magis corrosivarum, scilicet Nitri, Mercurii, sublimationem ritè peragere voluerunt, ut is, si ad medicinam, præsertim Sublimatum dulcem, Oleum Antimonii, & alia complura medicamenta, ex eo conficienda, foret adaptandis; tam superfluo & nocuo corrosivo, ex Nitro, non scateret, adeoque magis benignus hic simplex Mercurius sublimatus, cum per se, externè, ulceribus sordidis, Venereis, aliisque affectibus applicatus de foris; tum etiam ad interna medicamenta, prius dulcificatus, ad usum tractus, sine nocumento ageret, minori- que periculo usui Medico esse posset, quàm simplex & maximopere corrosivus sublimatus, Venetiis, aut ab aliis locis, transportatus. Et hæc sunt rationes legitimæ ac Medicæ Doctiss. Virorum, D. D. Augustan. Schröderi, Quercetani, plurimorumque aliorum, tum præcipuè etiam Reformatoris



tui, Zwelferi, quare Mercurium sublimatum, in Officinis Pharmaceuticis, non pro communi vulgo, sed ad medicamenta salutaria exinde paranda ulteriora, hoc nostro legitimo modo sublimatum, legitimum & magis benignum voluere: uno verbo, ut ad Medicinam securius, sine periculo & nocumento ullo, posset adaptari. His prælibatis & declaratis, patet ad oculum, Reformatorem in nullo peccasse, neque in additione salium & vitrioli, neque in calcinatione vitrioli necessario præmonendâ, nec etiam in sublimatione ipsâ, quod ullam mereatur reprehensionem, aut correctionem; multo minustam iniquas Tackenij calumnias: sed vera ac legitima sit Mercurii sublimatio Zwelferi, rationibus suffulta ac autoritatibus, adeoque præ communi ac vulgari sublimatione, cum Nitro, *novelli Hippocratis*, magis amplectenda. Verum enim verò hæ iniqui calumniatoris calumniæ non soli debentur Reformatori, ut qui præ cæteris Autoribus dexteriores amplexus est sublimandi Mercur. modum; sed concernunt & alios, seu Canonicos, vel maximè D.D. Augustanos (quorum sublimandi & parandi modus Mercur. corrosiv. omnino practicabilis non est, modestissimè tamen in Animadversionibus, ubi mancus, restitutus. Nam errores palpare, & vitia, nefas esto. (Qui enim magis delinquit, majori etiam poenâ dignus judicatur) Videant igitur D.D. Augustani, quàm præclarum nacti sint custodem (ut ajunt) quàm præclarum defensorem Herculem, & fidelem Orestem, qui primus, ut Simeï, convitia in Dominos jacit, eosque deludens, Canonicos appellat, & rhapsodes. Ego spartam meam hætenus tuitus sum, & famam adversus prædonem & famidam hunc vindicavi. Viderint D.D. Augustani & Canonici, quo hunc irregularem hominem Canone iterum anathematizent, ut famæ splendorem recipiant. Nunc sequitur totius Capituli textus, per partes mox eventilandus, pag. 185.

## CAPUT XXIV.

*Quæ nocent docent.*

**H**ætenus his operationibus, quæ omnes acidis & salsis perficiuntur, nullibi apparuit alterius destructio, sed eamus ad Rapsodiam Reformatoris, quàm superbo titulo Mantissam Hermeticam (b) vocat, ut ejus propriis scriptis erudimini, ubi sese effert. Mercurii sublimati Corrosivi, vera præparatio. (a) Vinum vendibile [ait Peta] Hedera non indiget; quare huic titulo addat, vector ignorat. ra præparatio, non video! Suspicio ne reformatore, more consueto, hac vana promissione nobis dolose imponat, eamus illi obviam.

b. Quid Hermes de his magis sensit reformatore ignorat. a. Mantissa fol. 201.

Mercurius inquit: rectè sublimatur, cum sale & vitriolo [mirum quod non timeat, aciditi vitrioli destructionem à sale] sed quia sic ab aliis scriptum inuenit, saltem addit; Vitriolum Cautè Calcinari debere, ne privetur acido spiritu. Sibi videtur hic aliquid magni momenti admonere. Vi etiam: quod sublimatio bis terue reiteretur novis speciebus sale scil. & vitriolo: Sed, ad quid, hac repetita sublimatio cum novis speciebus? Mercurius enim semel saturatus, acidis spiritibus, ad quid reiteratur labor? præcipuè si verum est, ut est verissimum in natura, quod omnia reguntur certis numeris ponderibus & mensuris juxta illud Poëtæ.

*Est modus in rebus, sunt certi deniq. fines,*

*Quos ultracitraque, nequit consistere rectum.*

Sic etiam mercurii natura, acidis spiritibus, semel saturata, absorpsit & combibit, quantum perfert, & quantum indiget à prima sublimatione: & licet centies deinde sublimetur, aut per se, aut novis speciebus, semper manet idem sublimatus mercurius: adeoq. reiterare labore, est tempus, & species, inutiliter perdere. Hoc est quod ait Sapiens in proverbiis: (a) Abominabile apud Deum pondus & pondus, mensura & mensura.

a. Cap. 20. vers. 10.

Scio,

Scio, à multis expeti, modum sublimandi mercurium, propter metum, quod is, qui venditur hinc inde, admistum habeat Arsenicum, quod tamen, ut periculosa merx, mercurio in ejus sublimatione addi nequit, propter subtile venenum, quod sublimando spirat, ac operatores suffocat: venenum esse subtile, ostendam proprio periculo.

Olim, cum Arsenicum (Johannis Agricola suasu) toties sublimare tentarem, Arsenicum, ut tandem fixum in fundo vasis permanere deberet, non enim tunc temporis, ob sciendi desiderium, neq. fumos, neq. vapores, aut quicquam periculi timui: post multas sublimationes, cum vas aperuissem, inspiravi auram, palato tam suavem, dulcem ac gratam, quam cum admiratione, nunquam antea similem expertus fueram, sed post semihorulam, stomachum dolentem, & contractum sensi, cum omnium membrorum convulsione, respiravi difficulter, sanguinem minxi, cum indicibili ardore, subito post, colico dolore correptus, totusq. contractus euasi, per sesquihoræ spatium: Lacte & oleo restitutus, medio critter me habui: febris tamen lenta, hectica similis, per integram hiemem permansit, quam extinxi vulnerariarum herbarum decoctis, & esu cimarum brassica, aqua bulliente tabefactarum, Auranciorum succo, oleo & modico sale conditis. Imò natura appetebat hunc cibum, ut vix horam cena expectare possem, his que remediis perfecte conualui.

Sed non obstante periculo, sunt, qui stannum purum in pulverem exurunt, quod, nulla vulgari arte, in stannum reduci potest, sicut reliqua metalla; cum arsenico tamen fit scoria, cujus pars, singulari artificio in purum argentum transit. Hanc separationis artem scivit & exercuit, Sigismundus Wan, Civis Wondsidlensis in Voithlandia, cum ingenti emolumento, ita ut Anno 1464. ibidem Hospitale splendidissimum edificauerit, institueritq.; ut narrat Casparus Bruschius, quod & hodie, cum epitaphio dicti civis conspicitur.

Quod autem ex stanno cum arsenico fiat argentum! id confirmat Clavius in Apologia (a) contra Erasum, qui videatur. Et hac de arsenico, exposuisse, curiosis sat est.

Nunc ad mercurium, unde digressus, redeo, qui sublimatur hac proportionem.

Mercurii seu Argenti vivi libras 280. tantum pendet sarcina unica, ut in omnis pellibus ex Hydria aduehantur. Mercurii sublimati lib. 20. salis communis, salis petrae an. lib. 200. capitis mortui reservati lib. 50. vitrioli rubificati lib. 400. omnia separatim debent in pulverem reduci, sub lapide molari, qui calcet.

Mixtio fit hoc modo.

Mercurius vivus, & sublimatus, portioq. salis communis & salis petrae, prius debent commisceri, & quantumvis salia sint arida facta: ab hac mixtura tamen madescent, sic mercurius, miscendo cum dictis speciebus moritur, tunc adde reliquam partem salium, perge miscere, ligone ferreo, donec mercurius nullibi vivus appareat. Hac mistura est humidissima, cui si addere velles vitriolum rubificatum, quod est valde aridum, absomit humidum in momento, & simul Saxi duritiem induunt: Oportet itaq. loco dicti vitrioli, addere caput mortuum, aut reservatum de prima sublimatione, aut de aqua fortis, perinde est, sic modice siccatur mixtura, quam nunc debetis per cribrum agitare; Cribratum pulverem postea, commodè miscere potes; vitriolo rubificato. Jam habes misturam, qua cum impleto 16. vasa vitrea magna (quarta pars sit vacua) quæ locentur in capitellos, & sublimabis mercurium ex cineribus (minime vero aperto igne, ut nugatur reformatior) in 4 furnellis, quorum quilibet contineat 4. vasa; vasibus appone alembica, negligenter saltem, cum suis receptaculis. Ignis per 24. horas sit lentus, in illo tempore salia dissolunt Mercurium, spiratq. in illa actione, odorem aquæ fortis, qui pulmoni nocet, imò in spirantem ferè suffocat, sicut cripta odor Puteolis, propè Neapolim, canem. Post 24. horas odor perit, & tunc sublimari incipit Mercurius (aquam fortem collige, quæ fortificatur

Geber de Argento c. 18.  
& Basilius de propriet. 7. metall. de Joue.  
Stannum dat argentum.

a. 2. volum. theatri Chimi-  
mici fol. 39.

Mercurii sublimatio vulgaris.



aliis speciebus inseruiq; precipitationi Mercurij) cum illo calore persevera, donec Mercurium in forma placentæ, a suo capite mortuo separatum in summo videas, quod si plerumque quinto die, si bene operatus fueris.

Frige factis rebus, propter graue pondus sublimati, sponte crepant vasa vitrea (fragmenta separatim collige, habent enim aliquid sublimati, quod abra de, quo cum alia vice Mercurius currens mortificari debet) caue cinerem, ne per rimas decidat, supra placentas, quæ curiosè ambabus manibusprehendunt, ac seponunt, panes vocant, quorum quilibet pendebit circiter 25 libras, plus minus, juxta capacitatem vasis, quod plus vel minus de mixtura capiebat, ita ut ex 280 pondo Mercurii vini & 20 sublimati; colligas sublimati ter centum, & octoginta. Creuit itaque in pondere Mercurius viuis 80 lib.; non quidem ex acido vitrioli rubrificati, ut existimat reformator, quod ob id caute calcinandum docet: sed solo sale communi, quod sic probo.

Error Re-  
formatoris.

Mercurius  
sublimatus  
dulcis ru-  
bricolaris.

Sublimetur idem Mercurius, eadem proportionem nitri & vitrioli rubrificati, absq; sale communi, tunc ascendit Mercurius rubeus, nil que ponderis, neque corrosiui ac-  
quisiuit.

Mercurius  
precipitatus  
communis.

Sic quoque, si idem Mercurius precipitatur aqua forti ex nitro & vitriolo, tunc splendens rubescit, nilq; acquirit ponderis. Causa est quod nitrum sulphureum eleuat sulphur vitrioli, quæ conjunctim agunt saltum in suum simile, id est in sulphur externum Mercurij, adeoque nil potest crescere, neque corrosiuam vim inducere.

Hucusque textus Calumniatoris Tackeni, & totum caninâ rabie & invidia plenum Capitulum. Ut autem omnes ejus iniquitates refellantur, & ori, quæ e- vomuit, rursus ingerantur; ordine progrediendum est. Primum est, quod iniquus falsarius denuo reiterat dolosum illud & falsissimum suppositum, quod superius contra fundatam & expressam nostram doctrinam, in Reformatorem tamen falsissimè retorquere voluit; dicens: *Hactenus his operationibus, quæ omnes acidis & falsis perficiuntur, nullibi apparuit alterius destructio.* In his nugacibus verbis quanta lateat fallacia & impostura, superius ad amussim demonstratum & enucleatum est: quod nimirum callidus impostor differentiam salium subiticeat, & semper salem communem pro omni sale, & in genere, pro omnibus salibus intellectum velit; salem Tartari verò, & reliquos sales omnes lixiviales vegetabilium, ut & animalium sales volatiles, pro nunc tantum non velit sales, sed, citra omnem rationem, & salium volatilium naturam, alcalia appellet: cum tamen in superioribus multoties salem tartari, & salem absinthii, ut & reliquos lixiviales sales herb. vulnerar. & diureticar. contra semetipsum, & propriam fallaciam, salia expressè appellarit: sicut superius, ex citatis textibus, videre est. Ut igitur, qui omnia bene perpendit & considerat, quæ superius ad oculum demonstrata sunt, clarè cernere possit, quod adversus semetipsum aut ignoranter, aut petulanter, loquatur, sibi turpiter contradicat, & testetur; Reformatorem verò mendaciis solitis, falsisque probris, contra claram ejusdem doctrinam, conspurcare unicè nitatur.

Secundò, inquit: *Sed eamus ad Rapsodiam reformatoris, quam superbo titulo Mantissam Hermeticam vocat.* Et in margine: *Quid Hermes de his nugis senserit reformator ignorat.* Respondetur autem; Reformatorem Mantissam illam Hermeticam D. D. Augustanorum neque construxisse, neque nomen ei imposuisse. Capiant proinde sibi D. D. Augustani hoc calumniatoris convitium: agnoscant autem suum Herculem defensorem, utrum melius adulari; an verò egregiè, sub specie defensionis, calumniari addidicerit. Verùm non miremini. Quis enim securus ab hac hydra? Tot Clarissimi & Celebrissimi Medici, Principum, Electorum, ac Regum, Archiatri, integra Medicorum & Jurisconsultorum Collegia, tot Universitates, Principes, Electores, & Reges, majoribus injuriis & calumniis hæc hydra aspersit; uti ex ejus Apologia, & Echo, fasciculis nimirum calumniarum, adversus Doctiss. Virum, Dietericum

tericum Helwig. apparet. Consolor me; consolemini Vos, quòd honori sit, ab iniquis & improbis scriptis & calamo proscindi. Nam: invidia virtutis pedissequa. Quærite & requirite primò hunc Thraſonem; quid Hippocrates Cous Senex de spurio hoc suo fratre Hippocrate Chymico sentiat, quòd eum toties præpoſtere adeò, & inappoſite, vel centies, ex lib. 1. de diætâ, ad ineptias & calumnias demonſtrandas, adduxerit, & Compatrem compellârit? Quærite ſecundò; quid divinus Senex de inſulla, ſed alcalizatâ hâc Hippocratica Philoſophia ſentiat aut ſenſerit, quam ſub divini Coi autoritate vult introducere? Requiritè tertio Hermetem; quidnam ipſe de his inſulis nugis Hippocraticis ſenſerit? Annon Hermes, ſi reviviſceret, alcalizatas illas nânias rideret & abominaretur, tanquam vacua alcalia vacui Hippocratis? Quærite quartò Viros doctos in Chymia peritos: quærite Reformatorem; annon ampliora in veſtrâ Mantiffa Hermetica contineantur, quæ Reipublicæ Medicæ emolumento ſunt, quàm in toto hoc alcalino opusculo? Et annon potiori jure & titulo veſtræ Mantiffæ competat cognomen Hermeticæ, quàm huic alcalizato opusculo inſcriptio: Hippocrates Chymicus? Verùm cavete impoſterum ab hac hydra, ſine fide adulatur, lachrymæ illi Crocodili ſunt, & ut habet Satyric: Fœnum in cornu geſtat; fugite: ubi riſum excuſſerit, nulli parcet amico.

Pergit Tackenius, pag. 186. *Vinum vendibile (ait Poëta) Hedera non indiget; quare huic titulo addat, vera præparatio, non video; ſuſpicor ne Reſinator more conſueſo, hac vana promiſſione nobis dolosè imponat, eamus illi obviam &c.* Mi Tackeni, ignoſce, quòd mihi vetus illud Roterodami occurrit: Profeſſor es hedera laſcivior, impudicus, audax, & temerarius. Quouſque tandem (loquor cum Tullio, in Catilinam) abutere patientiâ noſtrâ? Nondum terminus advenit, & petulantiarum tuarum complementum? Nec tot nimbus guttas fundit, quot tela, & propria quidem, in te retorſimus. Quis Hedera ſuſpenderit? An ego; an tu ipſus? Quis inaudita, admiranda, abſconſa, & occulta à ſenſibus & cognitione hætemus, promiſit, & crepundia mox edidit, furta Autorum impreſſit, Solaciſmos, Barbariſmos, Logiſmos, & mille Elenchos? An ego; an Tackeni? Profeſſor tu. Sic hætenus demonſtravi. Annon hedera ſuſpenderit, dum pro factis ampliſſima mendaciâ, & verborum crepitûs, redduntur? *Eas igitur obviam illi.* Viden? quòd ſuprà benè te fatuis virginibus compararim, quæ obviam ire iteratò ſponſo geſtiebant, ſed ſine oleo, neglectis lampadibus; in tenebris: quoniam lampades extinguebantur. Iviſti obviam Reſinatori, ſed & ille tibi: & ridiculè exceptum te Europa exhibilat. *Suſpicaris, ne Reſinator, more conſueſo, dolosè imponat?* Reſpondet Seneca, *libr. de moribus*: Hoc habet omnis affectus, ut, in quod ipſe inſanit, in idem putet cæteros inſanire. Sed vidimus ſuprà, quòd Scripturas noſtri. Igitur & tibi, Tackeni, Chryſoſtomus reſpondeat, *ſuper Matth. cap. 21.* Omnis homo ex ſe æſtimat alterum: fornicarius neminem putat eſſe caſtum: ſuperbus neminem putat eſſe humilem; humilis neminem putat eſſe ſuperbum &c. Mihi, quod addam, non occurrit.

Interim judicent æquiores arbitri, num Reſinator tam iniqua & maleſana convitia meritis ſit, qualia à malevolo experiri accidit; quòd in margine Animadverſionum, pag. 460. ſcripſit; Vera Mercurii ſublimati præparatio; ad modeſtam correctionem Mercurii ſublimati D. D. Auſtanorum? Utrum, inquam, hâc inſcriptione, aut marginali, cuiquam dolosè imponere potuerit. Agnoſcite verò exinde iniquam Calumniatoris Tackeni indolem. Annon potius ipſe, toties in mendaciis & impoſturis deprehenſus, toti mundo dolosè imponere velit, Mercurio ſuo maxime corroſivo ſublimato, ad medicamenta & uſu Medicû ſummè noxiò? Demonſtravi ſuperius rationib; firmis, & autorita-



tibus Clarissimorum Virorum, quòd Mercurius sublimatus, sine tanto corrosivo nitroso, ad usum Medicum aptior, & magis salutaris sit, quàm ille summè corrosivus, pro communi vulgò paratus: & quòd plurimi Doctiss. & Celebrim. Medicorum & Chymicorum, imò D. D. Augustani ipsi, ad eandem ferè normam sublimationem Mercurii, benigniorem nimirum, sine tanto corrosivo ad usum Medicum meditati sint. Ergo omnes dolosè imponunt, juxta iniqui calumniatoris *Tackenij* sententiam? Verùm quàm dolosè ipse nobis, & toti mundo, suo maximè corrosivo Mercurio sublimato imponat, clariùs demonstrabo. Notum est omnibus Pharmacopœis & Chymicis, quòd spiritus Vitrioli, spiritus Salis, imò & spiritus Nitri, quilibet per se, legitimè destillatus, spiritus sint salutes, ad usum Medicum aptissimi, debiteq; propinati, maximo sint emolumento: mixti verò efficiant Aquam fortem causticam, insalubrem ac deleteriam, vel solo odore suo cordi & capiti magnopere nocuam & adversam. Quid aliter inest huic maximè corrosivo & caustico Mercurio sublimato *Tackenij*, quàm talis mixtura corrosivorum spirituum, aqua fortis caustica, naturæ humanæ adversa, ex vitriolo, sale & nitro? Hæc enim Mercurius in ipsa sublimatione solvitur, ac unà in solidam compagem corrosivam reducit & elevatur. Ex hoc fundamento infallibili judicium ferat prudens & expertus Medicus & Chymicus, quàm dolosè ipse *Tackennus* nobis imponere velit, cum suo maximè corrosivo & caustico Mercurio sublimato, ut illum ad Medicum usum præferamus Mercurio sublimato salutari, probè purificato, nec tantopere caustico; prout Reformatore, & alij Docti Viri, & Chymici, illum edocuerunt. Verùm excuso stupidum & ignorantem hominem præcocii judicii, quoniam in tantum non penetravit, aut scrutatus est naturalia, eorumque mixturas, nec homogenea & heterogenea discernere & dijudicare novit: blaterat de die innumera, nesciens quid dicat, quæque scribillet noctu. Cæcutit proinde, & perspicillis opus habet rudis homo, & indocta mentis, ut cernat, quam ob causam scripserim in Animadv. m. & quidem in margine, citato loco: Vera Mercurii sublimati præparatio. Hoc enim patet ex veteri non solum D. D. August. præscripto modo, qui mancus est, & minimè practicable: sed vel maximè ex ipsius *Tackenij* summè caustico sublimato Mercurio elucet; qui ad medicamenta salutaria exinde conficienda valde nocuus est. Et quemadmodum nunc clarum est, quòd adjecta, in Animadversionibus, Mercurii sublimati præparatio verior sit antiquâ præparatione, & vel maximè calumniatoris nostri corrosivâ sublimatione: non iniquè igitur, nec dolosè, Reformatore, in margine, apposuit: Vera præparatio. Dolosus verò impostor & falsarius, *novus Hippocrates*, non solum suo caustico nobis imponit Mercurio; sed insuper textus & scripta Doctorum Virorum corrumpit, mutilat, & pro lubitu suo detruncat; uti ad oculum sæpissimè demonstratum est: & hic denuo falsum committit, dum textum Reformatoris ex Animadversionibus, loco citato, mutilatè & præposterè adducit; nimir: *Mercurius inquit; rectè sublimatur cum Sale & Vitriolo*: textus verò genuinus Reformatoris talis est: Mercurius sublimatus rectè quidem cum sale & vitriolo paratur (scilicet uti D. D. Augustani, & alij docti Viri, ipsum descripsere.) His verò paucis verbis, falsè allegatis, addit calumniator statim solitas cavillationes, dicens: (*mirum quod non timeat, acidi Vitrioli destructionem à sale*) sed quia sic ab aliis scriptum invenit, saltem addit: *Vitriolum Cautè Calcinari debere, ne privetur acido spiritu.* Textus iterum genuinus Reformatoris, cum superiori continuato sensu, ita sonat: sed necessum est, ut Vitriolum, quod ipsi additur, ita calcinetur, ne suo corrosivo aut spiritu acido privetur.

Hæc

Hic iterum abruptum falsarius, & pergit ita cavillari: *Sibi videtur hic aliquid magni momenti admonere. Ut etiam: quod sublimatio bis terve reiteretur novis speciebus sale scilicet & vitriolo.* Talis verò, cum continuo superiori sensu, textus est:

Quantitas item præscripta Vitrioli & Salis non sufficit, præsertim si corrosivus (uti ex sequenti dulci subl. apparet) reddi debeat Mercurius; necessum igitur est, ut non solum pondus eorum duplicetur, sed & sublimatio Mercurii, additis semper recentibus speciebus, sale scilicet & Vitriolo, bis terve reiteretur, donec in crystallinam compagem elevetur. Huic ita & taliter detruncato ac corrupto

textui, porro addit (*mirum quod non timeat, acidi vitrioli destructionem.* Verum intellexisti fortè, *Tackeni*, quantum Reformatore reformidet garrulam linguam tuam, & mendacia ratione falsi & acidi, quæ simpliciter, & sine distinctione, aut differentia salium, sibi invicem contraria esse, in Reformatorem iniquè & falsissimè, contra claram ejus doctrinam, retorquere niteris. Incidis ipse in Scyllam, cadisque in foveam, quam Reformatore struxisti. Porro ais: *sed quia Reformatore sic ab aliis scriptum invenit, saltem addidit; Vitriolum cautè calcinari debere.* Optimè addita est, & quidem necessariò, hæc admonitio à Reformatore.

Imprimis enim non dissentit is ab aliis Doctissimis Medicis & Chymicis, qui hoc pariter volunt & docent. Secundò uti nullibi D.D. Augustanorum Compositiones in ingredientibus suis immutavit, nec textus eorum adulteravit: sic neque in hac Mercurii sublimatione, ab æquo suo instituto deviare, sed ingredientia, pro sublimatione Mercurii, ad Medicinam aptissimi, prudenter apposita, in suo vigore persistere, & nequàquam immutare voluit: defectum saltem in pondere & quantitate necessariò addendis supplendo. Vitriolum porro cautè calcinari debere, necessaria pariter admonitio est: quoniam diversos gradus calcinatio vitrioli habet. Mox enim calcinatur illud saltem ad fornacem, vel saltem in Sole, æstivo tempore, ad albedinem: mox in ollâ, super igne; in quo per se liquatur, & coquendo à nimia humiditate & aquositate elementari liberatur, ac ad siccitatem reducitur; fitque cineritii coloris, pro ulteriori destillatione spiritus aptissimum. Aucto verò paulisper igne, calcinatur illud ad flavedinem, & aliqualem rubedinem. In his levioribus calcinationibus retinet vitriolum spiritus suos acidos: si verò ulterius, ad perfectam rubedinem, aut totalem pruniciem, calcinetur, violento igne, profectò privatur omnibus spiritibus, capite mortuo effecto residuo. Annon igitur necessaria illa admonitio: ne suo acido spiritu in calcinatione privetur? Quoniam, si perfectè Vitriolum calcinaveris, ad totalem spirituum expulsionem, frustra illud addideris Mercurio, pro ejusdem sublimatione: adeoque ad opus sublimationis planè inutile foret, nisi quod liquefactionem saltem, & conglobationem salis adjecti impediret; at verò absorberet citius ipsos salis spiritus, antequam Mercurium attingerent, sic pro majore sui parte Mercurius adscenderet vivus semper in sublimatione. Liqueat proinde, quòd, præter indoctam *Tackeni* mentem, omnino necessaria sit & fuerit fidelis hæc Reformatore admonitio, de calcinatione Vitrioli debita; & quidem, uti scribillat Calumniator, pag. 186 lin. 20. *magni momenti.*

Quærit ulterius indoctus Cavillator, pag. eadem, lin. 23. *sed, ad quid, hæc repetita sublimatio cum novis speciebus? Mercurius enim semel saturatus, acidis spiritibus, ad quid reiteratus labor? præcipuè si verum est, ut & verissimum in natura, quod omnia reguntur certis numeris ponderibus & mensuris, juxta illud Poeta.*

*Est modus in rebus, sunt certi denique fines,*

*Quos ultracitraq. nequit consistere rectum.*



Stupidissima & indocta *Tackeni* quæstio, & absurdissima desuper Hippocratica assertio tanti Viri; vix digna puero! Quis enim inter doctos Medicos, & Pharmacopœos, imò, qui vix à limine tantum Chymiam salutarunt, Tirones, nesciat, quòd Argentum vivum simplex sit corpus maximè impurum, nigredine inquinatum, adeoque summopere egeat purificatione, præsertim si usui Medico destinatur? Quæ autem trita magis & legitima Mercurii purificatio est in Chymia, quàm ejus repetita sublimatio & revivificatio? Quà arte, quaque operâ, redigitur Mercurius dulcis in crySTALLINAM compagem & puritatem, quàm per repetitas sublimationes? Nonnè Mercurius nigerrimam deponit materiam, fuliginis instar, in primâ; sic etiam in secunda; & quandoq; in tertiâ sublimatione: quæ necessario est separanda, ut tandem in puram & crySTALLINAM vertatur compagem? Penes me asservo talem Mercurium, meâ operâ, & secundum meum præscriptum modum, dextrè sublimatus, qui crySTALLO similior, quàm Mercurio; per repetitas sublimationes & purificationes, separando purum ab impuro, & nigredine ablatâ, eò redactus. Quis nescit inter Chymicos veros & expertos, quòd Mercurius vivus repetitis sublimationibus & destillationibus ad tantam reducatur puritatem, ut lachrymas oculi æmuletur? Ad quid, nisi ad balneum Regis, aut, si mavis, ad Medicinam? Et noster Hippocrates Philosophus ignavus, & Chymicus nullâ experienciâ edoctus, tam levità & trita ignorat, aut studiò ignorare cupit, ad cavillandum Reformatorem; ubi meritò laudandus & deprædicandus.

Porro quæris, *Tackeni*: *Mercurius semel saturatus acidis spiritibus, ad quid reiteratur labor?* Dicam, & respondebo Idiotæ: Mercurius non est vacuus, uti tua alcalia: ergò non saturatur acidis spiritibus, uti tua alcalia vacua; sed dissolvitur, corroditur tantum, & potest per salia purè falsa iterum ab acidis spiritibus separari, & vel simplici fermento panis, resuscitari, & in pristinum suum esse restitui. Quemadmodum salia purè falsa, utpote Tartari, & lixivialia, quæ & tibi salia, sunt acidis spiritibus contraria: (crepent tibi licet ilia) adeoque acidus spiritus, quibuscum Mercurius solutus est, destruunt, & Mercurium denuo à vinculis acidorum spirituum liberant. Discas porro, quòd dispar longè ratio sit, salia purè falsa, utpote Tartari, lixivialia alia, volatilia item animalium, spiritibus acidis saturari; longè verò alia res, Mercurium acidis spiritibus dissolvere. Mercurius enim non solum spiritibus acidis solvi; verum etiam magis vel minùs corrosivus; imò malignus & causticus, uti tuus, reddi potest. Potest, inquam, solvi spiritibus benignioribus Medicinalibus, vitrioli nimirum & salis: potest iterum solvi spiritibus maximè corrosivis & causticis, utpote aquâ forti, & spiritu nitri: potest itidem sublimari benignioribus rebus, utpote cum sale communi, & Vitriolo leviter calcinato: sicut Reformato, & alii Celeberrimi Viri, & Medici præcepere, ut benignus sit & Medicinalis. Tuus verò summè causticus sublimatus meritò est reprobandus, & ab usu Medico arçendus. Mirare igitur ipse, *indocte Philosophè*, tuam ignorantiam in Chymicis, stultam & infantilem quæstionem, ac iniquum desuper prolatum judicium. Est proinde, uti suprà dictum, planè alia res, Mercurium, vel metallum quoddam, acidis spiritibus solvere; alius labor, tua vacua alcalia acidis spiritibus saturare. Hæc non recipiunt magis vel minùs, pro legitima suâ saturatione: illæ verò solutiones, aut sublimationes mercuriales suscipiunt magis vel minus de corrosivis spiritibus: mox benignæ, mox corrosivæ magis, & maximè causticæ reddi possunt. Sic Mercurius sublimatus Reformatoris ab acidis spiritibus, in primâ sublimatione, non corrosivus redditur; ut neque in secunda. Quare? Quia Reformato hoc non desiderat: verum vult per has binas sublimationes antecedentes Mercurium purificare, & à sua nigredine & heterogeneitate

tate liberare, ut tandem in tertia sublimatione ad perfectam reducat puritatem & solidam compagem crystallinam. Vult, inquam, Reformator Mercurium ad usum Medicum, & salutaria exinde conficienda medicamenta, sublimare, minus violentis & causticis corrosivis. Hæc est, uti puto, vera Reformatoris responsio, ad stultum *Hippocratis novi* quæsitum, ac immaturum ejus perversumque judicium. Verificatur autem hæc responsione, quod insipiens unâ horâ plus possit inquirere, quàm sapiens integro lustro respondere. Cognosces tamen ipse, mi *Tackeni*, verum esse, quod omnia regantur certis numeris ponderibus & mensuris: sed tu iniquis tuis affectibus regi nequis. Non est numerus tuarum calumniarum, nec pondus tuæ iniquitatis, nec etiam mensura tuæ imposturæ. Est porro modus in rebus; sed modum nullum observas in ferendis injuriis: sunt certi denique fines; sed non est finis tuarum absurditatum, eò,

quod ultra citraque nequis compescere labrum.

Consultius egisses, *Tackeni*, meo suffragio, si, neglecto Reformatore, proprias tecum egisses rationes; ac in sinum tuum dexteram prius misisses, expertum, an non eam fors lepra contaminet, qui scabiem in vicino reformidas. Non est, profecto, Philosophus, qui, se neglecto, peregrinas rationes suscipit, aut cœli cursum considerat. Nihil enim est, quod in humanis minus ferendum, quàm rationes vitæ ab altero reposcere eum, qui non potest suæ reddere. His deferendi munus competit, & inculcare debent alios, qui nullo præpediuntur delicto. Veniam igitur dabis, si cum Phariseis, mulierculam illam adulterii convictam incessanter denuntiantibus, te hodie expediam aut comparem: jacito primus lapidem in Reformatorem, *Tackeni*, si te nulla redarguit culpa, & conscientia vermibus non excruciat.

Quæ porro sequuntur, pag. 187, & utrum Arsenicum, tanquam periculosa merx, Mercurio in ejus sublimatione misceatur, ipse *novus Hippocrates* viderit & deciderit: me latet per experientiam, qui ejusmodi artifices non examinavi. Arsenicum interim esse summæ activitatis virus, notissimum est nobis; & integri de eo Tractatus extant. Vide enim Paracellum, Crollium, Dioscoridem, Fuchsum, qui Arsenicum vocat Cadmiam argentariam venenatam; Matthiolum, Geberum, in summa perfectionis, seu perfecti Magisterii, Libavium, Plinium, lib. 35. c. 6. & recentissimè commentantem doctissimum Kircherum, in *Mundo subterraneo*, Tom. 2. lib. 9. sect. 1. cap. 12. de venenorum consensu: item lib. 9. Tom. 2. sect. 3. de Imperfect. metall. cap. 2. de mineralibus ex sulphure originem ducentibus: Tom. item 2. lib. 10. sect. 2. cap. 2. de Morbis fossorum; ubi de malignitate Arsenici: Tom. denique 2. lib. 10. sect. 3. cap. 11. de Conditionibus Fodinarum, & Arsenici fodinæ &c. quibus citatis locis & libris talia reperiēs, quæ te totum pudore perfundent ac erubescere facient; quod, tanquam novus in orbe Hippocrates, tales tamque leves commentatiunculas edideris; & quidem suspensâ hederâ, & luxuriante pampino: dum aliud præco non vociferaretur, quàm venite; huc adeste veritatis amatores, vos admiranda & jucunda tractabitis, absconsa & occulta à sensibus &c. pag. 7. Et tandem parturiere montes, natus est ridiculus mus, obstetricante *Tackenio*: uti Amico Lectori palam fiet, si citatos Autores gravissimos, ac de Arsenico, & reliquis, argumenti majestatem observaverit, ac, quantum distent lux & umbra, deprehenderit. Quod autem argenti structura cum stanno & argento malè successerit *Tackenio*, utpote superinductâ paralyfi, suffocationis metu, & subsequente chronico affectu; ultrò citroque credo. Posuit enim natura ejusmodi vel custodes, vel satellites, ut curiosulos, & audaces nimium, Alcumistas arcerent, & pro meritis castigarent, *Tackeni*. Neque enim Sophistas, sed Mystas, & secretos arbitros, Deus & natura admittunt & inaugurant.



Disce proinde cautiùs de muscipula convivari. Quæ autem, pag. 189. lin. 14. scribis, de Hospitali splendidissimo Wonsiedlæ in Voitlandia, Anno 1465. à quodam, Sigismundo Wan, cive Wonsiedlensi fundato, qui artem hanc norit ex stanno & argento, beneficio Arsenici, Lunam conficiendi, ex pag. tua 162. decidi debent, in qua ais: *Si loquor absque veritate erubescam*: Profectò, meritò erubescere debes: quia alia mihi de hoc Hospitali informatio præmanib<sup>9</sup> est; utpote qui illuc multis annis vitam egi. Est ibi Hospitale; sed splèdida in eo miseria; utpote in quo pauculi miserculi doliarem agunt vitam, sive fabricam, sive victum spectes. Videas adeoque runores iterum divendis, ac consuetæ indulges hyperboli. Sed sint vana profanis.

Devenio tandem ad sublimationem ipsam Mercurii corrosivi; quam noster Hippocrates Tackenius in tantum commendat. Non æmulor, neque invideo, quòd dexteriores parandi modum, pro vulgari & communi usu, possidet. Utinam meliora quæque obtineret, ad publicum emolumentum & Reipublicæ nostræ majestatem. Sed vereor, ne, si larvam huic deponamus Secretario & Chymico, alius sit arcani hujus Autor, & primus notor, quàm Tackenius. *Loqueris absq. veritate, nove Hippocrates; erubescere, pag. 162.* Non hæ tibi debentur primitiæ; sed Pharmacopœo Germano (apprimè nosti) qui in Hidria, ditione Cæsareâ, hanc sublimandi artem Mercurii corrosivi prior Europæ manifestavit. Quâ autem ratione, invito Domino, eoque mortuo, tibi hæc fera ac venatio obtigerit, de quâ tantum nunc garris, ac si nusquam & nunquam, ante tuam revelationem, Mercuri, fuisset sublimatus; ego ignoro. Forsan bonus Vir, aut ejus hæredes, non observarunt illud Erasmi, in Adagiis, consilium: *Que uncis sunt unguibus, ne nutrito*; neque viros caduceatori & Mercurio devotos. Ut ut sit; priusquàm hæc ad buccinam, vel ad sistrum, à te, Tackeni, erant promulgata, jam olim Chymici & Mechanici noverunt Mercurium corrosivum laudabiliter sublimare; & sublimabunt adhuc post fata tua, *magne Hippocrates*; licet tecum natas & desituras iterum credas Musas. Quòd interim de aliena lanâ quæstum feceris, ac sublimandi hunc arcanum modum Veneto cuidam Mercatori magno ære vendideris, utrinque indicto silentii perpetui sacramento; laudo iterum, in villico iniquitatis, consilium & astum. Rem tamen magnam feceris, si fidelis sis, Zoile, vera communicando: quia *molliculus* tuus *caseus* est, & silentii perpetui jura concernit. Viderit autem ille, qui tuis oblectatur commerciis; utrum realis; num perjurus sis. Reliqua, quæ adducis, parerga, de necessitate vitrorum capacium; de capacitate vasorum, ut quodvis eorum capiat mixturæ septuaginta duas circiter libras; de capitellis! de fornacibus; de ignis moderamine: hæc, profectò, apprimè sunt consideranda, antequam opus hoc aggrediamur; utrum nimirum veritatem sapiant: de qua tamen non levis oboriri posset dubitatio. Posse autem interim aperto igne, viâ, & modo Reformatoris exactè descripto, sublimationem dextrè institui, compendiosiore labore, paucis sumptibus, & minori temporis ac carbonum dispendio; per experientiam verissimum est, mihiq; tritum ac notissimum. Neq; nugæ sunt, ut, pag. 14. ais, *nugacissime Tackeni*, sed veritatis axiomata, & in Praxi tutissima Reformatoris inventa.

Nec immeritò etiam ego abstequæro, Tackeni: quòd si, uti asseris, Mercurius sublimatus ex acido Vitrioli rubificati nihil ponderis assumit, pag. 192. lin. 27. ac salia, scil. Nitri, & commune, solum Mercurium dissolvunt, eiq; tantum ponderis incrementum addunt, pag. 191. lin. 20. & pag. 192. *linea penultima*: ac nihilominus, post peractâ sublimationem, caput mortuum, omnibus spiritibus privatum, in residuo manet, & reservatur: de quo capite mortuo, novis semper aut recentibus sublimationibus quinquaginta libræ sunt adjiciendæ, pag. 190. lin. 7. quorsum tamen migrent spiritus Vitrioli rubificati, & quidem ex quadrin-

quadringentis ejusdem libris, sali nimirum communi & nitro, pro tua sublimatione Mercurii, adjectis? Quisnam horum, scilicet spirituum Vitrioli, rector, aut singularis ductor sit, qui illos à spiritibus salis & nitri, in ipsa sublimatione, segreget; & quorsum illos ducat, si nullibi, peractâ sublimatione, reperiantur (forte ad vacuum tuum, *Tackeni*) neq; etiam in capite mortuo residuo amplius sint, (implicat enim, caput mortuum esse, & plenum adhuc ac integrum suis spiritibus) neq; in aqua forti, in sublimatione collectâ & prolectâ, *pag. 191. lin. 28.* quoniam si in paucula aqua forti spiritus illi Vitrioli essent & existerent, unâ etiam cum spiritibus salis & nitri necessariò ad dissolutionem Mercurii concurrissent? Hoc enim negato, spiritus Vitrioli *Tackenio* non ens est: nihil est. Ergo gratis additur Vitriolum reliquis salibus, pro Mercurii sublimatione, & quidem in tanta mole, & quantitate, quâ reliqua salia omnia superat. Ad quid igitur perditio hæc esset, & impostura? Probationes, quas ille novus Mercurialis sublimator affert, *pag. 193.* inefficaces planè sunt, & multas involvunt absurditates; sunt conceptus inanes, nullo fundamento subnixi, aut demonstrabiles; & habent abditas & occultiores causas, *novelli Hippocrati* adhuc incognitas. Non proinde Reformator aberrat, nec cuiquam imponit, si Vitriolum (non caute, uti *Tackenius* mentitur, sed) ita calcinare docet, ne suo corrosivo & acido spiritu privetur, *pag. 460. Animadvers.* Si tamen erraret; tunc necessariò & tu, *Tackeni*, crassissime erras, scienter imposturam ingentem committis, & toti mundo imponis: quoniam ipse (consciens nimirum imposturæ) Vitriolo rubificato, id est, cautè ad rubedinem tantùm calcinato, in tantâ mole & quantitate, pro eadem Mercurii sublimatione uteris, & strictè eum addere præcipis. Neq; etiam Reformator unquam asseruit, aut verbulum hac de re protulit, quòd nimirum aut vitriolum, aut sulphur cujuscunq; sit generis, vel vim corrosivam, vel pondus Mercurio addat: uti apertè, & turpiter iterum, prodigioso figmento nos aspergis, *pag. 203. lin. 6.* Syncategorematicum mendaciorum infinitum hoc est, nunquam tot, quin plura producat; cùm in unâ ac alterâ lineâ tribus vicibus à veritate devies: nimirum vitriolum, aut sulphur, Mercurio pondus addere, ex mente Reformatoris; cùm tamen ne per somnium talia Morpheus ingesserit, nedum ego docuerim: cùm interim manifestè hunc calumniatorem convincant meæ *Animadv.* & textus, *pag. 460.* qui talis est: Necessum est, ut Vitriolum, quod ipsi additur, sc. pro sublimatione Mercurii, ita calcinetur, ne corrosivo suo, vel acido spiritu privetur. Ex hoc paragrapho qualem deducis imposturam, *Calumniator*? An quia pro Mercurii sublimatione Vitriolum additur? Si hoc affirmas, tunc vel centies nobis imposuisti, *Tackeni*, qui quadringentas libras Vitrioli, eodem modo calcinati, quo Reformatoris, uni subjicis sublimationi: prout ex *pag. tua 190. lin. 8.* luculenter apparet. Annon hoc est festucam in Reformatore videre, & sudem proprio oculo infixum, hirsuto ingenio, calloso cerebro, & obtusâ mentis acie, non animadvertere? In Reformatore arguis & taxas, quòd pro tribus sublimationibus, more Veterum, & ipsorum etiam D.D. Augustanorum, assignet sex circiter libras Vitrioli debite calcinati; & hanc sententiam imposturam dicis; & tu, *Nugator novissime*, quadringentas libras ejusdè calcinati Vitrioli pro unica tua sublimatione assignas? Et hæc impostura non est? Sed quid multis immoror? Cur *Tackenio* succenseo,

ut pueris placeas, & declamatio fias?

Malevolorum jacta tela libero calcanda pede. Annon hîc iterum verificetur, quod, de novo Hippocrate *Tackenio*, D. Martinus Weissius, Archiat. Elect. Brand. datis Berolini, 19. Januarii 1653. his formalibus scripsit: *Impudentissimus homo (scil. Tackenius) qui obtreccationibus, mendaciis, dolisq; famâ sibi acquirere statuit &c.*



Consulat Amicus Lector typis evulgatam Epistolam; & plura his affinia reperiet, quæ modesto silentio obvelo. Multos prætereo rumores & susurros, quos hic Blatero excirat, partim commendando illimatum ingenium, & novam suam artem Hippocraticam; partim nobis cramben recoquendo, de mystico suo Mercurio sublimato summè corrosivo; de quo canit, sine fine crocitando, ut corvus nactus cadaver; partim deniq; in Reformatorem, & alios Viros integerrimos, calumnias suas & virus dispergendo. Unicum hoc defuit, quòd ex primo, de diætâ, libro, & Hippocrate Coo, nullam subscripsit auctoritatem; Capitulo addens Colophonem. Relinquamus interim totum in laudes effusum Tackenum, & accedamus ad

## CAPITULUM XXV.

quod inscribitur:

*Minerva manum movet* : pag. 193.

Cur non tibi? Elegans iterum connexio, & ex re nata inscriptio. Quid igitur Minervæ manus ostendit? An tactum dat, pro aphonia & dissona mendaciorum Musica tua, Tackeni?

*Quod autem Mercurius vulgi habeat sulphur externum inquit, & se-  
parabile de Essentia Mercurij, ultra Gebri (a) & aliorum sapientum testimonia, docet  
etiam Experientia, hic & ubique certissima rerum magistra, hac mechanica.*

a. 2 part. li.  
2 sum. per-  
facto.

*Immitte Mercurium mundum ac purum phiola plani fundi, oris angustissimi, &  
coque in arena, primò lento & moderato igne, postea fortiori, eo gradu; ut Mercurius  
ascendere nitatur, quod si contingit simplici motu fac ut recidat, hac via sine ulla alia  
additione præter externum ignem, sit præcipitatus rubeus splendens similis illi, qui cum  
aqua forti ex vitriolo & nitro præcipitatus fuit, & nil acquirit in pondere neque dimi-  
nuitur, quatenus portiuncula proprij sulphuris illum mortificavit, & rubificavit, sicut  
in aqua forti ex nitro (sulphureo) ostendi. Sulphuris nimirum proprium est rubificare  
Mercurium, ut etiam in cinnabaris præparatione demonstravi, qui etiam nil in ponde-  
re acquirit, quod a nostris attente considerandum plurimum enim inter est.*

Sulphur ru-  
bificat Mer-  
curium.

*Hunc præcipitatum rubrum vel per se factum, vel cujuscunque conditionis, com-  
misce cum sale communi, compositum hoc, urge moderato igne, & eleuatur tunc in sub-  
limatum corrosivum: neque hoc loco obfuit sal acidis sulphuribus, imò sine sale ex rubro  
præcipitato, nunquam fieret sublimatus corrosivus, ut neque Mercurius cresceret in  
pondere.*

*Sic præcipitatus ille, quem Crollius Turbith minerale appellat, quatenus fit cum  
spiritu vitrioli vel sulphuris non rubescit, quia parum de sulphure vitrioli, absque nitro  
eleuatur in distillatione, sed propter symbolum, quod habet, agendo in sulphur Mercu-  
rij, flavescit, nil que ponderis acquisivit, postquam aluminosus sapor aqua calida ab-  
lutus fuerit.*

a. de febr-  
bus cap. 15.  
§. 6.

*Vires omnium dictorum præcipitatorum sunt aequales, vomitus mouent gingiuas  
corrumpunt, & repetitis vicibus assumpti execrandum pyralisimum promouent: hinc  
Helmont (a) quam diu mercurius vulgi reuiscari potest, non est boni viri remedium:  
Nam sicut omnia pharmaca sunt venena, respectu nostri, & non excrementorum, nos-  
que potius quam morbos adorianur, sic & præcipitatus vulgaris Mercurij. Hinc etiam*

a. de medi-  
camentis  
purgan:

*Hippocrates meus (a) nemo medentū per assumpta laxatiua spondere audeat sanationem.  
Et quamuis multi affirmant, quod Mercurius, sine additione corrosiui, sed per se  
præcipitatus, sudores valde moueat, & ea de causa febres omnes planè, tam continuas,  
quam intermittentes tollat; sexies vel septies exhibitus, luem veneream penitus era-  
dicet; verum non est; sed ut dixi propter suum sulphur, utcumque diligenter via  
communi sit tractatus, semper ibidem est Mercurius.*

b. li. de dia-  
ta.

*Et licet sulphur, magno ingenio & arte, ab eo sequestratum fuerit; ut vacui im-  
patiens; rursus paruo temporis spatio, nouo & simili reinduit se: docente id magistro (b):  
seorsim, neq; sibi, neq; ulli alij sufficiens est; imò, præter experientiam; confirmat id Ge-  
ber,*

*ber, reliquorumq; sapientum turba: hinc admodum eleganter Aurei seculi Autor (c) Saturnus annus illius, illum ex mera ira, in id, quod fuerat, iterum commutat: Et proinde πολοποικέλος hic spiritus, & Mercurij nomen adeptus est. Hac ita se habere, norunt illi, qui has transferunt arumnas.*

Quod Mercurius sulphure gaudeat externo; sitq; hoc separabile de essentia & esse Mercurii: est novum dogma; novi Legislatoris novum commetum. Quis unquam Mercurio appinxit duplex sulphur, internum, & externum? Fortè quia duæ alæ ipsi finguntur Mercurio; ergo & duplex sulphur? De quo nec Geber, nec ullus Philosophorum, quidquam meminit; neq; experientiâ comprobatur. Est autem omnium Philosophorum unanimis consensus; Mercurium corpus esse uniforme, semper sibi idem; quod sit totus in igne constans, aut totus profugus; aqua etiâ sit, non madefaciens manûs; naturâ suâ simplicissimus; Protheus Chymicorum, in varias formas transfigurabilis; albus externè; internè verò totus igneus & rubeus. Quippe quod simplicissima ejus demonstrat præcipitatio, absq; ullâ rerum aliarum additione facta. Quam præcipitationem tamen novus Legislator erroneam proclamat, pro suâ nimirum sententiâ demonstranda; quamvis ipsi è diametro apposita sit, & contrarium evincat; quod illa rubedo nō sit externum ejus sulphur, sed potiùs internum aut essentialè. Licet enim per resuscitationem, dissolutionem, aut sublimationem, illa iterum obscuretur rubedo; non tamè aufertur, aut auferri potest, sed remanet Mercurio inseparabili fœderis nexu juncta, quamdiu Mercurius formâ & substantiâ suâ constat. Nam sicut facilius est, uti Philosophi loquuntur, Aurum construere, quàm destruere; sic, de Mercurio loquendo, facilius erit, Mercuriū producere, quàm ipsum suâ rubedine, essentia, ac sulphure privare. Hoc enim ablato, non est amplius Mercurius, sed mortuum & exanime corpus. Mortificari autem & rubificari Mercuriū propriâ sulphuris externi particulâ, *p. 194. lin. 15.* stupidissimum novelli Hippocratis assertum est, & falsissimus Aphorismus. Verum dato uno absurdo, sequuntur plurima. Hoc enim dogmate vix prolato; statim hac ipsa *pag. 194. l. 26.* totâ metâ aberrat, quando scribit: *Hunc præcipitatum rubrum vel per se factum, vel cujuscunq; conditionis, commisce cum sale communi, compositum hoc, urge moderato igne, & elevatur tunc in sublimatum corrosivum; neq; hoc loco obsuit sal acidis sulphuribus, &c.* O stolidum pecus, in ignorantiz abyssum demersum! Si mortificaretur Mercurius propriâ sulphuris particulâ, quis redintegraret ipsum sale communi? Porro, si cum sale communitalis præcipitatus rubeus, absq; additione paratus, sublimatur: is neutiquam evadit corrosivus, sed medicinalis, & ferè dulcis: non fit similis, *Tackeni*, tuo corrosivo Mercurio. Quare? Quia absq; nitro & vitriolo sublimatur; è quorū commixtione vis caustica & maximè nocua emergit. Præterea: *Sal non obsuit* in hac sublimatione, seu *hoc loco, acidis sulphuribus*. Quibus sulphuribus acidis? Dic, *obscure Magister*, amabo! Habentne metalla, & Mercurius vivus, acidum sulphur inflammabile & combustibile; cujus acidus spiritus obsit & contrarietur salibus purè falsis? (dico, salibus purè falsis: quod tandè, tuo imprimas cerebro, velim) Extraxistine unquâ è tuo vacuo tale sulphur inflammabile ex metallis, quod acidum præbeat spiritum? Extraxistine, inquâ, acidum illud venenosum, sulphuris Mercurij, *pag. 199. lin. 17.* quod absorbeat ventriculorum alcali, & ejus socium? Quis est socius ille bonus? Phasmata sunt tua, mi *Tackeni*, quæ nullam sapiunt veritatem, sed meritò ridentur. Sicut enim Mercurios elicuisti corporum & metallorum ex auditu & incerta relatione: ita pariter hæc sulphura extraxisti, parasti, & vidisti nunquam; quoniam in rerum natura non sunt; ergo neque in metallis, aut Mercurio.

Quid, quæso, garris, *pag. 196. lin. 20.* & toto illo paragr. de sequestratione sulphuris à suo corpore, scil. Mercurio, & quod rursus reinduit se simili & novo, vacui impatiens, docente id Magistro, scil. Hippocrate *Coo, lib. 1. de diata: scorsim, neq;*



sibi, neq. ulli alij sufficiens est; &c. Non pudette, viris doctis talia scribillare, ac tam turpiter & indoctè nugari; textus quoque Hippocratis Coi ad hæc nugamenta perperam & violenter adducere? Quis abstineat à risu, si hæc legerit?

Ex auditu porro, & incerta relatione habes, ut ipse fassus es, & recensui. sti, quòd Mercurius vivus ex Luna inopinatò semel fuerit factus. Ab illo tempore Mercurios, ex corporibus perfectis metallorum regeneratos & resuscitados, continuò teris: quamvis nec granum eorum confeceris ipse, nec unquam videris; de iis tamen fers iudicium, sicut cæcus de colore. Quod apparet, pag. 197. paragr. 2. ubi ais:

Metallum perfectum esse argenti, utrum non ignorem, a. quantum non noxia corpora tardant? Virgi.

simile non est idem.

Cum verò de argento aut alio perfecto metallo sit regeneratus ac resuscitatus, ut & quod necessarium sit mundificatus (a) & requisito suo, præcipitatus ad rubedinem, sit medicamentum non contemnendum, quod neque purgat, neque vomitus movet, nisi indiscreta dosi. Aurora tamen Philosophorum non est, licet irides tanquam pavonis cauda, & varij & admirabiles colores, in vitri pariete, & in ipsa materia appareant, eodem fere modo, ut chalibi sulphureo contingit, sub artificis manu, pro lubitu.

Proh! immane quantum! Quis non juraret per omnes cælos; per Stygem & Acheronta: te non solum esse Hippocratem, & quidem Chymicum; sed ipsum Hermetem Trismegistum, cujus anima fortè ex Orco aut Limbo, redux novâ metempsychosi tibi infusa fuerit? Quis non crederet, te manducasse de Aurora illa Philosophorum; quia tam acutè de illa scribis, eleganti similitudine, sumptâ de vitriolo & chalybe? Verùm sicut in margine hujus textus verè addis: simile non esse idem: (res mira ex Logicâ, relativorum terminos distingvi, à quo, & ad quem, qui similitudinis relationem, uti & dissimilitudinis, fundant, juxta quos similia sunt dissimilia, & dissimilia sibi similia) ita certissimum, tuam similitudinem non solum magnopere claudicare; sed cuncta, quæ in hoc paragrapho effutis, à tuo intellectu & captu esse longissimè remora. Pro Aurorâ illâ Philosophorum nobis sufficere debet inanis tua grandiloquentia: pro pavonis caudâ, tua, hac in re, inscitia: pro factis deniq; verba & hyperboles.

Spernis Sendivogii Panaceam, hoc in paragr. pag. etiam 197. lin. 27. quam Crollius, vir doctus, oculis inspexit propriis, & de illâ testatur, ac laudabiliter scribit; ac si tu judex & pater futuri sæculi esses; nec non prætorum etiam arbiter, & censor Doctissimorum Virorum hujus & retro actorum sæculorum.

Quam acutè porro loqueris de materia prima & universali, pag. 198. lin. 11. dam illam nobis indigitasse ais, præter Hippocratem Ovidium, lib. 15. metamor. Tempus edax rerum, id est materia prima, consumit in tempore, quicquid ex ea productum fuit; (arrige aures, Pamphile) hinc Antiqui: saturnum devorare proprios filios dixerunt, ut testatur Venerabilis Pythagoras: omne secretum inquit est in saturno. Id est, in antiquissima & prima materia, de qua nunc satis. In Hippocrate verò Coo, præsertim in libro 1. de diætâ, nihil habetur, si bene memini, de materiâ primâ (ut neque de sulphure Mercurii) Ovidio gratias habemus, quòd illam nobis per tria hæc verba: Tempus edax rerum: indicare voluit: Tibi verò, Philosopho Hippocratico, gratias debemus, pro fideli & docta materiæ primæ, ac trium istorum verborum Ovidii, explicatione. Quis enim magis eruditè nobis explicare potuisset? Si de materiâ primâ, quo sensu sit accipienda, disputandi libido foret, tempusque nobis suppeteret, oporteret illam, præsertim Chymicorum, ex alio deducere fundamento. Juxta Philosophorum unanimem consensum, ausim ego asserere, materiam eorum universalem esse in omnibus, & ubique, exceptis alcalibus tuis, & vacuo tuo. In alcalibus enim non potest existere; quia vacua sunt tibi: neque in vacuo tuo hospitare. Secus enim impleret vacuum, & sic vacuum non esset vacuum. Saturnum primam esse materiam (sive Philosophorum, sive vulgarem, aut commu-

communem intellexeris Saturnum, aut plumbum) vix tibi simpliciter concesserim: esse autem in Saturno, tibi non negarim. Verum sicut in Saturno est; ita etiam in Auro; ita in Argento; ita & omnium maximè in Mercurio &c. in uno verò magis reclusa, quam in alio.

Motu retrogradu attingam etiam *paragr. 2. cap. 195.* in quo asseris, cum tuo Magistro, Helmontio, inquit, *quamdiu Mercurius vulgi revivificari potest, non est boni viri remedium: lin. 26.* Ast ubi habes talem Mercurium vulgi, qui non revivificari potest? Esse Mercuriū vulgi, & non posse vivificari; est contradictio in rebus. Nam si Mercurius eò redactus est, ut non possit revivificari, nō est amplius Mercurius vulgi, nec est omnino amplius Mercurius, sed quid aliud ex Mercurio. Et verò, si non boni viri remedium est Mercurius vulgi, quandiu revivificari potest; cur tu, *Tackeni*, tam frequenter illo uteris, & tam prolixè verba facis, de tuo Mercurio caustico, maxime deleterio, quem etiam crudè, in aquā saltem solutum, pro tam secreto habes medicamenro? Ergo propriā tuā confessione, & Helmontii tui testimonio, non es bonus Vir; Mundo & Reipublicæ Medicæ imponis.

Quæ plura scribillas, *pag. 199. & 200. de Mercurij effectu & salivatione:* de occulta & venenosa Mercurij aciditate; et: *ut omne sulphur habet occultum acidum, quod supra per campanam te ostendisse dicis* (non est autem sulphuris communis acidum occultum, sed satis manifestum, lippis ac tonforibus notum: imò nec ostendisti illud) *si Mercurium habere occultum sulphur venenosum.* (hoc perquam aptè quadrat, & comparatio est, ut baculus & angulus, ut rosa cum anemona) *quod illum, leni, aut continuato igne, precipitat rubificatq.* (sicut sulphur vulgare) *quod non solum, igne, experientia supra demonstraveris, sed etiam Gebri autoritate:* quàm obscuri sunt hi aphorismi, & absurditatibus pleni! Libro opus foret, ad illos refutandos. Audiamus tamen plura, & similia, ubi ais, *pag. 200. lin. 25. Acida autem omnia, præsertim putrefactiva, offundunt dentes & gingivas* (scilicet *ut teste*) *dissolvuntq. nervos tunc sanguis bidem accescit, putrescit, omni fæore olentius, tanto contagio, ut & labia ejus contactu, ulcus contrahant, & intus bucca ulcerentur, idq. non solum ab ejus externa unctione contingit, sed etiam Mercurius vivus in pauca quantitate repetitis vicibus per os assumptus idem præstat, ut testatur experientia, notaruntq. Rondeletius, atq. Platerus. Hujus census, sunt pilula ex Mercurio vivo Barbarossæ dictæ. Hic quadrat, versus ille antiquus Matthesii, in saropia*

*Terram Mercurii, producta metalla veneno*

*Esse ferunt, verum est, nil nisi virus habet.*

Hinc patet quid sentiendum sit de hoc sulphure, quod hac tempestate, per quorundam Satraparum ora (nolite timere dentes: quia nec vanam nec vacuum quidem ejus umbram cognoscunt) hujus Regiæ, sub credula firmag. pollicitatione Illustris, suavis atq. vitalis aura: tristem, durum, truculentum, satidumq. halitum spirat. Inde Hippoc. meus (b) Imperitia malus thesaurus &c. alta voce exclamat.

b. de lege.

Item, *pag. 202. paragr. 3. Mercurium regeneratum ex metallis, per se precipitari non posse; Magno autem ingenio in partes suas essentielles diuisus & reconjunctus novo & perfectio sulphure, tunc fit subiectum omnis mirabilitatis:* illa omnia, profectò, tantis scatent absurditatibus, ut quælibet periodus, & vel quodlibet verbum, longè egeat ventilatione. Sed ad quid perditio hæc? Cur his nugis ventilandis tempus consecremus? Indigna sunt, quæ legantur à viris doctis, Vulcano consecranda & dignissima. Quis non cernit, quod tuam sapientiam ultra captum extendas; quodque vanæ sint ostentationes?

Sed miremini, *Veritatis amatores:* nunc ipsis mendaciis debentur Penates: post effrenem & licentiosam garrulitatem, ad Harpocratem, Iside & Osyride natum, Egypti famosum idolum, fugit, *pag. 203. in margine: Eja ignoscat quæso Harpo-*



*Harpocrates, quod digito de labello remoto, amoris erga proximum stimulo agitatius, silentij fere transfilerim fines.* Quàm hic Pythagoreus est, qui, juxta Michea 7. consilium, etiam ab eâ, quæ dormit in sinu suo; custodit claustra oris sui. A longinquo huic Viro reverentia: ne minuat præsentia famam huic scenico Philosopho. Quid Deos & Divas invocas? Parcat tibi Deus, Hypocrita, non Harpocrates, quòd os tuum veritati occludis, mendaciis, quæ data porta, ruis, calumniis indulges, veritatem obscuras, erroribus patrocinaris, & canis mutus es ad profliganda mendacia; homo denique Bulyride natus, immimitis, charitatis osor. Quæ furia stimularunt; quo æstro te agitarunt, *Tackeni*, ut tot convitia & maledicta, digito de labello remoto, in Reformatorem, in Canonicos, & totam Rempublicam Medicam, evomeres: sanam doctrinam absorberes & obscurares? Et nunc amore in proximum flagras: cave, ne totus hæc charitate conflagres; fove intra pectoris tui angustias has amoris flammæ: hæc nolumus uri flamma. Audite! En! scintillam vobis offero ex hoc charitatis incendio, ex pag. 203. in qua ait, lin. 6. patet ergo, quod neque vitriolum, neq. sulphur cujuscumq. sit generis, vel vim corrosivam, vel pondus Mercurio addat, ut nobis imponit reformator: docendo: ob id vitriolum cautè esse calcinandum ne spiritus pereant. His enim Mercurius in sublimatione non indiget, sed saltem humido ejus sulphure, quod elevatur ut dixi à spiritu nitri, amboq. juncti, agunt saltem in Mercurii sulphur externum. Quod si urgetur fortiori igne: assurgit in pulverem rubrum non corrosivum: quem Huserus & Crollius, Paracelsi Arcanum corallinum crediderunt: hi autem ejus mentem non intellexerunt, errarunt in opinione; cum vero vitriolo & nitro additur sal commune tunc Mercurius dissolvitur profundius, ratione falsi saporis & sublimatum albescit, fit corrosivum, crescitq. in pondere. Nonne, & hic acquirit acidum, suam vim per salum? tantum itaq. abest, ut illud destruat.

Sic quoq. ex vitriolo, vel alumine, & sale petra distillata caustica aqua, quam aquam fortem dicunt agit saltem circa sulphur, & nisi acidi sulphurei spiritus pro parte abluantur vel per ignem in fugam vertantur coagulantur cum mercurio, in aluminosum adstringens, corrosivum.

a. pharm.  
fol. 681.  
Emplastrum  
de Ranis cū  
Mercurio.

Hunc Mercurium corrosivum, jubet reformator miscere Emplastro de Ranis cum mercurio Vigonis (a), Absurdum inventum esse scribit: mercurium salina, mortificari: quasi Johan de Vigo ignorasset corrodere mercurium, qui vulgaris precipitatus inventor fuit, ea de causa, & nunc vocatur, precipitatus Vigonis. Hic inquam: composuit Emplastrum, ad mitigandos dolores artuum, à virulenta lue obortos, sibi persuasum habebat, mercurium esse, hujus mali, verum Alexipharmacum: Commiscent autem mercurium vivum cum rebus dolorem mitigantibus, quandoq. bono successu: jussit itaq. mercurium mortificare salina, & oleo laurino, quod sit in momento quasi, & postea reliquis ingredientibus commiscere.

vulgus ex  
veritate  
paucæ, ex  
opinionem  
multa asti-  
mat.

Hunc Vigonis mortificationem Cachinno excipit reformator, evertitq. textum & sententiam viri optimi, imò superaddit convitia atq. calumnias, locog. mercurij vivi addere docet, corrosivum, sine ablutione ulla, vel ignis intentione pro spirituum fuga; sed dum adhuc est liquor, jubet axungiam, & oleum superaddi, quasi corrosivum acidum in pinguedine moreretur. Ex hoc apparet, Augustanæ Pharmacopœæ reformatorem, non habere distinguendi scintillam. Chirurgi pro carne peregrina assumenda, commiscent mercurium precipitatum vigonis, qui gustu ferè dulcis, pinguedinibus & unguentis, non ut corrosiva vis deleatur, sed, ut non decidat.

Si itaq. Vigonis precipitatus, dulcis, & insipidus gustui, unguento commixtus, absumit carnem; certè hic reformatoris causticus & rodens exulcerat, & loco, quo dolores lenire debebat, novos generabit. Hoc est artificium quod nos docet reformator: de quo optimè dici potest illud Plauti,

*Ibo ad medicum, atq. ibi me toxico morti dabo.*

Renouiscit autem mercurius sublimatus, cum corrosiua vis ab eo tollitur, id præter alcalia, facit etiam antimonium. Hoc non dissoluit aqua fortis simplex, propter admissum sulphur, ut supra ostendi, sed addito sale, statim agit in illud, separatq. ejus sulphur, ut super, natec picis instar, & hæc in via humida,

Butyrus  
Antimonij

Sic etiam in via sicca, commisce antimonium cum mercurio sublimato, quem salsum demonstrari, & illico spiritus salini deserunt mercurium, & rodunt antimonij regulum; cum vero spiritus ex retorta propelluntur, decurrunt saturati cum regulo soluto, in butyri forma: quod si aqua frigida abluitur cadit antimonij puluis rarus, leuis & candidissimus, inepte Mercurius vitæ appellatus. Cum vero hæc ablutio fit aqua calida, tunc parum flauescit, & vocatur puluis Algerotti.

Mercur. vi-  
ta.

Puluis Alge-  
rotti:

Idem autem butyrum, si dissoluitur in spiritu nitri, qui rursus, propter similitudinem sulphuris, antimonium etiam sulphuerum, & solutum rodit, & per cohobiam abstrahitur, posteaque ignitur, tunc (modo suo) constans permanet, & vocari cepit Bezuar minerale, magnorum sane morborum medela. Mercurius autem a corrosio liberatus, representans alcali metallicum; saturatur ab acido sulphuris antimonij, quoque metallico, & constituunt ambo occultum falsum, quod ab ignis intentione eleuatur in cinnabarim. Qui rursus, cum alcali leuiori, incurrentem vinum Mercurium reducibilis, ut suo loco ostendi.

Bezuar mi-  
nerale.

Cinnabar:  
Antimon:

Aurum itaque non soluitur sine sale in acidis, ut neque antimonium; imò neque ipse mercurius. Ergo, sal non destruit acida, ut nec vice versa. Mystrium operosa Minerva aperuit, quod hæcenus paucis permissum fuit.

Eccce Rho-  
dus ecce  
Saltus.

Tandem sal, si, cum acidis, inimicitiam, aut occultam aut apertam haberet, id sane fieret manifestum, in solo butyro antimoniali, tanto sensibili, ut si vnica saltem aque guttula incidit in illud, statim acidi spiritus sese aquæ associant, & solutum antimonium albicat. In dictum autem butyrum, injice sal commune, naturale, vel artificiale, vel alia falsa, & in quantitate, nil sane mouebitur, neque turbabitur quidem, tantum abest ut illud destrueretur.

Nunc ordine hunc ignem librabo, & pondus venti. Magna iterum audacter affers, & falsissima defendis; ut consequenter loquaris, & sine fine delires. Dic, obsecro; signa iterum paragraphum, cita locum, in quo Reformator unquam docuit, siue in Animadvers. siue etiam in Appendice; quòd Vitriolum & Sulphur vim corrosivam aut pondus Mercurio addant, ac ob id cautè calcinandum sit Vitriolum, ne spiritus pereant: prout me temerariè, charitatis stimulis agitatus, palam arguis. Responde hic, Tackeni, nisi mendacii (tua verba repeto) perpetuum velis esse mancipium. Audi iterum, & patere, ut te publicè convincam. Audi, pag. 460. m. Animadv. annon sic scripsi: sed necessum est, ut Vitriolum, quod ipsi additur (scilicet pro Mercurii sublimatione, sicut D.D. Augustani in Mercurii sublimatione præceperunt, & simpliciter Vitrioli calcinati scripserunt, pag. 457.) ita calcinetur, ne suo corrosivo aut acido spiritu priuetur. Majusculis scribo, pro tuo Harpocrate. Quam doctrinam tu sic (araneus de flore virus) pro tua malevolentia, interpretaris: pag. 203. lin. 11. Reformator ob id vitriolum cautè esse calcinandum docet, ut vim corrosivam & pondus Mercurio addat, & ut nobis imponat. Judicet æquus Lector, melabia digito signante, quantas in Medicinam hærefes hic novus Hypocrita invehat. Pagina eadem, lin. 13. his pergit: His enim Mercurius in sublimatione non indiget, sed saltem humido ejus sulphure, quod eleuatur ut dixi à spiritu nitri, amboq. juncti, agunt saltem in Mercurij sulphur externum. Rem acu tetigisti, Viramorum, & teneræ charitatis. Quid garris, Tackeni? Quid tibi Harpocrates, digito ori admoto, & labello, vel à longè ostendit? Ita ne? Si Mercurius in sublimatione non indiget Vitriolo calcinato, quod suis acidis spiritibus nondum privatum sit: cur tu ipse in sublimatione tua

Y Y

Mercu-



Mercuriali, pag. 190. lin. 8. quadringentas libras hujus, eodem modo calcinati, Vitrioli addere jubes, & præcipis, quod suo acido spiritu nondum privatum sit? Aut enim ibi imposturam centuplo majorem commisisti, quàm Reformator; aut hîc enorme mendacium. Diverticulum statim quæris & effugiû, ad imponendum incautis ac inexpertis, & ais: *Mercurium saltem indigere humido ejus sulphure* scil. Vitrioli. Sed amore Dei! dic mihi, quid humidum sulphuris Vitrioli aliud est, quàm spiritus Vitrioli? Ut imponas incautis, spiritum Vitrioli verum sulphur Vitrioli humidum appellas; ex tuo mendaci ore loquor (sed displicet) quia *omne sulphur*, pag. 195. & plurimis aliis locis, *acidum* proclamas, & *nil nisi acidus spiritus eructare*: uti quidem, si de sulphure communi, & Vitrioli, intelligendum sit, vera loqueris; tibi autem hîc turpiter contradicis. Verùm ut veritatem ulteriùs occultes, ne quilibet fortè vel primo intuitu fallaciam & imposturam tuam penetret, ais: *Sulphur hoc elevatur à spiritu nitri, amboque juncti agunt saltem in Mercurij sulphur externum*. Bene nugaris. Sed quid hoc dictum sonat aliud, quàm quod spiritus Vitrioli, & spiritus Nitri, junctim (quæ ambo & junctim destillata aquam fortem præbent summè causticam, uti notissimum) commoveantur in sublimatione, & agant in Mercurium, illum dissolvendo, pari modo, ac si Mercurius aquâ forti causticâ dissolveretur. Non enim antè elewantur hi ambo spiritus in sublimatione Mercurii, quàm dissolverint Mercurium: actum demum unà cum Mercurio, jam dum soluto, elewantur, & unà cum illo in solidam compagem sublimantur. Non agunt etiam hi spiritus in Mercurii sulphur saltè externum (*Tackeni Chimæram*) sed agunt in totam Mercurii substantiam, totum corpus Mercurii, in Mercurium, prout Mercurius est, juxta omnes ipsius dimensiones, longum, latum & profundum. Solvunt proinde non saltem sulphur Mercurii externum, Chimæram non visibilem, non perceptibilem, nunquam à Mercurio separabilem, nec ab illo Philosopho unquam somniamam. Et posito, non autem concessio, agerent saltem hi ambo spiritus, Vitrioli nempe & Nitri, in sulphur Mercurii externum; agunt consequenter in partem: si in partem; ergo in Mercurium, cujus pars est; separando nimirum partem à toto. Non est autem Mercurius separabilis, vel divisibilis in partes, nisi totus pervertatur & immutetur à composito. Non pervertitur, nec immutatur, à suo esse, aut composito, in hac corrosiva sublimatione; sed idem Mercurius, qui antea fuit, manet, & revivificari potest, inq; pristinum suum esse totus quantus facillè reduci. Ergo agunt hi spiritus junctim, scilicet Vitrioli, nitri, & salis, in totum Mercurium, non verò in partem, nec in sulphur externum solum, idealem & mentalem *Hippocratis novi* Chimæram. Dic mihi, quis Rector sit, cui negotium hoc concedas, qui in ipsa sublimatione Mercurii segreget spiritum Vitrioli à reliquis spiritibus, nitri scilicet & salis, & efficiat, ut spiritus Nitri & Salis solum solvant totum Mercurium, spiritus verò Vitrioli (qui, uti ipse dicis, elevatur à spiritu nitri, pag. 203. lin. 16.) solvat saltem Mercurii sulphur externum? Et quò commigret hoc humidum sulphuris Vitrioli, propriè spiritus Vitrioli, unà cum sulphure externo Mercurii, si illud separatim solverit? Non aliò, puto, nisi in vacuum tuum, ut illud se statim iterum sistat, & redeat ex vacuo tuo ad Dominum suum, scilicet Mercurium, si revivificari debet: secùs enim non totus revivificaretur Mercurius. Revivificatur autem totus: ergò etiam cum suo sulphure externo, si quod haberet, & non fuisset separatum. Si non separatum illud sulphur externum à Mercurio; ergo sulphur Vitrioli humidum, vel rectiùs, spiritus Vitrioli, unà etiam, in sublimatione, cum Mercurio ascendit, & in Mercurio sublimato existit actu. Disce, *Hippocratice Philosophæ*, pro tuis nugis verè & realiter Philosophari. Tædet, profectò, tua mendacia feriis & tantis fundamentis refutare. Si tuus Harpocrates

pro Licentiâ impetratâ non solum digitos, sed palmam, & pugnum, petulanti ori tuo comprimendo apposuisset, longè consultius operatus esset, digno hoc labello osculo, & blanditiis, te demulcendo. Transeo ad aliud dogma, quod falsò mihi appingis, *Tackeni*; nimirum, Vitriolum, vel ejus spiritum, neg. pondus etiam Mercurio addere: pag. 203. lin. 6. In superioribus totum hunc textum tuum allegavi: quin te convici, quoniam ne per somnium quidem talia tractavi. Figmentum itaque hoc in sinum tuum retorsi, in quo myriades recubant mendaciorum. Attamen ut experiâre, quod nequitiis tuis superior, & domitor earum sim; etiam hoc defendam, quod mihi affingis: esto; per impossibile dixerim. Superiùs demonstravi, tuum Vitrioli Sulphur humidum, quod Vitrioli spiritus realiter est, conferre efficaciter ad Mercurii solutionem in ejus sublimatione. Nunc tibi demonstrabo, quòd spiritus Vitrioli, vel, uti dicis, sulphur Vitrioli humidum, etiam pondus Mercurio addat. Pag. 203. lin. 13. ais; Mercurium in sublimatione non indigere spiritibus Vitrioli, sed saltè humidum ejus sulphure. Transeat hæc propositio (licet falsum sit: quoniam humidum Vitrioli sulphur non, nisi acidus spiritus Vitrioli, est: quod & plebi cognitum.) Sed quid est illud sulphur Vitrioli humidum, quod elevatur à spiritu nitri, & qui ambo junctim agunt saltè in Mercurii sulphur externum: lin. 16? Estne corporeum, vel incorporeum? Non incorporeum, seu spirituale, quatenus spirituale materiali & corporeo opponitur: neq; incorporeum etiam, prout entia realia & metaphysica sibi opponuntur. Ergo est sulphur corporeum: ergo reale: ergo existens. Si corporeum; reale; seu existens: ergo quantum est; ergo commensurabile. Si quantum: ergo gravidat; ergo pondus addit; & potiori jure grave dicendum, quàm leve; quia naturam sulphuris habet, & uti ipse ais, eget vectore spiritu nitri, qui illud in sublime ferat, ad agendum in Mercurii sulphur externum. Nam absolutè levia & volatilia vehiculo non egent; sed naturâ suâ omnia transcendunt; respectu quorum omnia reliqua gravidant. Sed si simul agit hoc sulphur Vitrioli humidum, seu rectiùs, spiritus Vitrioli, in Mercurium, seu sulphur ejus externum, unâ cum spiritu nitri; spiritus autem nitri, ejusdem vector, levior illo, addit ac tribuit Mercurio sublimato, unâ etiam cum spiritu salis, pondus, seu gravedinem; uti tu iterum dicis, pag. 192. lin. 25. quòd creverit tuus Mercurius sublimatus in pondere octuaginta lib. ergo infallibiliter & Vitrioli sulphur humidum (uti tu appellas) seu potius spiritus Vitrioli acidus, unâ cum reliquis duobus spiritibus, addit & contribuit Mercurio pondus. Quorsum enim abiisset aliàs hoc humidum sulphuris Vitrioli? In nihilum non potuit abiisse; nec à vectore spiritu nitri separari: quia unâ cum ipso egit in Mercurii sulphur, uti dicis, externum. Si egit simul cum aliis spiritibus; alii verò spiritus tribuerunt Mercurio pondus: ergo & hoc sulphur, quod, uti demonstratum, ponderosum est, in nihilum non potuit evanuisse, sed unâ cum aliis spiritibus, & vectore suo, remansisse; & consequenter Mercurio æquè, ac reliqui duo spiritus pondus addidisse. Probo iterum, ac refello fallam tuam sententiam, ab impossibili. Nam pag. 192. lin. 25. ais: *Crevit itaq; in pondere Mercurius vivus 80 lib: non quidem ex acido Vitrioli rubificati, ut existimat reformator, quod ob id cautè calcinandum docet; sed solo sale communi.* Non potest autem à solo sale communi in tantum accrescere, aut accrevisse; neque adeo corrosivus & causticus fieri; quod impossibile: quia nec possibile etiam est, ut à ducentis libris salis communis octuaginta libræ spiritus salis eliciantur, quæ Mercurio hoc grave & magnum pondus contribuerent. Ergo etiam bini spiritus alii, Nitri nimirum & Vitrioli (sulphur Vitrioli humidum scilicet *Hippocraticum*) tanquam potiores tortores & coactores, suum quoque contribuerunt & contribuant Mercurio pondus, gravedi-



dinem, vig; causticam, nec in nihilum abeunt aut evanuerunt. Impossibile autem esse, ut 80. libræ spiritûs salis ex ducentis libris salis communis eliciantur; hoc probatur experientiâ quotidianâ; cuilibet destillatori, vel Tironibus, obvia & notissima res est; nec eget demonstratione; quoniam etiam gustus confirmat, quanta sit differentia inter salem, & spiritum salis sincerum. Et certè non duæ aut tres partes salis sufficiunt, pro unâ parte eliciendâ spiritûs salis sinceri; sed, uti quotidiana testatur experientia, vix quatuor aut quinque libræ satis sunt pro unâ librâ eliciendâ sinceri spiritûs salis. Complures probationes & argumenta, ad convincendum imperitum & pertinacem *Hippocratem novum*, adducere possem: sed quia præfata tam clara, imò luce meridianâ clariora sunt; abrumpo. Nam & mihi, hæc probare, non incumbabant, sed tibi, *Tackeni*, affirmanti: quia nunquam asserui; sed falsè, & impostorio modo mihi afficta sunt.

Binæ probationes, quas imperitus *Hippocrates novellus*, pro sententiâ suâ demonstrandâ, affert, pag. 193. paragr. 1. & 2. salem communem nimis solum addere tam enorme pondus, tantamque vim corrosivam Mercurio; sunt absurdissimæ & mendacissimæ, omni experientiâ & rationi contrariæ, tanto Hippocrati & Philosopho dignæ. Proinde cum earum falsitas cuilibet experto Pharmacopœo & Chymico pateat; his nugis & mendaciis refellendis immorari nolo. Non enim est finis absurditatum; quibus revellendis singulis Volumina vix sufficerent. Et sic, mi *Tackeni*, *Hippocratice Doctor*, tuam ignorantiam, & imposturas, quibus incautis crebro imponis, Reformator palàm facere debuit, veris rationibus, firmisque argumentis; non, more tuo, Sophisticando; & hoc quidem coactus, ut à contagiosis mendaciis tuis se libret; quia, ut verax & probus vir, sollicitatur, qui imposturas odit, & à mendaciis abhorret. Diabolus enim, qui mendaciorum spiritus, & mentientium Pater, clientes suos, & fideles filios, justâ ac dignâ mercede remunerabitur. Transeo igitur, haud pauca tamen relinquens, quæ in hoc, & sequenti, paragrapho forent refutanda, ad pag. 204. Ubi Calumniator *Hippocrates novus* immeritò iterum in Reformatorem grassatur, lin. 16. occasionem arripiens denuo de Mercurio suo sublimato caustico, tanquam rabiosus & acerrimus hostis Reformatoris. Textus ejus iniquissimus superius est adscriptus: contenta autem sunt, ut brevis sim: 1. Quòd *Johannes de Vigo* non ignoraverit corrodere Mercurium; qui vulgaris præcipitati inventor fuerit. 2. Quòd is composuerit Emplastrum ad mitigandos dolores artuum, à virulentâ lue obortos. 3. Quòd jussit Mercurium mortificare, salivâ, & oleo laurino, quòd fiat in momento quasi, & postea reliquis ingredientibus commiscere. 4. Quòd Reformator hanc Vigonis mortificationem Cachinno excipiat, evertatq; textum & sententiam viri optimi, imò superaddat convitia atque calumnias. 5. Quòd loco Mercurij vivi addere doceat, corrosivam, sine ablutione vlla, vel ignis intentione pro spirituum fuga. 6. Quòd, dum adhuc est liquor, jubeat axungiam, & oleum superaddi, quasi corrosivum acidum in pingvedine moreretur. 7. Quòd ex hoc appareat, Augustanæ Pharmacopœæ Reformatorem non habere distinguendi scintillam. 8. Quòd Chirurgi pro carne peregrina absumenda, commisceant mercurium præcipitatum pinguedinibus & unguentis, non ut corrosiva vis deleatur, sed, ut non decidat. 9. Quòd si Vigonis præcipitatus dulcis, & insipidus gustui, unguento commixtus, absumat carnem; certè hic reformatoris causticus & rodens exulceret, & loco, quo dolores lenire debebat, novos sit generaturus. 10. Quòd hoc sit artificium quòd nos doceat reformator: de quo optime dici possit illud Plauti,

Ibo ad medicum, atq; ibi me toxico mori dabo.

Hucusque peroravit iterum iniquitas. Sed noster tritum illud tuum, in Echo vindic.

*Vindic. Tackeni; quòd maledictio stultorum thesaurus: his in lingua residet, ut maledicant bonis? Quin videamus & illud: quoniam longe aliter olent catuli; aliter fues.* Scrutemur tua mendacia iterum. 1. Joannem de Vigo, communis præcipitati Autorem, non ignorasse naturam Mercurii, eumq; corrodere corrosivo. Quid hoc affers? Quis unquam negavit? Rixaris de lana caprinâ. 2. Quòd dictus de Vigo composuerit etiam Emplastrum de Ranis cum Mercurio, quòd extat in Pharmacopœia Augustana, pag. 387. *Animadvers.* de hoc adhuc sub iudice lis est. Nam plures vixisse poterunt de Vigo; unde ipsi fors ambigui D. D. Augustani, proprium ejus nomen non expressere: vel si etiam Joannis proprium nomen expressissent; in idem nomen plures Joannes coincidisse poterant. Nam qui Mercurii naturâ, esse, & operari, exactè norit, ipsumq; dissolvere, & in præcipitatum redigere tentârit; is certò imprudentissimè salivâ hominis jejuni Mercurium extingvere jusserit: quod omnes periti in arte Pharmacopœi, & Chymici, affirmabunt, hancque extinctionem ridebunt. 3. Autorem Emplastri hujus Mercurium jussisse mortificare salivâ, & oleo laurino, hoc est falsum, & solitum *Tackenianum* commentum: quod demonstrat clarus compositionis hujus Emplastri textus, pag. 387. *Animad. m.* ibique sine meâ demonstratione patet, quòd, postquam Autor Emplastri hujus potentiora ingredientia, nimirum Olea cocta, Pinguedines, Oleum Laurinum, Axungiam Viperarum, cum Ranis, Lumbricis, & quibusdam vegetabilibus, Succis expressis & Vino, ad ejusdem Vini consumptionem ebullire, & colaturâ Lithargyrum, Terebinthinam, Ceram, & Styracem liquidam addere præcepit, posthâc ab igne deponere, & ubi refrigerint, tandem, & demum (scilicet jam confecto Emplastro) argentum vivum, salivâ hominis jejuni extinctum (non verò oleo laurino; quod falsum) addere jusserit. Reformator, profectò, non est falsarius, sicut *novellus Hippocrates*, qui proborum Virorum textus pervertat, eosq; opprobriis & multis conspergat sarcasmis; quæ *Tackenio* propria sunt in quarto modo. Nunc autem dicas mihi, *Tackeni*, si scintillam veritatis præcordia tua habent; an non meritò, & cum veritate, dici possit, quòd hæc Emplastri formula, uti descripta, absurditate non careat? Et hanc meam modestam correctionem vocas *convicia, calumnias*, *lin. 12 pag. 205*? Sed quid improvidè, & indoctè, hîc asseris, & affers absurdi? Ubi extat? Signa digito, in genuino & verò hujus Compositionis textu, quòd Autor, Joannes de Vigo, jusserit *Mercurium mortificare salivâ, & oleo laurino*. Et hoc commentum, quod absurdum est, bono Viro, & Autori, vis obtrudere; ac si ipse *mortificationem Mercurij* statuisset, *salivâ simul & oleo laurino* perficiendam. Et hoc absurdum *Hippocraticâ* tuâ confirmas autoritate, quod absurdus, dicendo, quòd hoc fiat *in momento quasi*. Falsè loqueris, *Tackeni*, quòd dictus Autor jusserit *Mercurium salivâ & oleo laurino* mortificare: (observa: mortificare; ais) sed saltem solâ salivâ hominis extingvere. Textus genuinus equidem te convincit. Crimen igitur falsi committis, quòd bonum virum tuæ vis conformare absurditati, ei que tanta absurda obtrudere, ac si tecum deliraret. Excuso ego bonum virum (non enim personam, & Vigonem; sed absurditatem, in præscripta compositione modestè reprehendi) quòd tam stupidus non fuerit, ut *Mercurij mortificationem salivâ hominis jejuni* præceperit: quoniam Mercurius nullo modo mortificari, non destrui, aut à suâ naturâ immutari tam facile potest: est sibi semper idem, etiam si à fluidâ & currente, in solidam, sublimatione, convertatur substantiam; etiam si oleo laurino extingvatur; aut potius, & rectius, ei permisceatur: reddit tamen exiguâ operâ in id, quod antea erat. Et ausim asseverare, facilius esse, Mercurium construere, quàm destruerè; hoc est, mortificare. Aut enim totus avolat in igne; aut totus remanet. Et hic



doctus *Philosophaster* hoc absurdum, *Mercurium* nimirum mortificari posse *salivâ hominis, & oleo laurino*, bono viro præter mentem ejus non solum falsò appingit; sed, quod absurdius est, illud confirmat, &, quòd fiat in momento quasi, addit *lin. 5. pag. 205.* Jussit sæpe dictus Autor de Vigo, quicumque demum fuerit, *Mercurium* jejuni hominis *salivâ* extingvere, & jam confecto Emplastro addere, (licet absurdum sit, quod repero) non verò præcepit, (quod absurdius multò) *Mercurium* dictâ *salivâ* mortificare. Extingvere autem & mortificare non sunt synonyma. Extingvi quidem dicimus *Mercurium*, quando axungia cui-dam, vel oleo laurino, per minima commiscetur, ne amplius currens conspiciatur: sed non proinde mortificatur. Verùm forsan hanc phrasin à rustica progenie & plebe mutuatus es, qui quandoq; per abusum dicunt, Germanico idiomate, præsertim Ruricolæ: *getödetes Quecksilber*. Sed non scripsisti, *Tackeni*, uti putas, Ruriculis, Idiotis, Mediastinis, aut Aniculis. Scripsisti, tanquam *novus in Orbe Hippocrates*, Viris sapientiam professis, rara, occulta, absconsa à sensuum cognitione: scripsisti Viris doctis: scripsisti denique Reformatori: à quibus omnibus coli, & Hippocraticam hanc doctrinam laudari, arripit; cupis. Sed, crede, rident omnes Hippocraticam potius ignorantiam; garrulam stultitiam; fastum, & grandiloquentiam. 4. Quòd Reformatior hanc Vigonis mortificationem cachinno excipiat, evertatq; textum & sententiâ viri optimi, imò superaddat convitia & calumnias: hæc tria attributa etiâ sunt aperta mendacia: &, si vis, lege attentè meas *Animadv.* sæpe citato loco, *pag. 387.* tunc te & illæ tribus vicibus convincent & convincient. Mortificationem enim Reformatior cachinno excipere non potuit; quia mortificatione prædictus Autor de Vigo non præcepit; adeoq; *Hippocraticum* commentum est. Textum & sententiam viri optimi Reformatior nec uno verbulo, aut syllabâ, pervertit. Litera enim, & scripta, adhuc extant; quæ, contrâ, te falsarium & hac in parte clarè testantur. Te autem textum hujus viri optimi turpiter corrupisse; ipse tuis verbis testatum facis. Nec etiam convitia & calumnias superaddidit Reformatior; nisi quod modestè scripsit, & ipsâ quidem veritate: quòd nec illa Emplastri formula suâ careat absurditate. An non pudette, *Tackeni*, unâ eademque periodo tribus vicibus mentiri, & publicis scriptis, quæ omnibus obvia sunt, convinci? 5. Quòd Reformatior, loco *Mercurij vivi*, addere doceat corrosivum, sine ablutione vlla, vel ignis intentione pro spirituum fuga (ridete altum stylum) iterum falsum est, ex solita tua corruptione textus; quem, profectò, non intelligis, nec hos labores unquâ tentasti: aliàs tam ignoranter de illis non scriberes. Scito autem, quòd *Mercurius*, aquâ forti solutus, ac cum axungis & oleis leniter coctus, in vitro, vel vase terreo capaci, ad aquæ fortis exhalationem, in residuo maneat, unâ cum axungis & oleis, ferè dulcificatus, per minima autem illis commixtus, tanquam ab unctuosus solutus esset; largiaturq; illis soliditatem emplastricam, & tam efficax ac penetrans postea existat in suis (non corrosivis, uti, ex inscitia, asseris) operationibus naturalibus, ut *Mercurii* uncia una, artificiosâ hâc præparatione Emplastris, vel Unguentis, commixta, plus præstet & efficiat, quàm plures *Mercurii vivi* uncia, ruditer pinguedinibus & oleis, laurino, &c. subacti; id quod aliquoties, in *Animadv.* *pag. 352. & 355.* innui, ac in opere noviter excuso, sub titulo: Emplastri anti Venerei, evidenter explanatum est. Quòd quidem Emplastrum felicissimè operatur, absument, sine vi causticâ, insensibiliter crustas, condylomata, &c. quocunque etiam loco secreto hæreant. Et juxta hunc modum ex omnibus metallis, quibusdam nec non mineralibus, menstruis convenientibus solutis, tandemq; axungis vel oleis unitis, leni admodum coctione, ad exhalationem menstrui, Emplastra & Unguenta dextrè & artificiosè parari possunt, ad varios humani corporis affectus perutiles & præstantes. Habet artificiosa hæc

hæc metallorum & mineralium, cum rebus unctuosis commixtio, & solutio, in Chymiâ rationes profundissimas; quæ *Hippocratem novum* latent. Quod si tamen consideraret Emplastra Diachylon & Triapharmacon, quâ ratione, in dispensatione illorum, solvantur Litharg. Cerussa, Minium, aut simile quid ex plumbo, cum unctuosis proprie, quibus illa corpus tandem & soliditatem, seu duritiem, addunt: facile ad majorem rerum naturalium indaginem *Philosophaster* pervenire posset. Sed ambitio cum excæcat, & plura experiri vetat. Sat illi abunde est, calumniari, & scriptitasse. Porro: *Reformatorem Mercurium huic Emplastro sine ablutione nullâ, vel ignis intentione* (quid hoc dictum alto hoc stylo?) *pro spirituum fugâ, addere docuisse*; non abs re factum pariter scias. Hæc enim coctio Mercurii soluti cum axungis & oleis, ad humiditatis, vel aquæ fortis, exhalationem, est artificiosa & dextra (*ignis intentione*) edulcoratio, & spirituum corrosivorum expulsio (nullâ hic opus *ablutione*; ut ignoranter garris) sine præcipitatione tamen Mercurii facta; ita, ut verè dulcis; legitime tamen solutus ab unctuosis, vinculis autem corrosivorum spirituum non amplius ligatus, operationes suas naturales liberè possit exercere. Et sic nugæ tuæ, quoad hoc assertum, & quintam hyperbolen, confutatae manent. Sextum assertum falsum iterum est, quod scilicet, *dum adhuc esset liquor*, (scilicet solutus Mercurius) *Reformator jubeat Axungiam & Oleum simpliciter superaddi, quasi corrosivum acidum in axungia moreretur*. Pingvis hic iterum conceptus & unctuosum mendacium est, juxta illud: *Nunquam subtile cerebrum, venter obesus parit*. Quando hoc assertum & imposturam, *Tackeni*, Reformatori ostendes, ad Kalendas Græcas? Quo in loco, & quâ paginâ, Animadversionum, extat? Et quid sonat hæc propositio: *dum adhuc esset liquor, jubeat Axungiam & Oleum superaddi*? Quales Chymici, tales Grammatici, estis tu, & Scribilla tuus, seu jumentum. Cæcus cæcum ducit; & cespitante altero, non habetis, qui sublevet vos. Crède interim, quod corrosivum acidum in axungia, si non moriatur, leni tamen coctione expellatur, ac mitescat: donec meliora tibi cerebri vacuum suggerat, nobis probabilia. Septimò; ubi dicis; *ex hoc apparere, Reformatorem non habere distingvendi scintillam*: quæ iterum nova phrasis, *Hippocrates*? En! nescis ex Grammaticâ; quod parva sæpe scintilla magnum excitavit incendium? Profectò, arbitror, me hætenus, omnium consensu, aptè omnia distinxisse, ut impofterum difficile nemini sit, notam illam distinctionis in *Tackenio* observare, quâ à Viris probis, veracibus Chymicis, & Medicis sensatis, quàm longissimè diffidet; velut è signo Res; ab hederâ Bacchus, cognoscitur.

Octavò; quod *Chirurgi, pro carne peregrinâ absumentâ commiscant Mercurium præcipitatum pingvedinibus & unguentis, non, ut corrosiva vis deleatur, sed ut non decidat*: magna scientia est, ut putas! Adde, quæso, huic scientiæ, vel inscitæ tuæ, & hoc, quod *Reformator Mercurium solutum jungat pingvedinibus vel oleis, non ut corrosiva vis in pingvedinibus mañeat, sed igne & coctione, aut sine Mercurii præcipitatione, dextrè expellatur*: non, ut Mercurius in pingvedinibus corrosione agat; sicut tuus Mercurius sublimatus causticus: sed suâ virtute, à vinculis corrosivorum spirituum dextrè liberatus (non tamen præcipitatus) suas naturales, & à tota suâ substantiâ promanantes virtutes, liberè, ac sine impedimento adjectorum spirituum heterogeneorum, exserere possit: non, ut agat manifestâ corrosione dolorificâ, prout Mercurius præcipitatus; sed benigniter, & virtualiter; non, ut non decidat saltem, sed ut exactissimè in minutissimas atomos divisus, & sic Unguentis & Emplastris intimè commixtus, virtualiter,

non



non causticè, ratione adjectorum, operetur. Hæc, inquam, si addideris tuæ inscitæ, magis, profectò, erudièris, & impofterum de his, & aliis, magis doctè & eruditè scribillare poteris. Legas saltem, sed cum iudicio, Animadversiones vel super Unguentum saltem Pediculorum; & eruditior fortè evades. Nonò; quòd si *Vigonis præcipitatus dulcis*, & insipidus gustui, unguento commixtus, absumit carnem; & hic reformatoris causticus & rodens exulcerabit, & loco, quo dolores lenire debebat, novos generabit: negatur tibi in utroque consequentia; quoniam & utrumque tuum suppositum falsum est: adeoque falsa hypothesis falsas infert consequentias. Non enim à Reformatore Mercurius solutus simpliciter, & rusticè, Unguentis commiscetur, uti præcipitatus, qui occultum & corrodens acidum continet; sed in coctione lentâ corrosivo suo privatur, ut magis dulcis, quàm præcipitatus ipse, Unguentis per minima commixtus, feliciores & benigniores edat effectus in absumendis corruptelis, & excrecentiis, ex lue Venerea obortis, adeoque in plurimis affectibus externis magni momenti remedium sit. Hoc tamen noster *novissimus Hippocrates* aut ignoranter, aut invidiosè, amoris tamen erga proximum stimulo agitatus, extirpare, miserosque infirmos hoc salutari remedio privare, unicè adlaborat. Vereor autem, ne invanum, quia iniqua ejus indoles jam innotuit undique, & ab Oriente in Occasum percrebuit fama *Tackeniana*. Decimò; prosequitur iterum calumnias armata temeritas, dum ait; pag. 206. *hoc esse artificium, de quo optimè dici possit illud Plauti,*

*ibo ad medicum, atq; ibi me toxico morti dabo.*

Mi *Tackeni*, jam pridem mihi occalluère aures ad naniastuas, & impetuosas detractiones: teque mendacem arguent Urbes & Orbis; quin omnia literata tribunalia, ad quæ contaminati mores tui, & prævaricationes, nec non scelerum colluvies, famâ anteambulone percrebuère. Etenim

Livore nemo iudice fit nocens;

quem prima virtus non peraget reum.

Aliud igitur, petulanti huic sarcasmo tuo quod respondeam, non occurrit, quàm illud Menandri:

*μὴδ' ἐξομῶξ' ἢ μωρίαν τὴν σὴν ἐμοί.*

hoc est:

nec affricato insaniam tuam mihi.

Competere autem tibi, & jure quidem, illud in me vibratum Plauti dogma, pluribus ostendam; ne impofterum tibi pruriat ad cavillandum infamis cuticula; & aures submittas, quas tibi erexit petulantia. Revoca, precor, in memoriam, *novæ Hippocrates* (hæc in aurem tibi, ac tuis) annon noveris quondam Patavii Nobilem quendam Gedanensem, Facultatis Juridicæ Syndicum (nomini modestè parco) annon ministrum etiam ejus; quos tuæ commissos curæ & torturæ habebas; qui ambo compluribus citatinis Paduanis tuam, me hercle, medendi peritiam in tantum mihi commendarunt, ut pro verbis lacrymas redderent; &, postquam miseram conditionem, virium & vivifici nectaris dispendium, ab arcanis tuis accersitum (tu toxicum Reformatoris nuncupas) multis gemitibus exposuissent, misericordiam & sanam medicinam à Reformatore deprecati sunt. *Tackeni*, parco nomini tuo, seu Lectoris præsentiam pro debito veneror; cæteroquin, Romani fidicinis Lyram, *Tackenij* medicas nequitias, palam & apertius deprædicarem; in particulari ea recensendo, quæ Romæ, diutius quæ Venetiis, medendo dedisti specimina, fraudibus & quæstui intentus. Sed forsan alio tempore hæc

hæc mihi tua extorquebit malitia, ut brevi compendio, & succincto stylo publico, divulgem, nisi his satiabere. Metum nihilominus mihi incussit simul, & risum, ter felix medendi *Tackeni* ars. Metum quidem Patavii incussit, dum duo Patavini cives domum meam subintrarunt, armatâ manu necem & pessima quæque minitantes, quodque consanguineus suus funestâ catastrophæ Medico indocto pessimè esset tractatus, Doctorem pro meritis castigare, aut stipendium repetere tentantes. Ast ubi comperi, quod *Tackenum* pro votis inquirerent, pluribus, in publicum ad eos progressus, hanc, de novo *Hippocrate*, intellexi Tragædiam: hincque hisce non detineri laribus *Tackenum*, pluribus eosdem (profecto in favorem *Tackeni*) informavi. Iterum risum mihi extorsit *Tackeni* medicinæ prærogativa, dum quondam navigio, vulgo; Barca di Podoa; Venetiis Patavium concederem, &, uti fors fert, in tantâ itinerantium frequentia, nonnulli essent (quorum iterum celo nomen, ad jussu tua revelaturus) qui, ubi me Medicinam profiteri, per discursum, inaudissent, statim, post multa lamenta, & prolixam pessimæ constitutionis historiam, dirasque in *Tackenum* imprecationes, hoc te, pro litro, & curæ præmio, condecorârunt elogio (cito formalia) quel Totefcho maledetto. Vides, ut sit memoria in benedictione; sicut omnium iustorum? Iterum deinceps, cum Plauto, ad Reformatorem ægros ablega, ut se toxico morti dent; cum tu, *novelle Hippocrates*, pseudoaphoristicâ lege tuâ, arte brevi, experimento facili & temerario, iudicio tumultuario, & per te fallaci, pridem humanum sanguinem stipendiis elocâris. Hæc tibi ruminanda interim profundius obtuli, *Tackeni*, ac velut cum Demosthene speculum objeci, quo tuas intueâre actiones: Plura, pag. 206. & pag. 207. jungis de Butyro Antimonii, Mercurio vitæ, Pulvere Algerotti, Bezaar Minerali, Cinnabari Antimonii &c. quibus, præterquam quod popularia sunt, & in Officinis nostris prima Tironum principia, ac artis præliminaria, non video, quid novi, quid occulti & inauditi, denuo attuleris, juxta promissa; nisi quod obscuris verborum involucris, & fraudulentis ambagibus, Solem nobis ad meridiem obscurare tentaveris. Ita enim solent umbrarum fœtus, & obscurissimi Philosophi.

Nunc, pag. 208. lin. 2. Jovis cerebrum crepat, & Pallas nascitur operosa Minervâ, dum *novus Hippocrates* mysterium, ut ait, operosâ tamen Minervâ aperuit, quod hæcenus paucis permissum fuit. Obstupuit *Tackeni* novum hunc fœtum, operosa Minerva editum:

Meum verò risit cor.

Audite iterum operosas nugas, & obvium secretum: pag. 207. S. ult. *Aurum non solvitur sine sale in acidis, ut neq. antimonium; imò neq. ipse Mercurius. Ergo, sal non destruit acida, ut nec vice versa.* Hūccitato gradu te confer, Oedipe, &, postquam explanaveris; an dæmonum excrementa sint Alexiteria hominibus in 8. gradu, an hiatus ventris sit spiraculum animæ, an si mus in mare mingat tremendum naufragium; ex Echo Vindiciarum *Tackeni*; nobis etiam hoc novi *Hippocratis* resolve ænigma. Sed quid te accersam, Oedipe? Tirones Chymici hoc revelent mysterium. Nimirum Aurum non dissolvitur in aqua forti, neque etiam in spiritu nitri, nisi prius Sal communis accedat (vel Armoniacus) ut fiat aquâ Regia. Sic etiam Antimonium in aqua forti, sine adjecto sale, non dissolvitur. Verum alia hîc sequitur illatio operosâ Minervâ: Ergo sal non destruit acida: & pag. 207. Imò nec Mercurius: Hîc Rhodus, ut ais, mi *Tackeni*, hîc saltus: hîc veritatis transfiliisti limites. Nam Mercurius quibuscunque acidis corrosivis spiritibus se subjicit, sine sale: ut etiam sine sale communi sublimari potest, solis acidis spiritibus nitri, vel aquâ forti, solutus, & sublimationi post abstractionem commissus. Repeto iterum Mysterium



*operâ Minerâ erutum, paucis aperire permiffum* : ſcilicet : Aqua Regia ſine fale non fit, nec ſine fale Aurum ſolvit. Quis unquam obſcurius docuit normam & modum apparandi Regias aquas, *Tackenio* ? At clariùs multi, & pleraque quidem Chymicorum Tirocinia : ſicut nunc & Reformator

Vix jam dicta occultaretentavit ; & ecce ! *pag. 208.* poſt denſam noctem nobis hic invehit umbras, dicens : *Tandem ſal, ſi, cum acidis, inimicitiam, aut occultam aut apertam haberet, id ſane fieret manifeſtum, in ſolo butyro Antimoniali, tanto ſenſibili, ut ſi unica ſaltem aquæ guttula incidit in illud, ſtatim acidi ſpiritus ſeſe aquæ aſſociant, & ſolutum antimonium albicat. In dictum autem butyrum, injice ſal commune, naturale, vel artificiale, vel alia falſa, & in quantitate, nil ſane movebitur, neque turbabitur quidem, tantum abeſt ut illud deſtrueretur.* Sed prodi ex latibulis, & ignorantix tuæ aſylo, *Tackeni*. Dic, obſecro : ſi addis & aſfundis butyro antimoniali ſalem tartari, vel liquorem ejus, ſeu ſalem abſinthii, aut alium quendam lixivialeſalem, quæ verè & realiter ſalia ſunt, maximè in ſententiâ tuâ indiſtinctè tradita & promiſcuè ; quis effectus ſubſequitur ? An non contrarietatis notas & ſigna conſpicua deprehendes ; uti ipſe fateri cogeris, *pag. hæc citata, lin. 23* ? Nonne præcipitabitur totum, & violentè quidem ? Quid igitur in vanum hic garris iterum, manifeſtamque doctrinam Lectori reddis ambiguam ? An non clara illa ſunt, quæ, *pag. 454. mearum Animad. & pag. 73. Append. extant* ? Adduci igitur claram & inviolatam doctrinam noſtram, ubi de differentiis ſalium actum, quòd ſalia acido-falſa, ſcilicet communis, gemmæ aut nitri, ſpiritus acidus non deſtruant, ſed potius intendant, potentiores ac acidus magis reddant. Verùm cum teneri cerebelli ſis, memoriæ labilis, ſupinæ negligentix, & , ut ſuperiùs dixiſti, obiter tantum libros chartaceos pervolvās ; imbecillitati tuæ hiſce parentabo, ac totum adducam textum meum, qui talis : Seqvuntur tandem Salia acido-falſa fixa, è quorum numero perinde naturalia talia ſunt, & arte talia parata. Inter naturalia talia ſunt, ſal commune, ſal gemmæ, & fere omnia ſalia terræ & maris : nitrum itidem, quod potiùs inter hæc ſalia fixa, quàm volatilia, rationibus minimè deſtitutus, colloco : hæc, inquam, ſalia reverà acido-falſa, non purè falſa eſſe, facile experienciâ & rationibus demonſtrari poteſt. Nam cum acida & falſa tantopere invicem contrariantur, ut, ubi ubi ſeſe mutuò attingunt, ſe invicem etiam deſtruant, quod ex omnibus acidis & falſis liquoribus invicem commiſtis loculenter patet, hæc autem denominata ſalia ſpiritus acidus non ſolùm non deſtruant illis permixta, verùm, cum iis conjunctim deſtillata, eos potentiores & acidiores reddant : quid evidentius in rerum natura eſſe poteſt, quàm quod his ſalibus jam dum de aciditate tantum fuerit inſitum, quantum illis naturaliter competit ; huic plus ; alteri minus ; ad uniuscujusque ſpeciem, & providæ naturæ, in terræ viſceribus, ordinationem ac naturalem ſalium ſuſceptionem. Porro ex iisdem ſalibus acido-falſis fixis ſpiritus acidi corroſivi deſtillatione facilè eliciuntur ; ex ſalibus verò purè falſis nequaquam : quamvis plurimi Chymici in hac ſententiâ huſusq; detineantur. Verùm ſal-

luntur,

luntur, siquidem ultra rei cujusdam inhærentias naturales, è re aliqua quicquam extrahere posse, repugnat Philosophicis & naturalibus principiis; & vice versa.

Concludunt tandem doctrinam hanc de salibus, salia fixo acido - falsa arte talia elaborata; è quorum serie Tartarus Vitriolatus, seu potius sal Tartarti vitriolatum unicè se offert, quod in usu, & parari solitum in Officinis Pharmaceuticis: quamvis omnia salia fixa purè falsa, eodem modo vitriolari (ut ita more consveto loquar) possint, & à naturali sua indole immutari, si eximæ in iisdem virtutes, taliter immutatis, elucescerent. Tartari vitriolati dexterrimam præparationem, absterfis erroribus, in ejusdem descripta Præparatione commissis, tradidi in Præmissis, sub proprio Titulo: quas consulat Lector Amicus.

Vides iterum, *noxe Hippocrates*, quòd hæc quoque in risum nostrum, ac tui ludibrium, disserueris. Sed pro meritis hæc te circumveniunt mala, quoniam, cum Cornelio Gallo, tibi hæc accinunt:

Te solum doctum, te, jactas, esse peritum  
Hippocratem: ast Otto! desipis ipse magis.  
Multa licet nobis referens, eademque revolvens,  
Fallis, & alloquium conspuit ipse tuum.  
Deficit auditor: non deficiis ipse loquendo.  
O solâ doctum garrulitate virum!

Hæc ubi Poëta cecinit, siparium clausit, & cum risu, populo dimisso, nescio quis Auditorum festivè, de turbâ, non sine sale, subjunxit ex Erasmo: Profectò facetus hic Otto est; miror, *septenis cùm sit, quod nondum edideris dentes*. Sequitur

## CAPITULUM XXVI.

cujus inscriptio:

*Dicta cum factis componit.*

Addo totum capitulum.



**A**cidum autem quodcunq; si destruitur, id sit non à salsis, ut dixi, sed ab Alcalizatis, aut eorum naturam redolentibus, mutaturq; in aliam indolem, juxta acidi differentiam. Ut per exemplum; Reformator docet crocum martis quem aperituum vocat cum acidis præparare, quem probo. Docet & alium crocum in sola flamma, quem adstringentem appellat; ignorans, quod & ignis flamma sit acida, unde & hic crocus, similis erit priori; hunc voca, vel adstringentem, vel aperientem, juxta effectum, quem post se relinquit. Aciditatem, communicat flammæ, omnia inflammabilia, ut ligna frutices herbe &c. Hanc inflammabilem aciditatem, diuenditat ipse reformator (a), pro spiritu salis armoniaci acido, & hoc loco, illum plane ignorat.

Multis videbitur, me hoc loco paradoxa proferre, quod ignis flammam, acidam dico. Imò repeto, ignem accedere proxime ad salis naturam, constantem ex alcali & acido (b), ea propter est mordicans, acris, acetosus, incidens subtilis, penetrans, purus, incorruptibilis, incombustibilis, & est illud quod a corruptione præservat: Et sicut in sale acidam partem separavi; eam nunc etiam in flamma separabilem esse, hæc mechanica ostendam.

In aqua ostendi alcali, nunc in igne acidum, licet rudi exemplo, nostris tamò sufficit.

a. In Appendice fol. 73.

b. Natura in omni re similis,

ignis & salis proprietates.



Plumbum fit  
minium.

Plumbum exurit aridis lignis in minium, sunt autem plumbi librae centum, postquam illud in minium conuersum, reperiuntur centum & decem: queritur, unde minium acquisiuit decem libras? profecto nil ei superadditum fuit, nisi sola flamma, hac itaq; assumpsit corpus in plumbo, hoc autem corpus, quod plumbum auxit ex flamma, est acidi saporis (a) id probat sequens mechanica.

a. Alcali vo-  
latile ex fu-  
ligine distil-  
latur, cuius-  
bet notum  
est.

Distilla ex retorta vitrea aperto igne, de illo ipso ligno quo cum plumbum exusselatur, & extillabit liquor acidi saporis, qui extra retortam in flammae forma, plumbum lambit eique commiscetur, fixaturq; in alcali.

Refunde minium in plumbum, & habebis centum libras, ut prius, adeoq; decem librae, non erant, nec minium nec plumbum, sed acidum, ligno expulsum. Hoc autem cum non sit plumbi natura, cum eo non colliguatur, & quia sibi soli sufficiens non est ut ait Hippoc: fugit in plumbi reductione in elementa, ut de sale Tartari, oleo aceto & reliquis supra ostendi.

Plumbum fit  
litargyrium.

Hoc alcali artificiatum ex plumbo, in minium conuersum cum igne & acido vegetabili: vel idem plumbum cum acido minerali in litargyrium: si cum oleo, vel pinguedine coxeris, tunc alcali agit in occultum acidum pinguedinis, alcalium more, & acidum vicissim in alcali, & coagulantur in neutrum.

Emplastra  
ex plumbo  
antiquissi-  
ma, chimi-  
ca arte para-  
ta.

Sic fit emplastrum Triaphar macum, ut & de cerussa, reliqua; huius census, ut in sapone ostendi: cuius inspissationis causa, reformatori haecenus ignota fuit, ut testatur in epistola ad me; quod nimirum, oleum tartari cum alcali picis instar inspissabatur (ut cap. 21.) & pharmacopaeis scribit: hac secundum artem coqui.

plumbum  
dat colores  
& virtutes.

Inter metalla autem nil reperitur quod cum acido constanti, promptius in amicitiam coit, quam plumbum; juxta acidi enim speciem, mutat formam, ut de Alcalibus dixi. Aceti vapor, illud in candidam vertit cerussam: Acidum in flamma; in rubrum minium cum Acido sulphuris, ad dito igne; vertitur in nigrum cum acidis mineralibus, impuris, & mixtis in litargyrium duplex vertitur, cum acido argillae flavae; in vitrum buxei coloris, cum acido argillae nigrae in fuscum colorem vitreum ustulatur (adi vitrarios) ea de causa, qui metallorum fusioni & purificationi flagrant, illud honorant, quod omnis generis acida absorbet, & metallum ab omni macula purum relinquat.

a de prisca  
medicina.  
plumbum  
quomodo re-  
frigerat?

Veteres notarunt, ex acido, inchoari in viuientibus omnes inflammationes (atque testante id Hippoc: (a): in homine inquit: in est acidum, acerbum, acidissimum, aliaque sexcenta: quae pro copia & viribus varias habent facultes.) Excogitarunt propterea ex plumbo varia unguenta & Emplastra, quo acidum illud absumerent; & quo saepius, dicta unguenta mutantur, tanto celerius acidum consumunt, malumq; tollunt: hanc acidi assumptionem, pro vulgi captu, refrigerare vocamus, quatenus caloris causam mortificat.

Magnum quid praestaret Capituli inscriptio, Tackeni, si promissa amplissima actione potius, quam nomine, demonstrares; si actio responderet nomini, nomen actioni; neque foret nomen inane, & imposturae genus immane. Sed quid hic iterum eruam arcani, & secretioris doctrinae, praeter multa absurda & falsissima? Aliud non, quam iteratas in Reformatorem inuectivas, in quatuor partes distinguendas. Prima est, dum ait; quod acidum quodcumq; sit destruitur, id non fiat a falsis, sed ab Alcalizatis. An iterum curta tibi memoria est, novelle Hippocrates, quod, paulo in superioribus, alcalia, & alcalizata, expresse falsa dixeris, uti & re ipsa falsa sunt, uti sal Tartari, Absinthii, & plura lixivialia? Ergo: acidum quodcumque si destruitur, id a falsis evenit. Unde aphorismus tuus falsus & insulsus est: neq; mihi, sed tibi, contradicis. Verum si falsa distincta methodo tractares, ac genus & differentias, seu specificas rationes, observares; ad hos scopulos non impegisses. Alit si sincerus, & sceleris purus esses, nec latibula tibi forent castra: qua ratio-  
ne Re-

ne Reformatorem unquam refutasses? Ubi *novus Hippocrates* in Luna concavo adolevisset? Quando novissimi salis Viperini stultissima fundamenta edidisses? Quando sapientibus insultasses,

insolens iniquos libros effutiens?

*Exitus igitur acta probat.* Igitur & ego sæpe trita jam iterum ingero; quoniam salia communia, quæ sunt acidor-falsa, acidis amica sunt: salia verò purè-falsa, utpote Tartari, & lixivialia alia, acidis inimicissima, eaque destruunt; prout ipse docuisti: adeoque quæstionem & tractatum de rebus in quæstionem de nomine turpiter detorques. Ut vel sic, rei veritatem obscurando, ludicrâ æquivocatione Lectori imponas, & rumusculos veneris: dum salia communia acido-falsa propriè & antonomasticè quidem salia appellitas; reliqua verò salia alcalia baptizas: non obstante, quòd in superioribus iteratò salem Tartari, & salia lixivialia (prout reipsa sunt, & quidem purè falsa) salia cognominâris. Sed hic morionum mos est, ut in plano se cespitare simulent, vel ad meridiem lucernâ obvios inquireant; ut vel ad risum, vel indignationem, arbitros sollicitent.

Secundò dicit; *Reformatorem ignorare, quod & ignis flamma sit acida, pag. 209. lin. 7. unde & Crocus martis adstringens similis sit croco aperiendi, quatenus ab igne aciditatem & vim aperiendi acquirat.* Sed quàm insulse & iniquè, contra omnem rationem & experientiam! Non enim Reformatorem solùm arguis, sed D. D. August. & tot tantosque doctissimos Viros, qui & ipsi crocum Martis adstringentem, solâ reverberatione parandum, tum etiam aperiensem, cum spiritu sulphuris, edocuère, magnamque inter illos distinctionem observârunt. Te igitur sapientiores omnibus sistis? Ignis flammam, quatenus ignis, acidam esse; quid absurdius cogitari potest? Ferculum dignum esse spiritibus infernalibus & mendaciorum, concesserim; de cætero neminem credo, præter *novellum Hippocratem*, ignis flammam delibasse. Si aliqua aciditas cum igne exhalat è lignis accensis, & in auras abit; illa non ignis est, sed ejus nutrimenti, scilicet ligni, aut alterius rei accensi, in quam ignis immediatè aigit, eamque in sua elementa resolvit. In natura non datur acidum fixum, quod constans in igne persisteret. Quomodo igitur in croco Martis adstringente, qui tot ignis torturas sufferre debet in suâ præparatione, acidum in residuo manebit & conservabitur? Ignem dixit *novellus noster Hippocrates* sæpius ipse salia lixivialia alcalizare; alcalizatio autem, juxta ejus sententiam propriam, est privatio omnis aciditatis in salibus. Si itaque leviori ignis operâ salia lixivialia, ex ejusdem mente, suo acido privantur; imò acidum omne, & totum, ex lignis ardentibus, unâ cum flammâ, exhalat, aut potius expellitur: quomodo in croco Martis adstringente, in tam diuturna & violentâ ignis torturâ, acidum constans persistere potest: aut, quod absurdius, ipse crocus Martis à flamma ignis acidus fieri & resolvens? Si ignis flamma acida esset, aut acidum in igne constans persistere posset; salia utique lixivialia non magis alcalizarentur, sed acido-falsa potius efficerentur. Hoc autem è diametro oppositum est sententiæ *novelli Hippocratis*, qui ait sæpissime; salia ab igne magis alcalizari, perdere suum acidum in igne, *pag. 59.* & in plurimis locis aliis. Ergo falsus est hic *novus Hippocraticus* aphorismus, qui denuo aperte sibi contradicit. Duo enim contraria, de uno eodemque subiecto loquendo, consistere simul nequeunt; nisi in tuâ *Hippocratica novissimâ* Philosophiâ aliter se fortè res habeat. Sed resipiscit Tackenius,



malè sibi conscius, in eodem paragr. pag. 209. lin. 12. dicens: *Aciditatem, communicant flamma, omnia inflammabilia, ut ligna, frutices herba &c.* Hoc assertum priori hypothesei contrarium iterum est, & tamen etiam falsum; quia aciditas non est communicabilis, vel permiscibilis, cum flamma; cum nulla aciditas in igne persistere, vel igni resistere queat: & quomodo igni erit communicabilis? Aciditas proinde, ut verè loquamur, vi ignis & flammæ ex omnibus rebus, vegetabilibus, animalibus, & mineralibus, non ut ignis, aut flammâ ignis, sed ut fumus, vi ignis, potenter & totaliter expellitur, ac in auras protruditur; non in igne, non in flamma remanet, ipsi igni non commiscetur, nec cum illo uniri, aut quicquam commune cum igne habere potest. Si itaque aciditas omnis ex lignis, aliisque rebus combustibilibus & inflammabilibus, unâ cum igne exhalat, vel igne expellitur: quomodo illa aciditas humida, vel acidum illud humidum, in igne simul manebit, simulque sese insinuat in id, quod in igne, & potenti ignis flammâ, uti Crocus Martis adstringens, aut res aliæ, diu multumque detinetur, & fortiter reverberatur? Nonne hæc sunt absurda? Tertiò iterum inquit, *ibidem*, lin. 15. absurda absurdis cumulando: *Hanc inflammabilem aciditatem* (miror, Tackeni, quòd non dicas: hanc inflammabilem aquam; quia hic spiritus totus est aquosus & humidus) *divendit ipse reformator, pro spiritu salis armoniaci acido, & hoc loco, illum planè ignorat.* Optimè planè dixisti; sed malè prosequutus es. Verùm quærit Reformatore ex te; utrum jam dum gustaveris flammam, & favillas Averni? Aciditatem, vel propriè spiritum aliquem acidulum aquosum, uti ex lignis vel fructibus exhalat, inflammabilem esse, & statuere, absurdo absurdius est. Exemplo tibi sit sulphur commune, ejusque spiritus acidissimus. Sulphur commune facilè accenditur, & quod in illo verè combustibile est, sub campanâ conflagrat, & in suum chaos vel elementum abit; ejus autem aciditas humida, aut humidum acidum, unâ cum flamma exhalans, ex parte resolvitur in liquorem acidissimum humidum; quem spiritum, vel oleum, sulphuris dicimus. Hic verò spiritus non fuit ipsa flamma; aliàs enim in flammam, in ipsum ignem, facilè iterum converteretur, & inflammabilis esset: non est autem inflammabilis, sed igni sat fortiter resistit, & haud exiguâ vi ignis opus habet, si destillari, & per retortam, vel alembicum, propelli debeat. Ergo cum flamma invisibiliter saltem exhalat, & acidum, quàm grave & crassum etiam sit, in flamma & igne constans persistere nequit, ut neque cum eo sese unit, sed fugit, in aera dispergitur, ac in chaos universi abit: itaque insulsè & absurdè loqueris, quòd Reformatore inflammabilem aciditatem (aquosum spiritum acidum inflammabilem: risum teneatis, Amici) *divendit pro spiritu salis armoniaci acido.* Quid propriè sit spiritus salis Armoniaci acidus, hoc Reformatore superius fundamentaliter & verè te docuit. Hæc verò, quæ tu doces, phantasticus aliquis enthusiasmus, aut furia, & Megæra, quæ flammam gustavit, tibi suppeditavit, & vacuo tuo cerebro impressit; ut mundo & incautis imponas, ac novum & pseudo-Evangelium scholis & Athenæis evangelizes. Verùm enim verò: absente caupone tecum rationes iterum digessimus, *novæ Hippocrates*, dum simplicibus & fatuis te fermocinari credebas; tributarios omnium assensus tibi futuros, illico opinabar; Harpocratem in officio & silentio Reformatorem moderaturum suspicabar. Verùm! Spes alunt exules: opinio te fefellit; & quos delusisse credebas, hite in triumphum & forum læris adducunt quadrigis. Sed quid iterum de te audio, pag. 210. lin. 1. *Acidam partem in flamma separabilem esse?* Quomodo hæc antecedentibus conformantur? Quomodo sequentibus concordant? Nam, lin. 11. dicis: *Plumbum dum in minium exurit, incrementum ejus ex solâ flammâ in plumbum assumpsisse.* &c. Si verò acido pars in flamma separabilis, nullumque acidum in igne consistere potest;

potest ; quod mechanicâ demonstratione, & experienciâ ipsa confirmatur : quomodo flamma acida incrementum hoc plumbo dederit ? Porro : Corpus hoc, scil. minium, non est acidum, nec acidi saporis ; affuso verò liquore acido, aceto destillato, tunc demum redditur dulcissimum sapore. Hinc saccharum Saturni, quod aceto extrahitur, vitriolum Saturni appellatur, & in aqua dissolubile est, ut reliqua ex metallis vitriola, seu soluta metalla. Hæc autem ab acida tua flamma non procreantur, quin potius omne acidum, & saporem, quo Vitriola metallorum gaudent, ignis flamma expellit & fugit. Nulla ergo aciditas, nullumque incrementum minio à tua acida flamma accedit. Si tamen erudiri cupis, *Hippocrate Philosophe*, en ! suscipe informationem à Reformatore, neque verecundare, te doceri à Zwelfero tuo, qui tibi & olim auxiliarem dextram extendit, ac manu te duxit, quò minùs de lubrico Doctoratùs ponte congenita cerebri imbecillitas & vertigo te præcipientem ageret. Dico autem tibi, quòd incrementum illud, in rebus quibusdam fortiter calcinatis, non sit ab acidâ tua flammâ, sed attractum quid ex aëre, & uti loquuntur, ex astris imprægnatio, vi siccitatis humidum appetentis. Residere autem in aëre salem ejusmodi universalem & humidum, qui vi attractivâ à calcinatis, quâprimùm ab igne remota sunt, allicitur ; illud experienciâ ipsâ verè & realiter demonstro : & quidem in hoc genere minerali & metallico. Nimirum si Vitriolum commune, cujuscunque generis sit, fortiter & extremâ ignis torturâ calcinetur aut destilletur, illudque, post peractam calcinationem, aëri, astrisque exponatur ; verè illud augetur & incrementum sumit : ex quo tandem illud attractum aquâ simplici copiosè elicitur, & in salem mirabilem nitrosum ferè redigitur coctione. Hic verò sal nitrosus (non tamen nitrum) ante imprægnationem aut attractionem, in Vitriolo calcinato, vi ignis & flammæ omni sapore & aciditate privato, nequaquam existebat aut existit ; quoniam nec granum illius post peractam calcinationem statim elicies. Similes experientias à metallurgis experire plures ; qui tibi manifestè has accretiones & imprægnationes aëreas & astrales demonstrabunt. Discas itaque, ignem saltem urere & exurere, diminuerè, privare, resolvere violenter principia, destruere (intellige destructibilia) & mortificare, quidquid immediate attingit : tantum igitur abest, ut incrementum rebus calcinandis largiatur : aërem verò vivificare, augmentare, & conservare ac incrementum addere, actu & potentiâ, mediatè & immediatè. Et sicut moderni Doctissimi Viri & Philosophi, Aquæ omnia inesse semina, statuunt : sic ego, illis tamen nequaquam contrarius, audeo affirmare, in aëre quoque esse plurima, juxta modum inhæsionis, magis tamen spirituosâ & vivificantia rerum ; quàm in aquis : cum etiam, quæ in aquis hæsitant, putredini priùs magisque sint obnoxia, quàm quæ in aëre. Quamvis & aëri corruptibilia sæpe, & pestifera communicentur semina, eique, atomorum instar, innatent volitantia ; non tamen in aëre, sed alibi, in terræ antris, aquis putridis stagnantibus, ac cadaveribus putridis, in vitam animata, ac, veluti priùs, generata : quippe quæ, si ulterius symbolizentur, severè mox in genus humanum, mox in bruta animalia, & quidem specificè in hæc vel illa, inque immensum aucta & multiplicata, tyrannidem suam exercent : eoque faciliùs & potentiùs : cum aëre non carere ; sed aëre respirare, illumque attrahere & aëre quasi vivere cogamur.

Altera præterea novelli Hippocratis proba, pag. 210. paragr. 2. quòd flamma acida lambendo plumbum, ei commisceatur, fixeturq, in alcali, & hinc illius incrementum ; falsissima etiam est, & crassa ac rustica, seu nova Hippocratica Philosophia. Nam liquor acidulus, & oleum crassum foetidum, quæ ambo ex lignis, sive comburantur in aprico, sive per retortam destillentur, exhalant ; quomodo ab



do ab igne singul & semel è suo corpore, ligno scilicet, vel aliâ re, expulsa, iterum in eodem igne violento reverberii constanter persistere, à liquidâ, aquosâ, & oleosâ formâ & substantiâ, in solidam & fixam, ac planè aliam, substantiam, in alcali (observa bene) reduci, penitus transubstantiari, & in planè aliud esse, à natura pristina alienum, transmutari possunt? Factus est transubstatiator noster *novellus Hippocrates*, imò forte omnipotens, *Tackenus*. Quis unquam audivit, liquorem aliquè aquosum, & oleum quoddam crassum, ambo fugacia in igne naturâ suâ, transubstantiari posse in alienum quid, naturæ pristinæ contrarium planè, fixum alcali? Quæ stupiditas hæc est? Si absq; lignis, sed carbonibus saltem, plumbi reverberatio fiat; nonne aquè bene in minium, calcinatione hæc, aut reverberatione, plumbum convertitur; carbonibus autem acidus hic spiritus non amplius inest, ut neque oleum fœtidum crassum, sed inest illis saltem spiritus suffocativus, qui in clauso vase, in retortâ, igne etiam violentissimo, expelli nequit, nisi in aprico sensim comburantur? Unde igitur tunc illud minii aut plumbi augmentum, deficiente spiritu hoc acido & oleo, suam habet originem? Non equidem negare potes, *docte Chymia Professor*, quòd si ligna per retortam, in clauso scilicet vase, destillantur, & expulsi eorum spiritibus acidulis aquosis, ac oleo fœtido; carbonibus tantùm in residuo manèant, nec unquam cineres ex illis fiant, clauso in vase, vel retorta. Cùm igitur residuis illis carbonibus à destillatione neque de spiritu hoc acido aquoso, nec oleo fœtido, quicquam amplius inest, sed totum expulsum: ergo neque alii carbonibus hoc spiritu & oleo fœtido prægnantes erunt, qui in calcinatione plumbi & minii, carbonibus solis peragendâ, incrementum addere, ac in alcali fixari possent. Unde igitur, in illa carbonariâ calcinatione, aut reverberatione, plumbi incrementum accesserit, hoc deficiente spiritu & oleo; non abs re quæro. Amplius dicam: Si spiritus acidilignorum, & oleum fœtidum, in flammam conversa, plumbum in calcinatione lambendo, sese illi unirent, incrementumque plumbo & minio adderent; consequenter substantialiter minio post calcinationem inhaerent: ejusdem substantialia ergo, uti & accidentia inseparabilia, utpote odor & sapor, adesse in minio deberent, quæ sine illorum destructione abesse nequeunt. Sed neque sapor, nec odor horum, neque etiam alcali quoddam fixatum resolvable, in minio reperitur (quod tamen dicis, *Tackeni*, hæc in alcali fixari, id est, in saltem resolvablem aquâ: nam alcali esse, & non resolvable esse in aquâ, implicat) Vides ergò, quòd omnia vana & inania phasmata sint, seu nugamenta, quæ garris de tua acida flamma. A quâ ne empyrevma contrahas, caveo.

Porro ais eâdem veritate, eademque *pag. lin. 25. Refunde minium in plumbum, & habebis centum libras, ut prius.* Hoc pariter falsissimum est, & experientiæ nequaquam correspondet. Convertitur nempe haud parum de plumbo, ejusdem nimirum humiditate Mercuriali, vi ignis, privato, in scorias: quod clarè patet in leni liquefactione saltem plumbi. Semper enim aliquid scoriarum, quotiescunque tantùm igne leniter liquatur, decedit, & in pondere diminuitur. Annon a. in violentâ ac diuturnâ hac calcinatione & reverberatione plus sit decessurum; judicet, qui mente constat. Vides autem, quàm audax sis, *Tackeni*, in scribilibandis tot tantisque nugis falsissimis.

*Pag. 211. lin. 6.* mirabilem iterum affert paragraphum de alcali artificiato ex plumbo; & de occulto acido pingvedinis, quod actione & reactione coagulentur in neutrum. Quæ non minùs, quàm priora, absurda sunt atque stupida, ignaro *novello Hippocrate*, quòd totum minerale, seu metallum etiam solutum, in pingvedine solâ tandem solvatur, expulso menstruo corrosivo aut acido,

ac corpus solidius, seu duriusculum, ex pingvedine efficiat, ulteriore & leni coctione; non verò quòd ab acido occulto pingvedinis hoc eveniat; sed ab ejusdem unctuositate, sulphuribus metallorum & mineralium cognatâ, uni-  
cè perficiatur.

*Pag. iterum 211. lin. 16.* paria superioribus addit, ac ad *Emplastrum Triapharmacum* (pro complemento arcanorum) tractandum descendit. Sed ar-  
rigite aures, Tirones; videte, num Pædagogus non cespitet in consignanda  
manipulatione; quî nimium Lithargyrii, Minii, &c. pro Emplastris, Tri-  
pharmaco & Diachylo, conficiendis solutio peragatur. Hæ enim primæ no-  
bis sunt & notissimæ institutiones: cùm è contra *novellus Hippocrates* in igno-  
rantia tenebris adhuc cespitet. Sed quâ ratione accidit, *Tackeni*, quòd vel  
nullum paragraphum tractas, quin à mendacio vel auspiceris, vel in illud de-  
finas? Ubi hæc unquam tecum rancida & unctiosa argumenta: quando,  
de sapone conficiendo, vel verbo, vel scripto, tractavi? Produc adhuc se-  
mel illam epistolam fictitiam, quâ oleum Tartari cum alcali Viperarum picis instar  
inspissabatur: adduc literas Uriæ; & palam ex illis fiet, quâ ratione fraudu-  
lenter me subornâris mendaciis & adulationibus; tum & Celsissimo Principi  
Holsatiæ Slesvicensi palpaveris, novus denique Hypocrita fueris. Sed abbrevio,  
cùm pluribus de his te convixerim, *pag. 21.* Quin vexat te laconismus  
noster, *Tackeni*; quòd succinctis verbis (ita & D.D. Augustani) scripserim Phar-  
macopœis: Coquantur secundum artem? Proh! quam ollam exornas! Vah!  
quæ bellaria nobis apponis! Tam temerarius ego non sum, ut Doctissimos  
quosque viros inscitia arguam; qui cum exercitatis Pharmacopœis suas  
præscriptiones consignant, illud vulgatum addendo: Fiat lege artis. Con-  
sule Autorum myriades, ac ubique reperies hanc, quam addo, clausulam;  
licet non semper sufficiat, & in omnibus: de qua in nostra Pharmacopœia  
pluribus disserui. At verò tam supinè negligentes, & superbè arrogantes,  
vix ullos deprehendes, qui tecum oscitanter illud vulgatum obganniant: *ea  
hic enarrare, nimis operosum esset, lampada tradidisse sat est, pag. 136. lin. 24.* prout  
passim omnes discursus hætenus aut fraudulenter obscuras, aut negligenter  
prosequeris, aut sine crux, ut dicitur, finis & absolvis; Lectorem deludendo.  
Residuos tres sequentes paragraphos per transennam intueor: quòd nimirum  
*Emplastra ex plumbo antiquissima, chimica arte parata sint.* Gaudete ergo Unguen-  
tarii, qui Ceratum, qui Emplastra, nostis decoquere! Gratulamini vobis,  
Tirones, qui saltem Emplastrum Triapharmacum coquere nostis. Vos estis,  
teste *novo Hippocrate*, in antiquissimâ arte Chymicâ exercitatissimi, & suffi-  
cienter instructi; sicut *novellus Hippocrates* in novissimi salis Viperini anti-  
quissimis ac stultissimis fundamentis. Item observemus; quòd *inter me-  
talla nil reperiatur quod cum acido constanti*, (teneatis risum!) *promptius in ami-  
citiam coeat, quam plumbum*: sed immemor sui; dum Hippocratem Coum in-  
vocat, qui ait: *de prisca medicina: in homine inest acidum, acerbum, acidissimum,  
aliaque sexcenta, quæ, pro copiâ & viribus, varias habent facultates &c.* Illam pro-  
positionem statim falsissimam reddit, *pag. 212.* ubi ait: *lin. 19. Veteres nota-  
runt, ex acido, inchoari in viventibus omnes inflammationes.* Hoc probo esse  
falsum. Per tuum Hippocratem in homine reperitur acidum, acerbum, pon-  
ticum, aliaque sexcenta. Ergo non tam ex acido, quàm acerbò & acerbissi-  
mo, in homine & viventibus succenduntur inflammationes. Hinc etiam  
ruit, quòd per plumbum, & ex eo deducta Unguenta & Emplastra, omnes in  
viventibus inflammationes tolli debeant: prout *sequenti paginâ* doces: cùm  
sit diversa inflammationum progenies & origo, nec omnibus hîc acida oppo-  
nantur. Nam & ipse docuisti, quòd alcalibus purè falsis, non acidis, do-  
lores & inflammationes podagricorum tolli debeant; verâ methodo &



curatione per contraria. Iterum igitur vides, quòd aliter oleant catuli; aliter fues. Transeant cetera sine ulteriori examine. Nam ex textu ludicra illa Hippocratica doctrina patet. Sequitur

## CAPITULUM XXVII.

cujus inscriptio:

*Acidum in flamma probare pergit.*

Textus hic est:

corallorum  
Tinctura.



Perito igne reverbera corallios integros ex gr: uncias duodecim per 8. dies & noctes, (perito servit ignis pro distillat: spiritus vitrioli) & reperies uncias 15. id est, tribus uncias auctos, & in pulverem conuersos subtilissimum. Hoc augmentum nil aliud est, nisi acidum ex flamma, quod corallia dissoluit, & cum ipsis coagulatur & fixatur, acidorum more in salsum. Huic salsi, cum affuderis acetum distillatum, non emittit bullas, ut alias contingit, in corallis non reuerberatis acido nimirum sunt saturati, hosque dissoluit, in pellucidum, semi acidum liquorem, qui licet pellucidus & sine colore, latentem tamen habet sanguineam rubedinem, quam spiritus vitrioli affusio, in momento manifestum reddit. Hanc rubedinem non introduxit, neq. acetum, ut neq. spiritus vitrioli: alias semper rubesceret mixtura, quando magisterium ex corallis vulgari modo preparatur. Oportet ergo, mechanica necessitate, hac rubedo in corallis clam latuisse, & ignis ope, ad maturitatem productum fuisse: de quo nunc plura dicere lubens supersedeo: satis est quod contra reformatoris somniam doctrinam, acidum hoc salsum non destruxit, & corallorum tincturam, in igne constantem, me ostendisse, quam porro ingenio separabis, & se ipsa laudabit.

Tinctura hac  
est Rectior vel  
Archeq, qui  
cum corallorum  
vita  
pari passu  
ambulat  
magnarum  
virium, mo-  
ri nesciens,  
neq. in igne,  
ut in vino  
ostendi.

Antimoni-  
um fixatur  
acido, ex  
igne.

Sic, Antimonii regulum, in flores eleuatum Ex: gr: uncias 12. mitte, in arenam, vitrariorum fornacis, in idoneo terreo vaselargo, benè cooperto, ne incidant volitantes cineres, & remotè ab oculo, ubi flamma fluctuat, ne scil: liquetur, sic stet per 8. dies, post vasculum appropera oculo vicinius, quinto quoque die, parum, usq. ad quinquagesimum circiter, tunc reperies flores reguli, in pulverem rarum, leuem & candidissimum fixatos, & duabus uncias auctos, ex acido ab igne haustum, quod terreum vas, sine lesione, spirituum more, penetrauit. Hic regulus, pridem leni igne fundebatur, nunc (antimoniali) fusioni resistit, nisi flantibus fallibus urgeatur, tunc spiritus acidi ex igne ad elementa redeunt; & reguli inuenies uncias 12, ut etiam de plumbo ostendi.

a lac ex sul-  
phure anti-  
monii, ma-  
gnarum vi-  
rium  
b. Antimo-  
nium fixum  
antipesten-  
tiale.

Similiter pertracta antimonium crudum, & dimittet volatiles acidos spiritus, aliisq. fixiores ab igne induit vertiturq. in candidum pulverem, antimonio diaphoretico similem, in medicina majoris facultatis, quam illud quod cum nitro comburitur. Ratio est, quod hic, non tantum sulphuris cum nitro deflagrat, sed fixatur à propria regulo, hic, ab igne. Quod hac mechanica docet: Coque antimonium, quod cum tribus nitri partibus commistum, ac per vices accensum & calcinatum sit, in aqua simplici: in illa ebullitione, nitrum à sulphure (antimonii in alcali combustum) dissoluit sulphur antimonii, jam fixum (quemadmodum, alcali tartari bulliens, soluit sulphur commune pro lacte, (a) ut habet Crollius) huic solutioni, calidè filtrato insperge acetum (& senties sulphuris odorem) quod statim ab alcali combibitur, & sulphur cadit, in album, rarum, leuem & spongiosum puluisculum, hunc ablue. Cujus dragma cum aceto in peste (b) exhibitus, majoris est valoris quam uncia non cocti & soluti: hinc liquet, quod sulphur antimonii quod alias cum nitro deflagrat fixatur à proprio regulo, hic ab igne, in vasculo supra nominato adeoq. perfectior erit.

In ignis flamma itaq. est aciditas, quam sicut plumbum, corallia & antimonium combibere ostendi, sic etiam ipsum ferrum; quod cum hoc & reliquis acidis omnibus,

*omnibus, cum igne in rubiginem vertitur; adeoque nulla est differentia, inter crocum martis qui fit, vel cum manifestè vel occultè acidis, vel ambo sunt constrictivi, vel aperitivi.*

*Crocus  
martis.*

Animadvertat Benev. Lector, quàm mira, quàm inaudita, & quàm occulta à sensibus & cognitione, juxta promissâ, hîc tractat. Non est Chymicus liber, qui huic materiæ paginas aliquot non consecret inaniter. Et tolerandus iterum foret gloriolæ ardor & pruritus, si propria, licet communia & obvia, tractaret: sed illa semper nobis obtrudit, quæ aliunde subtrahit; & de arrosis ossibus iterum substantiale jus elixare nititur, dum speciosis marginalibus, prout, pag. 214. aliena cohonestat; quasi vel sic Lector hunc Hippocratem venerabundus sit elaturus. Dic, mi Tackeni, annon hanc absurdissimam corallorum Tincturam descripseris ex Hartmanno, *Bas. Chym. pag. 180*? Dic iterum; an illam aliquando præparaveris? Profectò, si hujus processûs periculum fecisses; nunquam inconvenientia, quæ secum affert, si verax esses, dissimulasses. Verùm perinde tibi est, siue utilia, siue erroribus inculta, nobis obtrudas: modò chartas commacules, & libros scribilles, rem tibi è votis cessisse imaginaris. Quid autem de fucatis hisce & ementitis coralliorum tincturis sentiam; ex fundamento aperui, tum in *Animadvers. pag. 438.* tum etiam in *Appendice ad Animadversiones, pag. 59.* quæ consulere A. L. hortor. Nunc aureum hoc vellus (*mori nesciens, neq; in igne, magnarum virium scilicet, Rector & Archeus, qui cum corallorum vita pari passu ambulat, pag. 114. in margine*) novi Hippocratis examinaturus; monstrabo, in quantâ ignorantie caligine Tackenius versetur & cespitet, ubique hallucinando. *Corallos aperto igne reverberare per 6. dies & noctes jubet, eosq; augmentari acido ex flamma perhibet, uncis tribus: quod acidum nimirum corallia dissolvat, & cum ipsis coaguletur & fixetur acidorum more in falsum.* Hic textus quot verba, tot etiam absurda continet: experto credendum Ruperto, uti dicitur. Ego diligenter tot annis sedulus, & indefessis laboribus, inquisivi; utrum vera coralliorum Tinctura, de qua ubivis tanta depredicantur, possit acquiri: sed laterem lavi. Incidi etiam in illam, ab Hartmanno descriptam, Tincturam, quam *novellus Hippocrates* nunc, pro suo arcano & invento, nobis venditat: hanc diligentissimè perscrutatus sum. Verùm quid inveni, in primo statim labore, post sedulam peractum corallorû calcinationem diuturnam, vel potius violentam reverberationem in destillationibus spiritûs Vitrioli, multorum dierum spatio? Calcem vivam & Calcem vivam, calci vivæ communi omnibus proprietatibus similem. (cujus naturam; uti ex his, & anteedentibus, patet, noster Hippocrates planè ignorat) Ex quâ calce corallorum qui Tincturam, & tam nobile medicamentum Corallinum elicuerit; & quod dudum tantâ ignis violentiâ expulsum, destructum, & verè mortificatum, repetierit: is magnus mihi erit Hippocrates, ipso Apolline major. Miror itaque, & demiror hominem impudicum, qui, quod spiritus ejus phantasticus, ac Morpheus, per somnia fortè suppeditat; insigni jactantiâ, gloriolæ cupidine, amoris tamen erga proximum, uti ait, *stimulo*, profert. Posito enim; aliqua rubedo in menstruo huic corallorum calci (vel etiam simplici calci) affuso, digestionem factâ, fortè appareat; quod tamen minimè fiet: illa rubedo, profectò, non est à corallis destructis, & in calcem conversis, sed à menstruo, & calce viva, quæ destructivum & mortificativum nostri corporis medicamen & liquamen est. Etenim calx viva, ejus vires paucis notæ, ignotæ nostro Hippocrati, tam occultum potentiâ in se continet ignem, ut & actualem ignem, comburendo, mortificando, & destruendo animalia cuncta, superet. Adeoque ejus aqua, in qua nimirum siue extincta, siue cocta fuerit calx viva; vel etiam menstruum, quo cum fuerit



calx viva extracta, pro interno usu, tanquam perniciosum medicamentum, omnino vitandum. Præter enim vim exurendi & mortificandi, quâ calx viva poller, spiritum insuper occultum habet petrificum; cujus virtute, animalibus cunctis contrariâ & deleteriâ, omnia in sui naturam convertit, spiritus naturales & vitales figit ac velut petrificat, & ad operandum ulterius inefficaces ac torpidos reddit. Hæc experientiâ constant & comprobari possunt. Spatio enim paucularum horarum corpus animale, sive vivum, sive mortuum, obrutum calce vivâ, ac veluti sepultum, illud vi suâ exurendi & mortificandi penitus destruit, ac ultimò tandem in corpus indissolubile convertit & commutat. Cum olim calcem vivam intimius perscrutarer, ac multos cum illâ susciperem labores, experiendi causâ; num sal quidam; & qualis, ex ea foret eliciendus; quis spiritus; an oleum; liquor constans; terra medicinalis; tinctura; vel quid simile, in illâ fortè lateret; an sales cum illâ fixari; vel utrum quovis modo ad Medicinam internam fructuosè adaptari possit: en! nihil horum labores seduli suppeditarunt. Nullus enim sal, de quo vulgares Chymici, & noster *novellus Hippocrates*, falsò gloriantur, calci inest, neque acidus, neque falsus; sed inest illi ignea vis destructiva; quæ tam diu occulta in ejusdem corpore latet, donec affusâ aquâ, vel humiditate aliâ quâvis attractâ, spiritus ille igneus & siccus contrario suo, scilicet quâvis humiditate, suscitetur. Tunc nimirum in proximum subjectum, quod immediate attingit, potenter agit, & pro diversitate, illud vel destruit, vel igneum magis, utpote sales vegetabilium, efficit, vel etiam in saxum, aut duram compagem indissolubilem, secum petrificat. Calci verò non inesse duos diversos, & sibi repugnantes, sales, falsum nimirum & acidum, qui in se invicem agant, juxta *Hippocratis novi* antiquam cantilenam, sed falsam: præter veram rationem (quæ duo diversa salia, naturâ suâ sibi invicem repugnantia, in uno subjecto juncta hospitari, nectamen sibi contraria esse, donec affusâ humiditate actuentur, concipere hæud potest) sequentes demonstrant labores, ac experientia, rerum magistra. Etenim neque sales acido-falsi, neque sales purè falsi & fixi, à calce destruuntur; quin ambo sales in suâ veluti naturâ acriores reddantur (ignipotentiores, ut loquitur noster *novus Hippocrates*, ab igneâ virtute calcis) quatenus nimirum calx viva in subjectum indestructibile ac fixum, suæ resistens naturæ, agit, & cui igneam suam vim & potentiam communicare potest, sine destructione aut petrificatione utriusque. Porro; elicitur ex calce viva particula etiam spiritus ignei, solâ aquæ simplicis affusione: qui spiritus tamen adeò subtilis est & rarefactus, ut in aquâ, tanquam suo contrario, vel brevè emoriatur, vel penitus exhalet. Nam si addideris huic aquæ calcis, sed recenti, igneâ virtute adhuc prægnanti, salem quendam volatilem animalium, vel urinosum: illum illico igneâ ac destructiva vis aquæ calcis inherens destruit, mortificat, & in fixum insipidum pulverem, à salis naturâ & proprietate alienum; verbo, in mortuum effectumque corpus, omnibus virtutibus spoliatum, transmutat. Hoc experimentum adduxi in *Animadvers.* ubi de sale Viperarum fixando egi: & quidem non abs re; ad demonstrandum nimirum, quod sales volatiles animalium difficulter, imò, ausim dicere, nunquam verè fixari, aut à fuga coerceri possint, nisi penitus destruantur. Tantum autem admonitio hæc, & fidelis communicatio, apud *novellum Hippocratem* effecit, ut, tanquam falsarius, antecederet, ubi de sale etiam Viperino egit, in Reformatorem petulanter invehatur, ac si ipse salem Viperinum cum calce vivâ fixare docuerit: cum tamen contrarium ex ipso & claro textu *Animadversionum*, pag. 276. col. 2. evincatur, adeoque cuilibet obvium sit, quod non, nisi mendacijs, Reformatorem

torem conspuere & calumniari satagat : ipse verò, in quo Reformatorem falsò & nequiter carpit, valdè impingat, quatenus insalubria medicamenta, ex ipsâ calce vivâ paranda, tanquam ex magno experimentorum suorum cumulo, mundo obtrudere conatur. Ut igitur verè & meritò de ipso illud Plauti dici possit :

*Ibo ad Medicum, atq; ibi toxico me morri dabo.*

Plures alios labores è calce vivâ aggressus sum, quos hîc recensere, nimis longum foret. Sufficiant hi pauci, è quibus palam fit, quòd calx viva sit destruetivum deleterium, nec quicquam ex illo elici possit, quod generi humano, pro interno usu, salutare, & boni viri remedium esse possit. Caveamus igitur, & cautè medicamenta *novi Hippocratis* tractemus; quoniam mors in olla est: ne, pro speratâ morborum medelâ, mortem nobis acceleremus.

Præterea inquit *novus noster Hippocrates*, pag. 213. lin. 14. quòd duodecim uncis Corallorum, post calcinationem, tres uncia accesserint in pondere: & hoc augmentum nil aliud esse, nisi acidum exflamma, quod Corallia dissolvit, & cum ipsis coagulatur & fixatur, acidorum more in falsum. Hæc acida & insulsa mendacia iterum sunt. Quàm enim exactissimè pondus, tum calcinandorum, tum etiam perfectè jam reverberatorum, & in calcem converforum corallorum observaverim; hoc augmentum nequaquam reperire potui; quin potius prioris ponderis haud exiguam diminutionem. Adeoque falsissima hæc assertio, de aciditate flammæ; quòdque ex illa hoc augmentum ponderis fiat, per se ruit, ac ipsâ experientiâ refelli potest. Et quis hoc absurdum non rideat, si consideremus, quòd volatilis ille acidulus & aquosus lignorum spiritus, semel violentiâ ignis expulsus, statim in eodem igne violento reverberii continuato, vinculis & catenis quasi ferreis ligari se sinat; neque aufugiat, ac auras petat, antiquum Chaos repetendo; sed maneat in eodem igne, seseque insinuet in corallia igni tradita: quorum propria & connata tamen humiditas, quæ & ipsa acidula, conservari in igne nequeat, quin protinus expellatur. Sed audi, *Tackeni*, cur non sese insinuant hi lignorum spiritus, in quacunque destillatione, in lateres, & argillam, è quibus furni constructi, illosq; continuo augmentant, ac grandiores, quotiescunque in illis destillatur, efficiunt, & vel totaliter tandem alcalizant? An non contrarium indies experimur, quòd cuncta similia vi ignis leviora fiant, in pondere diminuuntur, & exsucca in residuo maneant? Quis unquam tam stupidæ mentis, vel ejus audaciæ fuit, ut spiritum aliquem aquosum igne expelli simul & fixari, inq; alcali solidamque compagem, imò in aliud planè esse, transsubstantiari posse statuerit? An non hæc phasmata sunt *Tackeniana*?

Quàm absurdum porrò sit, quòd spiritus Vitrioli rubedinem Corallorum (ex dicta Corallorum calce) cum aceto extractam, tandem manifestum reddat; pag. 213. & 214. id ex *Animadversionibus*, super *vulgaria magisteria* patet. Tædet, profectò, has imposturas multum terere. Indignæ enim sunt, quibus chartæ maculentur. Et si attentè consideremus marginale illud, pag. 114. nimirum: *Tinctura hæc est Rector vel Archæus, qui cum corallorum vita pari passu ambulat magnarum virium, mori nesciens, neq; in igne, ut in vino ostendi*: quis, quæso, non rideat toto splene? Cachinno non excipiat hoc fastuosum & hyperbolicum scribillandi genus? Quoniam nil salis, nil veritatis habet. Et his nugis absurdissimis tamen Reformatorem triumphasse, ac iterum vicisse; phanaticum nec non acidum, falsum non destruxisse, sat demonstrasse putat. Risum teneatis, Amici; & quisque in aurem *Tackenio* illud obmurmuret:



*Sunt quidam stulti, quos gloria vexat inanis.*

Quæ præterea, pag. 215. & 216. de calcinatione Antimonii adducit, ejusque floribus, Regulo, antimonio Diaphoretico, Præcipitato, fixatione sulphuris Antimonii cum proprio Regulo: illa pro majori parte falsissima sunt, eorumque absurditates quilibet expertus Chymicus ac Pharmacopœus deprehendet; ac unâ etiam mirabitur, si contradictiones & impossibilia attentè observaverit; utpote: *Flores Antimonii ex Regulo in furnis vitriariis calcinatos aut reverberatos, auctos & fixatos, iterum in Regulum fundi posse, ejusdem quidem ponderis, quò erat antea, scilicet Regulus, ante suam sublimationem in flores.* Verùm quis quæso ignorat, quòd Regulus Antimonii, quocunque modo paratus, totus sit volatilis, deponat scorias toties, quoties funditur, seu igne liquatur: & quomodo ex floribus fixis & fixatis (observemus bene!) sine jacturâ pristini sui ponderis, iterum in Regulum fundi poterit? An non absurda sunt, & contradictiones? Si ex floribus fixis, aut fixatis, fusus est regulus; necessariò & Regulus deberet esse fixus. Sed hoc non est; nec ipse hoc asserit; quoniam omnis Regulus Antimonii flante folle volatilis est, & in auras pelli potest (ut loquuntur Germani, *verblasen werden.*) Ergo nec unum nec aliud est fixum, nec idem pondus Reguli ex sublimatis & fixatis floribus fundi potest: sed falsissima sunt & contradictoria.

Antimonium Diaphoreticum, cum sale Tartari præcipitatum, pag. 216. *lin. 11.* calx mortua est, nullius virtutis aut efficaciæ; prout similes pulveres ferè omnes, ex contrariorum liquorum confusione præcipitati, exigui, & vel nullius momenti sunt; quod sæpius demonstratum, & ad oculum ostensum est; ubi de Magisteriis vulgari modo paratis, in *Animadvers.* egi; quin & nunc magis, in *novo Opere*, comprobatur; ubi de Lacte sulphuris agitur. Ex quibus omnibus palam fit, & vel è solo Lacte sulphuris ipsa asserti veritas emergit; quòd inutilis ferè & mortuæ calces sint, quæ ex rebus duris, ac solidis mineralibus (exceptis tamen fixioribus metallis) item corallis, margaritis, oculis cancrorum, & his similibus, acido spiritu, vel aceto solutis, cum suo acido contrario sale Tartari præcipitantur. Et sic, ad invidiam Hippocratis novelli, acida falsis (intellige purè falsis, sicut sal Tartari est) adeò contraria sunt, ut, ubi se mutuò attingunt, mutuò etiam non solum se destruant; verùm etiam, quæ de suprâ recensitis rebus, corallis, perlis, sulphure, &c. ab alterutro sive falso, sive acido liquore soluta fuerunt, & iterum à contrario suo liquore præcipitata; illa vel totaliter, uti perlæ, corallia &c. vel pro maximâ sui parte, uti sulphur &c. unâ veluti comburant & mortificent. Propterea experiëntiâ, & veris ac firmis rationibus suffultus, assero, contra novum Hippocratem, drachmam unam ritè & dextrè parati Antimonii sine præcipitatione, legitimè, in *n. Animadv.* descripti, plus valere, majoris virtutis alexipharm. ac, in propellendo sudore, efficaciæ fore, quàm unciam unam præcipitati Antimonii cum sale Tartari, novelli Hippocratis.

In fine hujus paragraphi denuò magnum quid crepat ac mollitur. Præter styli enim obscuram elegantiam, qui benè considerandus, ut non nihil ab eodem erudiamur, pag. 216. *lin. 22.* ait: *sulphur antimonii, quo alias cum nitro deflagrat, fixatur à proprio regulo, hic ab igne, in vasculo supra nominato adeoq. perfectior erit.* Unum phasma, unumq; absurdum, jungitur alteri. Regulus Antimonii, qui ipse non, nisi Antimonium est purificatû, idem sulphur combustibile continet, ut Antimonium crudum: volatilis, ut crudum Antim: ex eo Flores, Vitrum, Butyrû, Antimon. diaphoreticû, Cinnabaris, æquè, ac ex crudo Antimon: parari

parari possunt, sed nonnihil puriora cuncta. Is, inquam, Regulus, naturâ suâ totus volatilis, quomodo sulphur Antimonii, quod alias, uti ait, in præparatione Antimonii cum nitro deflagrat, à fuga coercere, & fixum reddere poterit: cum unius ejusdemque naturæ sit, ac nullam, quoad fixitatem, sibi prærogativam, præ Antimonio crudo, aut ejus sulphure, vindicare possit? Tantis scateret absurditatibus *novus Hippocrates*, ut vix acidâ suâ flammâ purgari possit. Porro: si etiam ferrum non, nisi acidâ flammâ, in crocum adstringentem, tuâ opinione & lege aphoristicâ, *Tackeni*, convertitur, qui à croco aperiente, aut à ferro ipso, quoad virtutes suas, non differat: à te sciscitor; utrum ex croco Martis adstringente, solâ reverberatione facta, Mercurium Martis elicere tibi præsumas, qui alias, sed saltem ex auditu, & incertâ relatione, tam felix es in Mercuriis corporum seu metallorum eliciendis; licet nunquam hoc præstiteris? Quid mihi respondebis? Si affirmativè dixeris; manifestam tibi oppono impossibilitatem: & peto abs te hujus asserti effectum; quem vitâ tuâ præstare non poteris: quoniam crocus Martis adstringens solâ reverberatione paratus, est, respectu sui pristini corporis, ferri scilicet non calcinati, veluti caput mortuum, suo Mercurio violentiâ ignis totaliter privatum. Hinc virtus adstrictiva hujus Croci, vel à solo sulphure fixo ferri provenit, adeoque, ut repetam, crocus hic adstringens, respectu ferri, simplex corpus est, maximè diversum à croco aperiente, levi calcinatione ex Vitriolo ferri, vel aliâ ejus solutione, parato; qui respectu croci Martis adstringentis perfectum corpus est, tribus suis principiis adhuc gaudens, ex quo Mercurius arte, tanquam ex ferro ipso, elici potest. Si verò pro veritate responderis, ut virum probum & veracem decet; nimirum, quod non elici possit Mercurius ex croco adstringente; eo ipso es convictus propriâ confessione, & cadit inane tuum commentum ac doctrina, de aciditate flammæ: Doctissimorum verò Medicorum & Chymicorum, D.D. item Augustanorum, tum & Reformatoris assertio, quod haud exigua sit differentia inter crocum Martis aperientem & adstringentem, firmo stat talo, immotaque manebit, invito *Hippocrate novello*; crepent licet ilia. Plura, quæ de utroque croco Martis, aperiente & adstringente, scitu necessaria sunt; illa & veritati & experientiæ consona magis, quàm *novelli Hippocratis* acidâ & ridicula flamma, reperientur in *Animadvers. n. pag. 458*. Et sic, multis in hoc 27. Capitulo relictis, quæ indigna sunt, ut moram in illis ventilandis traham, descendo ad Capitulum sequens, in quo, ut minuti canes, & degeneres, hospites allatrant; feras non tangunt: sic Cynicus hic, nec Reformatori, nec Medicæ Facultati ulli omnino parcendo, acerbissimis convitiis obgannit; prout per discursum manifestum reddam.

## CAPITULUM XXVIII.

inscribitur:

*Præcipitationis modos & necessitates indicat.*

Extus hîc sequitur integer, ut plebeiam hujus hominis scurrilitatem tanto penitius Scholæ intueantur: & talis est, pag. 217.

*Ferri proprietates & actiones, quas & quomodo eas perficit, in humano corpore, multa sunt opiniones, apud scriptores, quorum Catalogum recenset Sennertus (a) pauci verò rem tetigerunt, propter Hippocraticâ doctrinâ inscitiam: dicam autem quomodo adstringat, vel quomodo laxet.*

a. lib. 3. p. 2.  
sec. 2. cap. 7.

Ferrum



Ferrum adstringit manifestè, ideoq; stomachum & vicinia quæq; roborat: Conuenit itaque in Dysenteria, hienetia, diarrea, omnibusque morbis laxis & dissolutis &c. Quibus reclamare audio: quod ferrea medicamenta mulierum menses promouent, restaurantque jecinoris & lieus defectus, adeoque hinc potius laxare, quam adstringere. Respondeo, non ut medicus ille canonicus, qui lapides cancerorum minnerale, & ob id natura inimicum proclamabat; Sed ex natura operibus, quibus de-

a. Lib. 1. de monstrari ex Hippoc: (a) hæc Ex diuina necessitate sic euenire debere: in nobis nimirum, non raro oberrare, sal quoddam resolutum, cujus generationem, supra, suo loco ostendi, ex acido & alcali, inuicem minus concordante compositum, atque diapheresi & transpirationi ineptum, illud propter saporum inaequalitatem, medicamentis purgantibus non auscultat, ut docet experientia, voca hoc ut voles, humorem plane excrementitium, vel in prima, vel in vltima corporis regione existentem, cujus siue uterus, hepar, lieu, renes, pancreas, mesenterium, vel stomachus sit generator idem nunc est. Sumpto itaque ferro, quod ut mechanice ostendi facillime acida omnia combibit, illico, sal istud nociuum liquidum, vel humor excrementitius, ad ferrum præceps ruit, eique adheret, ut illud dissoluat, adeoque excrementum istud salinum, iuxta saporis speciem, dum ferro adheret, illudq; rodit, coagulatur (sicut vi-

a. Fitq; tin-  
ctura mar-  
tis reforma-  
toris in ap-  
pendico fol.  
83.

b Diaphra-  
gma non as-  
cendit.

c. Ut in aci-  
dulis patet.

dimus cum acido vitrioli verti in vitriolum, cum acido vini in rubiginem (a). Sic quoque in cupro euenit; istud, si acetum rodit, fit erugo; Si idem cuprum rodit spiritus vitrioli fit vitriolum veneris: hic quoque quadrat, quæ supra de alcalibus & acidis oculariter demonstraui) cum autem in alimentum non potest assumi, ideoque cum ferro soluto (b) sub nigro colore foras ejicitur, qui color oritur, cum acidus sal, ferrum rodit, ac alcali, illud in colcotar præcipitat, ut suo loco supra ostendi.

Cum vero ferrum, in acido, stomacho tamen grato liquore dissolutum (c) potatur: absumptis, & penitus admissis iisdem liquoribus, ferrum mox, ut dixi alimentum ineptum, ab acido separatur (alcali virtute) a commisto: in qua segregatione, confluunt dicti sales, ve humores ad ferrum: & illi adherent: sicut vidimus, argento euenire, in aqua forti soluto; in hanc solutionem, si cupri lamelle injiciuntur, tum statim, aciditas aquæ fortis deserit argentum, & rodit cuprum, argentumq; cupro adheret, ut putris compactus. Rursus in illud solutum jam a cupro viridescens, mitte lamellam ferri, & aqua confestim cuprum deponit, & rodit ferrum, cuprumq; ferro adheret (dum aqua vitriolata Goslaria, rodit ferrum, tunc cadit cuprum ex aqua in ferri locum, quod vitriolum, continebat immaturum; hic pulvis rubens, igne fusus in cuprum euadit, hanc præcipationem, multi docti viri (non tamen in Hippocratica doctrina) transmutationem ferri in cuprum crediderunt). Ità in humano corpore contingere mechanica ratio, & necessitas dictitat, præsertim cum natura in omni re, similis existat: ut loquitur senex. Nisi enim excrementitius humor, cujusdam semi acida natura, & saporis esset, ferrum in corpore non dissolueretur, in viride vel nigrum liquamen, ut quotidie oculis intuemur, ut etiam suo loco ostendi: Et nisi excrementa ità tingantur; jam ferrum in consideratè propinatur; non enim reperit humorem idoneum, qui illud soluat, tunc sane ferrum adstringit, licet reformatoris crocus martis aperiens assumptus per os fuisset. Idem intelligendum est, de acidis spiritibus, ut vitrioli, sulphuris, vitri, & salis, hi, nisi reperiant alcali errans, in corpore humano, a vitalitate proscriptum, & ob id morbosum, quod acidus spiritus in se recipiat; tum plus nocent quam prosunt: nimietate enim tunc, proximum stomachi alimentum, sua aciditate inficiunt, & alendo ineptum reddunt. Medicus amicus Romæ Anno C. 1656. pestis tempore, præseruandi gratia usus fuit, spiritu sulphuris, in copia, hic

Non loquor  
illo, qui in  
vita nil nisi  
olidum ster-  
cus inspexit.

Acidorum  
usus & ab-  
usus.

a. Arthritis  
remedium  
in alcalibus.

a. De medic:  
purgantibus.

artriticus (a) euasit, qui postmodum alcali animalium restitutus, ut de podagra alibi ostendi; Alkali enim combibit acidum errans in corpus dispersum, quod ventriculis manifestè acida non assuetis, dolorem & morbum excitabat: docente id Hippocrate (a) acidus cibos, si quis citrà delectum, ac inconsideratè exhibeat, nihil commodi perficient.

*Hoc præcipitationis fundamento, factus est clauus aureus Magni Ducis, quem Ferdinandus Primus, P. M. hoc testimonio, quod cum clauo Florentie spectatur, ornauit.*

*D. Leonardus Turneisser, clauum ferreum, me presente ac vidente igne calefacto, ac oleo immisso, in aurum conuertit. Roma die 20. Nouemb. post prandium.*

*Clauus aureus.*

*Hujusmodi clauos, aliquoties ludendo, propria manu parauimus, qui vero metalla tractant vulgari modo, illis videtur impossibilis ferri & auri conglutinatio, adeoque credunt pro certo, hunc clauum verè ex ferro in aurum transmutatum esse, hujus opinionis causam confirmat, quod aurum ferro non adheret, imò aurum liquatum, illud, in momento corrodit & in rubiginem vertit (a) Connectitur autem aurum ferro, per præcipitationis medium, ut dixi, nimirum eo fundamento, quo ferrum cuprum præcipitat. Seca igitur clauum ferreum in duas partes, extremitatem humectata, saltem cum salina, & statim tange hanc partem cum vitriolo cupreo, & in i. eso puncto, ferri extremitas rubescit, & iam acquisiuit cupri naturam, (b) cupro autem, aurum faciliè associatur: adeoque huic cupreo ferro, adapta cuspidem, factam ex auro, cumque borace, & aurea solidatura (quæ fit ex cuprea monetam (c) satius est parum argenti & auri ad oculum liquati) in carbonum commodo igne more solito colliquato, & habebis clauum aureum tanta fama. Hunc Turneisserus tinxit ferrugine, quæ cum aurum abscondit ac Magno principi (sine dubio) manibus tractandum obstitit, qui ita larvatus, a peritissimo quoque ferrum iudicabatur, quem igne calefecit, ac in oleum quoddam (ut ait testimonium) intinxit, abluitque ferruginem, & aurum apparuit. En artificium, si artificii nomine dignum.*

*a Sicut sulphur commune; Sicut aurum, ferrum in rubiginem conuertit.*

*b Impossibile est trahere de extremo ad extremum sine medio*

*Teste philosopho 6. physicorum.*

*c Auri gluten.*

*Sed redeamus ad ferrum, quod assumptum per os, liberat ab obstructionibus, a supra dicto excremento obortis, & aperit per accidens, absorpto scilicet coagulatore acido errante, & a natura proscripto, non tamen quod per se, proinde desinat esse constringit: aperit ergo potestate specifica & appropriata, constringit verò qualitate secunda.*

*Ferrum aperit & constringit.*

*Hæ non tam mihi debentur nequitiarum primitiæ, quam Vobis, Inclita Medicorum Collegia, quibus & Vobis suam affricat petulantiam Tackenius; & cum Hippocatici & Methodici sitis, nequitioso sarcasmo Canonicos Vos appellat, & Hippocratis ignaros. Sed quò impudentia non assurgit? Imperium sibi fingit in Legem & Regem, in Chorum & Forum; undique & latè populatur. Sed veniamus ad probam, Tackeni. Ferrum adstringit manifestè. Et quâ ratione demonstras? Ideoque stomachum & vicinia quæque roborat: Convenit itaque in Dysenteria lienteria &c. pag. 217. Elenchumne conspicis, indoctum caput, & insulse Dialectice? Estne hoc rem demonstrare, & Philosophicè probare? Nonne hæc est Petitio principii? Nam supposito, quòd ferrum adstringat; tunc verissimæ sunt sequelæ, quòd ventriculum roboraret; quòd dysenteria & lienteria conducatur. Sed ex malo supposito hæc infer; nondum probatâ primâ thesi. Igitur: Ferrum adstringit manifestè: mentiris; & manifestè quidem. Tu Hippocratem non intelligis; sed Canonici. Ubi unquam diuinus Senex probavit, ferrum adstringere, lib. 1. de diætâ, ex causali hæc, nimirum: Ex diuina necessitate sic evenire debere; pro ut p. 218. lin. 10. citas? Profectò, sicut ex notitia parandi Emplastrum Tripharmacum totam Chymiam superius complexus es; ita hoc axioma omnes ex Physicis proscribis difficultates, dum, omnia necessitate diuinâ sic evenire debere, statuis; & nos defendere pro ratione possemus. O stolidum pecus, quid iterum balas? Dico itaque, ex mente doctissimorum Medicorum, & Catalogo, à Sennerto recensito: Ferrum manifestè non adstringit. Probo autoritate tui Helmontii, Paradoxo quinto, paragr. 12. pag. 443. Ferrum aperit, inquam, potestate specificâ, & appropriatâ; constringit verò qualitate secunda. Quod est dicere: ex essentia laxat, & per accidens, non manifestè, adstringit. Miror itaque,*



quòd tam alto silentio præterieris, neque ullam mentionem in hoc capitulo feceris Helmontii; è quo iterum hanc doctrinam suffuratus es, pauculis mutatis; illud nimirum: *oberrare sal quoddam resolutum in nobis, quòd, propter sæpore inæqualitatem, medicamentis purgantibus non auscultat.* Hæc tamen Helmontius verbotenus dicit, *supracitato loco, paragr. 10. Epoto itaq, stomomate, id est chalybe, vel ferro, pulveretenus, quam primum istud sal nocuum (quòd purgantium mandatis non auscultat) ad ferrum præceps accurrit, eiq, adheret, ut dissolvat: &c.* Tu verò, Tackeni, infra, hæc eadem verba furatus es clarius, *pag. 218. lin. antepenult. ubi ais: sumpto itaq, ferro, quòd ut mechanicè ostendi facillimè acida omnia combibit, illico, sal istud nocuum liquidum, vel humor excrementitius, ad ferrum præceps ruit, eiq, adheret, ut illud dissolvat: &c.* Consule Helmontium, Amice Lector; & totam hanc doctrinam iterum ibi reperiēs. Sic, mi Hypocrita,

*ex furtis doctus quilibet esse potest.*

Hem! quàm cornicula iterum cespitat? Quam nuda est, repetente Helmontio plumarum fucum? Et probo ulterius, quòd ferrum per se, primariò, ac manifestè, non adstringat. Inprimis experiētià constat, & quotidie explorare possumus, ferrum, ut ferrum, per se, sive crudè assumptum, subtilissimè nimirum raspatum, sive in vitriolum, sive tincturam, aut crocum aperientem conversum, alvum laxare, vitriolum vomitùs ciere largiter assumptum, deobstruere, menses & obstructions hypochondriorum referare; & hæc immediatè ac per se: per accidens verò, & mediante calcinatione, seu reverberatione, in crocum siccum adstringentem redactum; seu etiam scorias ferri, adstringere, & priori contrarias operationes edere. Ferri crudi, subtiliter saltem limati, usus in Medicinà rarus est. Sunt tamen, qui illud intra corpus crudè assument, & haud exiguum exinde emolumentum, in morbis diuturnis hypochondriacis, & obstructionibus viscerum naturalium aperiendis, experiuntur. Causa est, quòd ab acido fermento, lienis ventriculo inspirato, illud solvatur, & in actum deducatur; eodem ferè modo, ac si extra corpus acido aliquo spiritu, vel liquore, solveretur, aptumque sic Medico usui redderetur. Laxare alvum ferrum, ciereque vomitùs; id probatur manifestis ejusdem operationibus. Si enim ejus vitriolum in paulò largiori quantitate assumatur; tunc excedit suà resolvente & aperiente virtute, ac corpus humanum sursum deorsumque commovere potens est. Ita etiam experimur à crudo, subtiliter saltem limato, ferro. Illud enim, intra corpus sumptum, nullo modo alvum constipat aut adstringit; quin alvum laxet, & excrementa, nigro colore tineta, per guttur inferius exturbet. Nigredo verò chalybi, aut ferro, communis est, quippe cujus, quotiescunque solvitur spiritu aliquo acido, sive Vitrioli, Nitri &c. magna pars in scorias & liquamen nigerrimum convertitur. Stomachum verò & vicinaque, roborare: *Conuenire in Dysenteria, lienteria, diarrea, omnibusq, morbis laxis & dissolutis: uti asserit porro, pag. 217. lin. 22. simpliciter, ac sine distinctione, admittendum non est.* Etenim si crudum & limatum ferrum, vel etiam simpliciter præparatum, & in crocum aperientem conversum, stomacho injiciatur, in affectibus supradictis; illud reverà ventriculum aggravat, & debilitat; præsertim larga ejus copia: ita, ut necessum sit, roborantibus medicamentis ventriculo prospicere, actalia tandem exhibere desuper, quæ illud propellant & exturbent; ne propter gravedinem, & scoriarum residuam cruditatem, ventriculi chylicationem impediat, vel majora inducat mala; deficiente præsertim fermento acido lienis; quòd illud subigere, aut in actum deducere haud valeat; adeoque in ventriculo hærens, nullo modo vi adstringente, sed gravedine aut pondere suo, ut & cruditate, stomachum officit, & concoctionem

tionem turbat, ac impedit. Si quod emolumentum in dysenteria, diarrhæa, &c. à ferro crudo, aut simpliciter præparato, sperandum; illud reverà non ratione virtutis ipsius manifestè adstringentis fit, sed quatenus humor acris, acidus, & mordax intestina obsedit, eaque continuò vellicat & exulcerat. Huic verò humori absumendo, & mortificando, tale est objiciendum medicamentum, in quod ille tyrannidem suam exercere, & tanquam lupo, illo satiari possit. In quem finem ferrum, ejusque simpliciter paratus pulvis, nec non oculi cancrorum, corallia, margaritæ, vel simplices etiam filices, ignem non concipientes, ferro attriti, aut lapis molliusculus, quem pro Ludo Helmontii nonnulli habent, corpori ingesta, per accidens medelam præstare possunt: quatenus nimirum humores acres & mordaces, intestina vellicantes & exulcerantes, in prædictos lapides se potius insinuant, potenter agunt, & agendo repatiuntur, ab acredine & mordacitate immutantur, & veluti dulcificantur: quo tum humore acri saturato, intestina consequenter ab eo liberantur, & per accidens horum morborum medela subsequitur: atque tali modo non adstringente virtute ferrum, & reliqua supra dicta, agunt, sistendo diarrhæam, dysenteriam, aut alios immoderatos fluxus; sed alio diverso modo; auferendo nimirum causam: quâ ablata tollitur effectus; scilicet erosio & exulceratio intestinorum. Hanc sententiam ipse tuetur novellus Hippocrates, pag. 218. immemor prioris sententiæ suæ, quòd ferrum manifestè, id est, per se, adstringat, ubi ait, *lin. penultima: Ferrum sumptum acida omnia combibit, illico, sal istud nocivum liquidum, vel humor excrementitius, ad ferrum præceps ruit, eiq. adheret, ut illud dissolvat: &c.* Sic non immeritò reclamare audit, pag. 217. *lin. penult. quod ferrea medicamenta mulierum menses promovent, restaurantq. jecinoris & lienis defectus, adeoq. hinc potius laxare, quam adstringere.* Rectè & verè audivisti reclamare. Sed quid respondes, novelle Hippocrates? Non ut medicus canonicus, iterum inquis, qui lapides cancrorum minerale, & ob id naturæ inimicum proclamabat; sed ex naturæ operibus, quibus demonstraui ex Hippoc. lib. 1. de diata: hac Ex divina necessitate sic evenire debere. Eja! Quid iterum lascivis? Fortè ex divina necessitate? An ab ultima Thule hoc figmentum & decumanum mendacium citasti? Quis fuit ille Medicus Canonicus, qui lapides cancrorum minerale, & ob id naturæ inimicum proclamavit? Profectò, si tuas nugas severius examinemus; paria, aut ridenda magis, divulgasti. Sed hic plura non addo: repete ex superioribus ea, quæ de juventutis delictis ex Timplero adduxi; & Pavo, arbitror, caudam dimittet, & aures Midam humiliabunt. At verò cum ex Helmontio, supra citato loco, hanc tuam, de sale nocuo, & ferro assumpto, descripseris doctrinam, & propriâ industria & Marte obscuraveris; videamus, quâ ratione illam defendere valeas. Oberrat, inquis, sal quoddam resolutum, ex acido & alcali, inuicem minus concordante compositum: &c. Helmontium ego probè assequor: sed responde mihi, novelle Hippocrates: quid est illud ex acido & alcali minus concordante compositum, quod diaphoresi & transpirationi ineptum, & quod propter saporum inæqualitatem, medicamentis purgantibus non auscultat? Si est humor planè excrementitius, uti iterum ais, *lin. 23. vel in prima vel in ultima corporis regione* (cur non etiam in secunda) *existens, cujus sive vterus, hepar, lien, renes, pancreas, mesenterium, vel stomachus sit generator* (cur nò genitor?) *idem nunc est: &c.* Proh! quanta doctrina, novissime Hippocrates! Ad quid tot nugacia verba? Vitiatum lienis fermentum, aliosque in corpore excrementitios humores, novo & peregrino etymo obvelare? *Esse ex acido & alcali minus concordante compositum?* Gustastinè, ac pondere & mensura trutinasti illud compositum minus concordans: quodnam alterum ex alterutro superet, aut acidum falsum, vel falsum acidum? Cur est ineptum diaphoresi & transpirationi hoc minus con-



*cordans compositum? Et cur medicamentis non auscultat purgantibus propter saporum inaequalitatem? Et quæ est illa saporum inaequalitas? Et quare humor excrementitius aliquis in tertia corporis regione oberrans ineptus sit diaphoresi & transpirationi? Per quam igitur viam, per quos ductus, debet evacuari? An ferrum fortè retrahat istum homiorem, vi suâ adstrictivâ, ad primam corporis regionem: & an secum retineat? Si diaphoresi & transpirationi ineptus, pag. 218. lin. 18. erit igitur maximè crassus & viscosus: si crassus & viscosus; quomodo ad ferrum tam præceps ruet: pag. 119. lin. 3. per omnes corporis partes, per digestionem sive regiones, retro gradu motu ad primam corporis regionem: si ferrum diaphragma non ascendit, pag. 219. in margine? Iterum scire aveo, & mecum plures doctissimi Viri novissimâ hâc doctrinâ Hippocraticâ erudiri cupiunt; cur talis humor excrementitius propter saporum inaequalitatem medicamentis purgantibus non auscultet? Annon varii odoris fercula tibi quandoque fuerunt oblata; quæ tamen purgantibus medicamentis auscultarunt? Num & illa non habent saporum inaequalitatem? An solùm acida; an purè falsa sunt; vel ex utroque sapore inaequaliter mixta? Dic nobis hæc, Tackeni, si adeò exquisitum habes gustum, quo omnes corporis humani excrementitios humores discernere vales; an in falsedine, vel aciditate solùm excedant. Et si propter saporum inaequalitatem ex alcali & acido minus concordans compositum purgantibus non auscultat; quomodo igitur dignoscendum sapore, vel odore, ne frustra illud expurgare tentemus, & fortè noceamus? Quomodo illud devincendum denique; si neque per diaphoresin, & insensibilem transpirationem, nec etiam per purgancia, exturbari potest? Summa: mille absurditates; quibus accedant ejus contradictiones; quæ evidentè ex prolatis textibus conspiciuntur. Propterea ipsamet Tackeni authoritate asserere & concludere possum: Ferrum non manifestè adstringere, neque stomachum roborare; verùm habere illud vim resolvendi, deobstruendi, & laxandi, ipsumque ventriculum aggravandi. Adducam adhuc doctissimorum Virorum auctoritates, & unanimum consensum: inter plures, Doctiss. Celsum, & Mylium, de Mineralibus, lib. 5. part. 2. cap. 5. dicentes: Ferrum extenuat, & sicca resolvit. Et si quandoque contingat, ut roboret aut adstringat; quod notarunt iidem Authores; Doctissimus item Wormius, in suo Museo, pag. 123, id, profectò, non ex simplici ferro est, sed illud, pro diversitate suæ præparationis, diversos & contrarios habet effectus; uti doctissimè scribit prædictus Wormius, loco supra citato: nimirum: Ferrum in Medicinâ etiam usus suos habet. Nam candens ferrum, lacte restinctum, diarrhæam sistit; vino, aut cerevisiâ, eandem concitat. Squamma ejus exsiccat: unde calceis imposita, fetorem eorundem abigit. Ex scoriis balnea conficiuntur, quæ vim habent adstringendi, incrassandi, menses superfluos sistendi, articulos roborandi, vomitum & diarrhæam curandi, tumores œdematosos resolvendi. Chymici, in eosdem usus, ex eo crocum conficiunt, & oleum. Sed hic in præparatione multum situm est. Crocus enim, solâ calcinatione præparatus (arrige aures, Tackeni) adstringit validè, & hæmorrhagias sistit; sed cum sulphure, aperit obstructions, & vitium lienis medetur. Ex his mea, & omnium doctissimorum Virorum, confirmatur sententia; quòd ferrum operetur juxta diversas sui præparationes: per se verò nunquam adstringat; saltem ejus scoriæ; quæ veluti recrementa ferri sunt, suo humido radicali, id est, suo Mercurio, privatæ. Sicut etiam crocus Martis adstringens, humido suo, id est Mercurio, privatus, longè alias & diversas, à ferro, seu chalybe simplici, ejusque croco aperiente, effectus habet; testibus doctissimis Viris & Chymicis; nullo excepto; solo refragante novello Hippocrate, ac novissimo Legislatore.*

Aquam Chalybeatam, seu lac chalybeatum, in quo nimirum ferrum candens sæpius restinctum fuit, diarrhæam sistere, & operationes ferro, ut ferro, contrarias edere, ac vim habere roborandi, juxta Doctiss. Worm. Cæf. & Mylium, *locis supra citatis*, eadem de causa, ratione nimirum diversæ præparationis, & liquoris extinguentis, contingunt. In qualibet enim ignitione, & restinctione, ferri cum lacte, aut aquâ, decedunt subtilissimæ scorix; quæ liquori huic extinguenti communicantur; & ab his virtus adstringitiva promanat; non à ferro, ut ferro, sed à ferri scoriiis. Propterea si in vino restinguatur ferrum candefactum, contrarios statim habet effectûs; quoniam vinum suâ acredine, & tartaro, ferri subtiles solvit particulas: ideoq; naturales ferri vires atq; virtutes vinum hoc æmulatur, contrarias scoriiis, & ferro calcinato, seu croco ejus adstringenti.

Quàm autem ridiculas paritates ac similitudines, pag. 220. afferat, de humorum in corpore restagnatione, & magnetismo, seu affluxu, ad ferrum; nemo sanæ mentis est, qui non rideat, ac eas explodat. Negatur tibi paritas, *stolide Philosophæ*. Nam alia est analogia mineralis ad minerale; alia est humoris corrupti ad ferrum. Illa fiunt à formarum, ac totius concreti, dispositione, juxta quam in se mutuo agunt & reagunt: hæc ex accidenti; quatenus scilicet ferri aut chalybis particulæ assumptæ, aut in liquore solutæ, per minima corporis nostri admixtæ, ea secum deducunt, & exitum iis parant, quæ sibi infensa hætenus natura sensit, strenua cooperatrix. Er si similitudo tua non claudicaret, requireretur in humano corpore & Auri, & Argenti, & Cupri, & Martis, & quidquid fodinæ generant, omnium deniq; mineralium apparatus. Tantum enim probant tuæ similitudines. Lege plura, efficaciaq; ex tuo Helmontio, *de Spadanis*: unde tuam inscitiam moderaberis. Quanquam, si penitiùs hæc intueamuri, non ad Chymicos ejusmodi præcipitationes pertinent, Tevtonicè *Zellungen*/ sed ad Aurifabros, è quorum tribu jam olim fuit *Tackenius*; & ad eos illum iterum ablego. Quòd autem in *Marginali* scribis; *Te non loqui illo, qui in vita nil, nisi olidum stercus inspexit*: pag. 220. arrogans iterum petulantia est, & spurcissimi oris tui colluvies. An nosti, quæ illa gens sit, quæ ad primam Medici salutem olidi stercoreis reliquias & proventus reddit? Nos in Germania modestiùs tractamur. Quin imò novi optimè, quòd olim tu Patavii, quòd nunc indefinenter Venetiis, olidum stercus quotidie scruteris, ac speculando totus defixus hæreas. Sic mos; sic tibi Medentum avita fert consuetudo. Rem ego hanc paucis declarabo. Legit simia nostra, ac doctorum Virorum umbra, *Tackenius*, ex Helmontio, cui, profectò, illud *Tackenio* minimè debitum elogium condignè attribuere possumus; quòd nova, quòd occulta, quòd inaudita docuerit; legit, inquam, ex hoc Viro; quod & ipse, *Tit. Promissa Authoris*: *Tit. Studia Authoris*: *Tit. Venatio scientiarum*: & alibi, Medicos sui temporis duriùs nonnihil examinârit; & ecce! ad normam tanti Viri, incultus, indoctus, inhumanus *Tackenius*, simia Hippocratis, doctorum Virorum parasita, quorum repotia undiq; collegit, ut ij faciunt, qui ex multis centonibus forum scrutarium erigunt, hic homuncio vult Scholis insultare, Medicos, ac Viros Celeberrimos Europæ citra discrimen fugillare, & quos antè sarcasticè Canonicos dixit, nunc, festivo scommate, *nil nisi olidum stercus nosse ac scrutari, asserit*. Nescio quâ maximè ratione foetidam hanc temeritatem castigabimus. Meo consilio vindicias has Xantippæ cuidam deferemus, quæ injurias à marito sibi illatas ulta est, dum caput ejus, ad ædium fores recumbentis, matulâ perfudit; digno tam illoto Humoristâ lixivio. Reliqua; de erosione ferri in Aquis & Fontibus Goslaræ Vitriolatis, uti etiam in Hungaria, in cujus vicem substituitur cuprum, absq; transmutatione ferri inje-



cti: &c. hæc, inquam, omnia trita sunt, & exoleta apud Viros doctos. Si quid rari, & ex fundamento deductum, hæc super re edificare cupis; lege Agricolam, & recentissimum P. Athanasium Kircherum, in Mundo subterraneo; & videbis, quòd ne Tiro quidem sis, si cum talibus in comparationem veneris. Ulteriùs; observate hominis præsumptionem, dum, pag. 220. lin. 23. scribit: *Hanc præcipitationem multi docti Viri (non tamen in Hippocratica doctrina) transmutationem ferri in cuprum crediderunt.* Crediderunt naturalem metamorphosim Tackeni in Asinum. Apage! Censor Doctorum Virorum: quid inter doctos amusus? Quid inter Hippocraticos Hypocrita confides? *Et nisi excrementa ita tingantur; jam ferrum inconsideratè propinatur; non enim reperit humorem idoneum, qui illud solvat, tunc sanè ferrum adstringit, licet reformatoris crocus martis aperiens assumptus per os fuisset, &c. pag. 221. lin. 8.* Quàm infusa methodus! Bene vel malè chalybeata propinari iudicat à qualitate excrementorum; quorum tamen excretio non, nisi post assumptum ferrum, accidit. Ergo vides, quòd falsè superiùs docueris, pag. 217. lin. 21. *Ferrum adstringit manifestè, ideoq; stomachum & vicinia quæq; roborat.* Sed dicere debebas: ferrum adstringit tunc, quando inconsideratè propinatur; uti hîc dicis; & quando non reperit humorem, qui illud solvat; cæterùm manifestis qualitatibus aperit & laxat. Sic Dogmatici & Canonici loquuntur. Vides, quòd ad nostra castra quandoq; diffugas, urgentibus te mendaciis, & diverticula quæras. Libenter te suscipimus: ô utinam tandem saperes! Cæterùm miror, cur te tam arctè stringat Reformatoris crocus Martis adstringens & aperiens? Quid culpas? Consilium suppeto: meliora doceto, *novelle Hippocrates.* Hoc tibi promitto; quòd crocus Martis noster adstringens optimus erit, si non invenerit humorem, qui illum solvat: et crocus Martis noster aperiet, si talem humorem solventem offenderit. O stupidum dogma! Quasi croci Martis & aperientis & adstringentis una eademq; sit indoles, natura, & præparatio: cujus exhibitio & judicatio à stercoreum tinctura defumenda! Nec tam inania garriunt, profectò, ad columanûs. Judicent viri docti, & meas consulant Animadversiones.

*Medicus Romanus ex usu spiritûs sulphuris arthriticus factus est.* Dato hîc; non concessio; quòd Arthritis (quæ à falso aliàs etiam causatur) hîc indebito acore stomacho ingesto, ac roridum alimentum, & semen ctudum, assimilandis ossibus destinatum, afficiente causata fuerit: quid sequitur? *Postmodum alcali animalium restitutus.* Ergo sale Viperarum Tackeni. Negatur consequentia. Nam sal Vipereus tuus non est alcali: sed est sal acido-salsus; uti superiùs tibi per longum demonstravi. Ergo salia volatilia animalium sunt specifica arthritidis remedia; uti asseris pag. 131, uti etiam sal Tartari. Hæc consequentia vera est. Nam hæc salia sunt verè contraria acidis, priusquam acido aliquo saturantur. Ubi verò acido aliquo saturantur & turgent, pro ut sal tuus Viperarum: jam alterius sunt indolis & monarchiæ; nec acidis ultrà contrariantur: prout videre est in sale communi & naturali, nec non Tartaro Vitriolato artificiato. Interim spero, Tackeni, quòd post tot iteratas lectiones & repetitiones, salium perfectum discrimen didiceris, & naturam. Gratulor proinde, quòd tam prosperè curam absolveris in arthritico Medico Romano: quòd te, tanquam novum Numen, adorent Medici Romani; & ad Tackenum, tanquam ad Oraculum Delphicum, confugiant. An non advertis ipse, quàm argutè honorem Doctissimis Viris & Medicis claneulum detrahere, & tibi omnem scientiam arrogare nitaris? Quasi verò totus orbis, & ipsi doctissimi Medici Romani, ad hoc Oraculum confluerent Clientes; ac nullus unquam arthritide vagâ laborasset, nisi à copiosè sumpto spiritu Sulphuris inductâ; nec quisquam ab illa liberatus, nisi per sa-

per salem Viperinum *Tackenii*. Accurrite igitur, gentes, ad hoc remedium, & ejus decoctorem. Miror tamen, quòd in tui commendationem plura non attuleris experimenta Romana; cur non eminentissimam curam toti urbi notissimi Cardinalis subjunxeris: per quem Sal tuus Viperinus novum meruit diploma. Sed felix *Tackenius*, cujus successus prosperos demulcet Phœbus; sinistros terra sepelit. Tandem advertite, quæso, methodum curæ arthritidis vagæ, & quâ autoritate eam confirmet, pag. 222. lin. 3. *Alcali enim combibit acidum errans in corpus dispersum, quod ventriculis manifestè acida non assuetis* (constructio *Tackeniana*: Ventriculis manifestè acida non assuetis) *dolorem & morbum excitabat: docente id Hippocrate, de Medic: purgantibus: acidus cibos, si quis citra delectum, ac inconsideratè exhibeat, nihil commodi perficient.* Miremini doctam applicationem & explicationem Hippocraticam!

Ulteriùs noranda venit apta connexio hujus curæ, cum sequente historia, de Clavo aureo, qui Florentiæ conspicitur: ubi inquit, pag. 222. lin. 12. *Hoc præcipationis fundamento, factus est clavus aureus Magni Ducis, quem Ferdinandus Primus, P. M. hoc testimonio, quod cum clavo Florentiæ spectatur, ornavit, &c.* Verùm cui nunc, *Tackeni*, potiori jure fidem tribuam? An, piæ memoriæ, Ferdinando Magno Duci Hetruriæ, justo & veracissimo Principi; qui de vera clavi in aurum transmutatione testimonium (vel tuo suffragio etiam) edidit? An tibi, *Hippocrates*, qui hætenus innocuam veritatem tam malè tractasti? Calculum meum Magno Duci reddo, & te mentiri puto; neq; credo, tantis, tamq; expertis, Principibus, à tuæ farinæ hominibus, tam levi negotio imponi posse, quin intelligant, ac manibus palpent; quid sit auri cum ferro conglutinatio; quid sit, clavum aureum ferrugine tingere, ac mox oleo (ut ais) quodam ablutum in aurum transmutare; & quid metallorum transmutatio. Vides, quàm procax sis, temerariè judicando? Non omnes conficiunt *melliculos caseos*; illud *corculum Tackenii*, tot fraudibus, quot casei vermiculis & tineis, scatens. Interim, quidquid contra Principes & Medicos reboes & vocifereris, nobis non persvaseris; omnem metallorum transmutationem imposturam esse. Imò tibi metipsi adversaris tractatu tuo de alcalibus; in quo magnifica profers de materia prima Philosophorum, pro universali tincturâ perficienda; item sub imagine & ænigmate, ac hieroglyphicâ obscuritate Veterum, ex Hermete, Zoar, Basilio Valentino, & aliis (ex te nihil.) de hac transmutatione agis: quos Viros hanc coluisse & novisse artem, infallibilis fert traditio: his te Viris adjungis Collegam: uti solent Magnatum quadras frequentare Moriones. Ergo cùm ipse hoc artificio titillari te sentias; ac, licet mysterium non assequaris, nomen tamen inane affectes, ac velut in aliis respicias: cur igitur hic clavus de ferreo in aureum mutari non poterat: cùm tu materiam transmutationis, aut Universalem nobis assignes; quam tamen Veteres sedulo celarunt, nimirum Saturnum? Et dato; non fuisset transmutatus: quàm incultus Ethicus; quàm inurbanus Politicus es tu, quòd talia, quæ in Principum commendationem non sunt; credulos scilicet nimium esse, & ad fallendum pronos reddere, non subticisti, vel arcaniùs descripsisti; maxime, cùm etiam nostro ævo, à modernis Ducibus, pro tali habeatur, & orbi spectandus exhibeatur. O sancta prudentia, quàm noverca es *Tackenio*! Plura, de possibilitate transmutationis metallorum, lege ex Mantissâ nostrâ, recenter divulgatâ. Cætera in hoc capitulo intacta relinquo. Unum hoc B.L. hortor, ut ultimum hujus capituli paragraphum probè observet: pag. 224. primò manifestam contradictionem priorum: secundò, quàm veraciter illum superiùs toties arguerim rapinæ ex *Helmontio*. Audite enim iterum *Tackenium* & *Helmontium* concordantes: *Tackenius*, p. 224. lin. 8. habet sequentia: *Sed redeamus ad fer-*



ad ferram, quod assumptum per os, liberat ab obstructionibus, a supradicto excremento abortis, & aperit per accidens absorpto scilicet coagulatore acido errante, & a natura proscripto, non tamen quod per se proinde desinat esse constrictivum: aperit ergo potestate specifica & appropriata, constringit verò qualitate secunda. Hæc est doctrina nova Tackeni, seu Veteris Helmontii. Nunc audiamus Helmontium, Paradoxo 5. pag. 443. paragr. 11. his formalibus: *Liberat itaq, ferrum sumptum ab obstructione; & aperit per accidens, ablato scilicet secum obstruente victo; non tamen quod per se proinde desinat esse constrictivum. Aperit, inquam, potestate specifica & appropriata; constringit verò qualitate secunda.* Hucusque van Helmont. Legat Amicus Lector citatum Helmontium; & videbit, quam inaniter hic Thraso gloriatur alienis plumulis; à quo totum suum alcalium thesaurum suffuratus est. Proh! quam turpè est, Autoris nomen & meritum suppressere, ac quasi sua imprimere; quin imò post obsequia fugillare! Sed ita solent cuculi: sic Helmont; sic Reformator experti.

Ad Caput 29. procedo, cujus titulus: *Nux casta*: seu: Corpus sine anima; Nux sine nucleo. Proh! quam benigna est homini mater natura; quæ omnes vicissitudines voluit subalternas, dum lassis requiem, deliris lucida quandoq; intervalla, mendacibus, ut vel inviti ad veritatem quandoque declinent, tam clementer indulgit! Quo facto, mi Tackeni, hæc tibi veritas excidit? Quam luminosum habes intervallum? Quam suaviter à mendaciis pausas; dum proprio & congenito etymo opusculum, alcalia tua, & præsens capitulum, *Nucem castam* inscribis? Vides, quid veritatis lenocinium in homine operetur? Tributarios omnium affectus allicit & procatur. Ita est, mi Tackeni, verax hîc es, & ne quidem æquivocas; quod *Nux casta* sint; seu, ut etiam superius jam veritatem meditari cæderas, quod *ventus sit vita tua*; inventa, sibilus; doctrina, vox; prætereaque nihil. Et ne per errorem ambiguus aliquis hærare possit, quod veritatis strenuè hic partes defenderis, & pro *casta nuce* acriter toto hoc opusculo, suppetias ferentibus alcalibus, dimicaveris: consulat Lector, & ruminet, quidquid hætenus à novo Hippocrate dictum; quidquid præclarè, ad finem usque, dicendum adhuc restat: & profectò, pro Tackenio stare debet, & albo suffragari calculo, quod vera dixerit: quoniam omnia *Nux casta* sunt. Dicite enim, Mechanici, an non *Nux casta* est; post *mira, admiranda, nova, occulta, inaudita* promissa, ad vestras officinas deflectere, & tribum ambire; *Saponariam, Vitriariam*, ultro obire? Dicite, imbelles anùs, & tu ad *flumen, Nausicca*, & vos, ad lintrèm, lotrices: an non *Castà Nux est*, ludo muliebri sese ingerere, *industria, pedorem* & lixiviat tractare? Quam immites habetis Deos, quod huic Actæoni cornua non accelerant, qui, secretiores operas & labores vestros adire, reveritus non est? Dicite, Tirones Pharmaceutices, an non in Magistro artis, & Chymix Antesignano, Hippocrate redivivo, *Nux casta* est; *febrisfugum* vobis *oleum* promittere, pag. 183. *Riverij arcanum febrium, seu febrisfugum*; ac palam mentiri, & verba resorbere, eò, quod *operosum sit*: interim edocere; quâ ratione è plumbo fiant remedia; quomodo paretur butyrum Antimonii, Mercurius vitæ, Pulvis Algerotti, Bezoard. minerale, Cinnab. Antimonii (magna hæc sunt hætenus) quin imò, pag. 17. arcanum, ex calce & melle, pro callis pedum mortificandis? Pag. iterum 211. Emplastra de Cerussa, Triapharmacum, reliquaque, ut ait, hujus censûs (proh, quam pediculos odit hic Chymicus, quod specificum Unguentum subticuerit!) quasi noverca hætenus vobis ars & institutio fuisset. Dicite, Medicinæ lumina Europæ nostræ; an non sit *Nux casta*, quod hæc tinca Sapientiae pallio vestro sese insinuaverit: ac, cum sitis rationales ac dogmatici; *Canonicos* tamen luserit; insulos in *prunella sale*; sordidos in professione: qui *nihil nisi olidum stercus, in vita inspexeritis*? Dicite, veritatis arbitri; an non

*Nux casta* est, ampla promittere, verbis pascere, animos suspendere, ac postliminio mentiri? Dicite, innocui Hippocratis, & vos, piissimi Helmontii manes, annon *Nux casta* est; Te quidem, Coc, emenso Lethe, superato Rhadamantio, ex Elysiis tabernaculis ac sedibus, ad contestanda mendacia, & confirmanda ludicra, temerarie citare: & te, empyriis respirantem gaudiis, Helmonti, post funera inquietare (sic sydera & lunam canes allatrant) & quod mirandum est, de spoliis tuis, parto labore, & arcanis vigiliis, triumphare, iisque abuti, suppresso, ac velut spongiâ deleta nomine, ac posthuma commendatione? Tu denique (multa dissimulo) dic, Reformator, an non *Nux casta* est, qui illam confregisti, tam iniqua, trita, e mentita, literato orbi dicare, Augustanos vindicare, quos criminas, Zwelferum convincere, ac textus adulterare, & centies convinci, pro plausu denique risum reportare? Denique omnia *Nux casta*, nuces, & incassum. Procedo ad textum

## CAPITULI XXIX.

quit talis:

*Nux casta.*



Uprum, dixi, ab aceto verti in aruginem, hoc stillare jubet reformator. Memini inquit (a): me mentionem fecisse, cujusdam menstrui secreti; hoc menstruum quanquam inebat malignorum, ingratiſſimorumque cuculorum canina invidia, inter secretiora arcanorum scrinia detinere, nec tam cito in meridianam lucem emittere; dum tamen omnem vindictam, ingratiſſitudinis & odij, unde unde mihi pro beneficiis iniuriose illati Deo relinquendum, suadet recte factorum conscientia, ut bonitati publice, rem præstem gratam; spiritum prænomina- tum publici iuris faciam, cui magna remediorum pars, tanquam columna non exigua innitetur.

a. Appendix fol. 72.

Tristis seu-ritas quid in est involtu: ut verbis nulla fides. Teret. Andr.

Quid nunc docet Regius noster Doctor? Spiritum veneris, & menstruum secretum! (Risum tenete amici) quod propter indignos detinere decreuerat. Vah impolita ruditas! sed quis unquam in hoc viro, tantam liberalitatem totq. beneficia pro publico bono quaesivisset! nisi ipse se manifestasset?

O curas hominum, o quantum est in rebus inane?

Centum & plures anni sunt elapsi, cum Basilius Valentinus hanc aceti distillationem, in vulgus edidit (in libello quem vocat, *Manuductio Medicinae*, idiomate Germanico, rursus impresso Francoforti, apud Lucam Iennis Anno 1625. in quarto) sub titulo: vera perlarum solutio. Reformator, hunc a Basilio mutuavit, suppresso Autoris nomine, ibique de verbo ad verbum habetur, & hunc non solum venditat pro solvente univetsali! sed (insuper fingit ipsius inuentum, scribillatque Spiritus noster veneris) & pro LIQUORE ALKAEST (a), adeo ut non sine fatali prænuntiatione, Iohannes Fredericus Bauz, reformatoris nomen, dignissimo Anagrammate, pharmacopœia præfixit, quod ibidem videri potest. Addit autem reformator, sine erubescencia. Hic laudatissimus spiritus, in medicina non solum magnarum virium est, cum Epilepticis, Apoplecticis, Histericis, Hypochondriacis, summe opitulatur, legitime ac debite exhibitus (b) verum etiam tanquam LIQUOR ALKAEST se habet & non ut reliqui spiritus acidi, qui soluendo patiuntur, & destruuntur, inque aliud ens convertuntur &c.

a. in aqua Epileptica, pharmacopœia Regia fol. 170.

b. ut quid in concinnas sumptuosas laboriosas & nauseosas Regias compositiones, s. acetum, omnibus gratum hac perficit.

Utinam Basilius, cum distillare docebat, hoc acetum, impostores timuisset, sicut Hippocrates, Paracelsus, & reliqui, reformator, hunc, pro liquore alcaest, non venditasset; imò nec tot encomiis illum decantasset, ut nec munde, tam fraudulenter impostuisset. Hoc acetum, quous pratio redimendum suadet, additque hac magnifica verba, quæ præterea, alto notabis calculo scilicet.



*Tempus est do-*  
*ctori, cum*  
*culpa redar-*  
*guit ipsum.* Hoc lector amice frueret secreto inquit: & favore mei, pro fideli communicatio-  
ne, benevole persevera. Proh Iupiter: huc adeste, perscrutatores acerrimi, vobis il-  
lustratum est secretum, nusquam ab aliquo scriptis mandatum. Sed ridet natura! pro  
veritate nunc pudenda commenta docere! sunt, qui sine magno labore, tempore &  
sumptu, similem & potentio-rem liquorem, ex aceti matre in magnum vas recipiens  
distillant, quem tamen pro Alcahest non proclamant.

Videamus nunc subjectum ex quo Reformator mirabile solvens distillat, quod  
digno nomine sibi appropriat appellatque hoc nomine, spiritus noster veneris.

*Arcana pu-*  
*blicata vi-*  
*lesunt.* Illud est erugo, vel as viride, quod sic fit: Cuprilamina, cum vinaceis iam a-  
cescentibus conduntur, hac aciditas, rodendo cuprum, cum eo coagulatur in sal, sicut  
omni acido, rodendo contingit, ut de plumbo & corallis ad oculum demonstravi. Istud  
sal viride, cum Aceto distillato mundificat reformator, inde sane, nil aliud, quam ace-  
tum exillare potest, ut Basilius candide fatetur, supra citato loco: sicut spiritui vitrioli  
evenit rodendo cuprum tunc fit vitriolum, quod si distillatur, nil aliud nisi idem vi-  
trioli spiritus seu stigma quod affudisti elicies; juxta illud: nemo dat quod non habet.  
Remanens caput mortuum, vel feces, funde in ingillo addito paucillum nitri & tar-  
tari, tunc redit cuprum, quod fuit, priusquam cum aceto in viride as mutatum esset.  
En secreta & arcana materia quam reformator superflua liberalitate, pro bono publico  
communicare voluit, & quovis praxio redimendum suadet. Hoc secreto inquitens frue-  
re lector amice &c. Apage: his cum imposturis, quas vulgus ridet, isq. fidem non ha-  
bet, qui novit secreta non esse detegenda, nisi in parabolis, allegoriis, metaphoris, in-  
volucris & similibus figuris: sic jussit fecitque Hippocrates & veneranda antiquitas in  
auribus insipientum, ne loquaris, inquit sapiens, quia despicient doctrinam eloquii tui.  
Sic Iohannes Picus, libro de dignitate hominis. Pythagoras, Plato, Boetius, Macro-  
bius in somnio Scipionis, Cornelius Tacitus &c. omnes unico ore committunt secreta  
non esse detegenda, eo, ut digne impediuntur indigni.

Sed age! nonne minore cum labore & dispendio, uti licet aceto simpliciter di-  
stillato, cum sit una eademque res? nonne Tirocinii scriptores, sal perlarum & co-  
rallorum prae parare docent cum aceto distillato? & postea abluere? quae tamen, inu-  
tilis reperitur, acida nimirum coagulantur cum soluto, ut supra aliquoties ostendi.  
Sed ut paucis in summam contraham. Acetum & Spiritus veneris reformatoris,  
non sunt nisi aqua impregnata sale acido volatili, & si illud quicquam rodit, coagula-  
tur confestim, quod postea per combustionem, fixatur in alcali.

*a. Cicero*  
*pro Rabirio*  
*posth: 21. ubi*  
*semel quis*  
*peier auerit*  
*ei credere*  
*postea non*  
*oportet.* Qualem prerogativam habet nunc magisterium corallorum & perlarum reforma-  
toris prae aliis quae Tyrocinia ponunt? id docet spiritus vitrioli vel sulphuris, qui prae-  
cipitat utrumque: cujus ratio est, quod potentior aciditas apprehendit solutum, &  
in illo coagulum suscipit, & ob id etiam pondere crescit: exinde enim repetere non licet,  
nisi violento igne.

*Experimentum est fal-*  
*lax, cujus*  
*notitia non*  
*praeceperit.*  
*Bernh. ad*  
*Ithomam.*  
*a. chi dice il*  
*vero non s.*  
*affatica &*  
*mi maravi-*  
*glio del tuo*  
*sudare dif-*  
*fe Dante.*  
*b. in Appen-*  
*dice fol. 83.* Siccine; Deo proximo & veritati satis facit reformator, ut peierat in animad-  
versionibus (a)? Hae sine sunt adinventiones ex vera ratione, & experientia (b) con-  
scriptas, nemini tamen ad huc visas vel animaduersas! ad solatium generis huma-  
ni, ut ait in praefatione Appendicis. Itane fallendus & deludendus Harus? cui  
promittit in dedicatoria, quod ignorat; genuinam scilicet componendorum medica-  
mentorum methodum, & usitatam ab erroribus mundare, ne populus in aris dispen-  
dium & valetudinis saepe saepius precipitatur, ut hac in parte & subditi feliciter vi-  
vant: Venditare scilicet acetum pro Alcahest? Hae sine sunt illa, quae omissis negociis  
necessariis in vulgus cum tanto labore (a) profecta sunt? ut loquitur epilogus.

Sed reformator, aceto suo ebrius, non cessat miranda cantare; Spiritus no-  
ster veneris inquit: (b) extrahit ex chalcibus limatura adstringentem tincturam.  
Hem quid audio; nova res! quasi omne acetum cum ferro limato non rube-  
ret?

vez? *Fabris ferrareis notissimum. In Mantissa Hermetica (c) paulo ante docet, quod crocus adstringens sola reverberatione, nulla alia re admista exactissime præparare potest, nunc ut aceto fides adhibeatur, concedit utrumque. Quid istud est aliud, quam impertinenter & ignoranter nugari? imò docere, salis & aceti contrarietates, & utrumque non conosci.*

c. fol. 798.  
Aceti cum  
ferri lima-  
tura rubu-  
scit, spiri-  
tus autem  
vitrioli coa-  
gulatur cū  
ea in vitrio-  
lum.

Nunc tandem crepant ilia Momo, & tota se eviscerat invidia, quæ tantis torminibus hactenus lancinata. O verè!

*Livor, iners vitium, mores non exit in altos:  
Utq̃ latens, imā, Vipera, serpit humo:*

canit Ovidius, lib. 3. de Pont. Eleg. 3. & ut probè advertit Christianus Seneca, in Epist. Venenum, quod in alienam perniciem effundunt serpentes; sine suâ continent. Non ita vitium invidiæ continetur: nam & invidum torquet & macerat, bona odit & extenuat, injurias verò dilatat atque auget. Evomito virus, *Tackeni*, res salva mihi est: ad fata & finem properat malitia tua. Jam enim sincera vomere paulò suprà cœpisti: quod Hippocrati tuo funestum semper fuit prælagium. At mitiora forsan expectas, dum ad finem & agonem properat infamis Viperini salis tui partus, *Tackeni*? Neutiquam

abruptis etiamnum flebile venis  
vulgus hiat; magnæque patet via lubrica plagæ.

Contumelias enim nec fortis potest, nec ingenuus, pati. Proinde ad vindicandas nequitias tuas novis ausibus accendor; candidum innocentiae meæ tibi scutum obiciens: prout olim Magi soliti sunt; dum contra tenebras & noctem dimicarent. Quid igitur veneni in Reformatorem expuis? Calumnias, falsa, & dolos. *Spiritus Veneris* Reformatoris tibi displicet, & ructus movet, *Tackeni*, quod ex ære viridi destillatus sit? Cur oculus tuus nequam est, *Tenebrio*, quia ego bonus sum? Quid succenses mihi, quod bono publico laudatissimum hunc spiritum dicaverim? Cur mentiris, ac illum acetum destillatum dicis? Quàm turpe pecus es, quod omnes fontes & rivos petulanter conturbat, & vel sic vivam anhelantibus aquam cloacas obtrudit? Sed detrahamus larvam Morioni, & ad rem. *Cuprum, dixi, ab aceto verti in æruginem, hoc stillare jubet Reformatore.* Ut mendacium pateat calumniatoris; sciendum, quod cuprum in illam æruginem, quâ utimur nunc, & propriè æs viride dicitur, ab aceto solo non conficiatur; sed longè alio artificio in Gallia fieri consueverit. Nimirum laminæ cupri cum uvis expressis recentibus stratificantur (interpositis telis raris, ne confusum chaos ex uvis expressis & laminis cupri fiat) & desuper affunditur una pars aceti, & tres vel quatuor partes urinæ puerorum: addunt desuper multoties nonnihil de alumine & nitro; sic sæpius hanc mixturam, si exsiccata fuerit, novâ urinâ madeficientes, donec laminæ cupri vel penitus erosæ, & in æruginem conversæ conspiciantur. Videatur Agricola, de Natura fossil. lib. 9. Wormius, in suo Museo, cap. 12. sub nomine Santerna, & plures alii; licet ferè nullus exactam ejus præparationem describat, sed obiter saltem eam depingant. Acetum, licet ex cupreo vase, ejusque laminis, aliqualem extrahat æruginem; ejusdem tamen virtutis ac indolis non est cum vero ære viridi. Etenim uvæ expressæ occultum, subtilissimum, penetrantissimumq; continent vini spiritum, qui, uvis excalescētibus excitatus, odore manifestè, ipsaq; operatione percipitur: ejus autè est subtilitatis, ut destillatione



vix ac ne vix quidem à fuga coerceri, & in liquorem permanentem converti possit, dissimilis totus spiritui vini, vulgari operâ destillato; quoniam alias longè subtiliores, & penetrantiores illo, obtinet virtutes; similis verò est illi spiritui, qui ex musto in ejusdem exspirat fermentatione, adeò potens, ut totam etiam cellam, ubi dolia nonnulla musto repleta recondita sunt, fumo & vapore exspirante impleat, hominesq; incautos, si vel per mediam horam in illa morentur, suffocet. Necessum proinde est, sicut in Austria, vindemiarum tempore, quotannis conspicitur, ut igne haud levi, ex carbonibus accenso, subtilissimus hic spiritus illicò depellatur & expellatur. Sunt, qui dolis majoribus, musto recenti repletis, instrumenta destillatoria supernè applicant artificiosè, pro spiritu hoc penetrante excipiendo; qui tamen vix includi aut coerceri potest, alterius longè indolis ac virtutis, quàm sit vulgaris spiritus vini, ex maturo & fermentato Vino, aut ex ejusdem facibus, destillatione prolectus. Hinc etiam uvæ expressæ, vasi cuidam, aut dolio, immixtæ, virtute proprii hujus spiritûs incalescentes, ejusdem etiam spiritûs penetrantioris specimina edunt ac referunt; non verò acescunt, aut aceti virtutes æmulantur; uti falsò garrit *Hippocrates Chymicus*: quin potius aceto planè contrarias virtutes ipsæ uvæ expressæ fortiuntur: quemadmodum calefaciente ac roborante suâ virtute, & spiritu hocce, membra contracta emolliunt, viscosos & impactos humores resolvunt, attenuant, membraq; ipsa moderatè calefaciunt, eaq; summòperè roborant. Hoc itaq; subtilissimo & penetrante uvarum spiritu, qui longè alias, & celebriores, quàm acetum, obtinet qualitates, unâ cum adjunctâ puerorum urinâ, totâ veluti substantiâ suâ aceto oppositâ, addito tamen in minimâ quantitate aceto, laminæ cupri, ipsumq; cuprum, in æruginem, propriè in æs viride convertuntur; quod in massam, panis formâ, conglobatum, corioq; involutum conspicitur, & ad nos transfertur. Hic est verus modus apparandi æs viride, longè diversus ab illo, qui, ad imponendum incautis, à *novò Hippocrate* affertur, ac si solo aceto ærugo conficeretur. An negabis, *magne Physicunce* (tuis utor verbis) quòd longè promptius urinâ, ejusq; spiritu, cuprum, & etiam argentum, in æruginem convertatur, quàm ipso aceto? Urina autem, ejusq; spiritus, qui totus, & purè falsus, aceto, acidisq; spiritibus omnibus ex natura contrarius & oppositus est: ex quorum commixtione neutrum quid emergit; quod neque acidum, nec purè falsum, sed acido-falsum postea existit. Liquet verò, ipsâ attestante experientiâ, ærinam, ejusq; spiritum, aptius longè esse menstruum pro extrahendo ære, & æruginè conficiendâ, quàm sit ipsum acetum. Propterea ex duobus hisce spiritibus, Uvarum nimirum, & urinæ, cuprum in æruginem mutatur, aceto parum conferente; nisi quòd volatiles Uvarum & urinæ spiritûs nonnihil coerceat, ne promptè exhalent: verùm, quodammodo permanentes, cuprum exactius rodant, & in dictam æruginem convertant. Hi ambo autem spiritûs, tùm Uvarum penetrantissimus, tum etiam urinæ, summè volatilis (non proinde penitus excluso aceto, propter aliqualem prædictorum spirituum constantiam) miro modo in cuprum agunt, non solâ corrosione aut simplici solutione; verùm intimè illud penetrando, tanquam homogeneous & connaturatum ejus menstruum. Adeoq; ipsa his spiritibus confecta ex ære ærugo, alterius longè virtutis, qualitatis & substantiæ est, quàm sit cuprum, solo aceto corrosum, aut spiritu vitrioli, vel sulphuris, solutum, & in vitriolum conversum. Nam ex cupro simpliciter soluto, & in vitriolum converso, acidissimus, destillationis ope, elicitur spiritus, spiritui vitrioli vulgari ferè similis: licet non simplex vitrioli spiritus sit; uti imperitus noster Physicafter scribat;

lat; quin eximias cupri virtutes secum traxerit. Hinc in Epilepsia, aliisq; capitis, cerebri, ac uteri, affectibus præstantiores multò, communi Vitrioli spiritu, obtinet virtutes. Hic tamen vitrioli Veneris spiritus longè aliter se habet, in solvendis perlis, corallis, ac extrahendis tincturis ex mineralibus, quàm spiritus noster ex ære viridi destillatus. Spiritus enim prædictus ex vitriolo cupri, aut soluto cupro, violenter corrodit, & acrimoniâ, seu corrosivo suo, veluti comburit margaritas, corallia, oculos cancrorum, & plura similia; tanquam violentum & heterogeneum menstruum: & corrodendo tam arctè cum illis unitur, ut nullâ arte, neq; destillatione, nec edulcoratione, quin totum eluatur, ab illis separari queat; sed juncta maneant, inseparabili veluti nexu sociata, mutatis saltem virtutibus & indole rerum solutarum. Idem contingit, si cum aceto destillato margaritæ, corallia, mater perlarum, aut similes res aliæ, solvuntur. Quæ ipsa solutio pariter violenta est, tanquam heterogeneo menstruo peracta; quod itidem, ut reliqui acidi spiritus, cum rebus solutis coagulatur, inq; aliud ens transmutatur; rebus autem, scilicet perlis, corallis &c. solutis, ab indole & virtutibus naturalibus ex integro immutatis. Et hoc apparet in abstractione ejusdem à rebus solutis, quibus cum tota ejus aciditas juncta manet, solo phlegmate transeunte. Longè autem aliter se res habet, *Tackenii imperite*, cum spiritu hoc non satis laudando, ex verò ære viridi destillato: quemadmodum subjectum ejus, dictum æs viride nimirum, non est simplex cupri vitriolum; non est cuprum vulgari modo, rebus aut spiritibus corrosivis solutum, sed à dictis uvarum, urinæ, & aceti spiritibus, simul junctis, in nobilius quid conversum; quod alias etiam, & nobiliores, in Medicinâ habet virtutes, quàm simplex cupri vitriolum, aut cuprum, aceto solo corrosivum. Itaq; quanta differentia inter album & nigrum; inter virum doctum & peritum; ac inter Hippocratem Chymicum imperitum, & impostorem: tanta est differentia inter destillatum commune acetum, tanquam *Hippocratis nostri Chymici secretum*, quod *informatur alcali*, & inter spiritum hunc Veneris, ad invidiam *Tackenii* non satis laudandum. Is enim non agit violenter, non rodit simpliciter margaritas, corallia, &c. uti reliqui spiritus corrosivi, & ipsum etiam vulgare acetum: verum leniter & amicaliter res solvendæ, præsertim margaritæ, in eo veluti liquefunt, exuviis earum integris remanentibus, nobiliori pulpâ & substantiâ extractâ. Peractâ autem hac non vulgari, sed homogeneâ, solutione, abstrahitur hic laudabilis spiritus destillando eâdem acrimoniâ, eâdemq; virtute & efficacîâ, quâ perlis, aut aliis rebus solvendis, affusus est; relictis perlis, aut aliis rebus verè solubilibus, in residuo: quibus si affunditur aqua simplex destillata, iterumq; destillando abstrahitur, & quidem repetitis vicibus; verè etiam sic edulcorantur, quatenus in qualibet affusione & abstractione aquæ, residuus cum rebus solutis spiritus, unâ cum aqua abstrahente transit, totusq; à rebus solutis separatur, remanentibus iisdem rebus solutis in suis nativis virtutibus à menstruo minimè præpeditis, nec combustis aut destructis. His omnibus diligenter consideratis, abs te jam, *Philosophe Hippocratice*, quæro; an non, si proprium est liquori Alkahest (quem quidem neq; Ego; Tu minimè possides: sicut ex docta scil. Epistola tua videre est) corpora naturalia amicaliter solvere, eâq; præstantiâ & virtute, quâ affusus, iterum abstrahi posse; hic autem laudabilis spiritus, ad invidiam usq; in solvendis perlis, corallis, aliisq; quamplurimis, hæc quoq; præstat, ejusdemq; naturæ est: meritò de illo dici possit, quòd tanquam Acetum esurinum, & liquor Achæst, se habeat? Sicut genuinus meus textus, pag. 52. *Append. ad Animad.* habet. Non proinde asserui, nec dictum volo; hunc spiritum Ve-



neris esse liquorem illum Alcahest (ut tu, *Tackeni*, perversè & mendaciter mihi attribuis) de quo tanta ubivis terrarum prædicantur miracula, ac speciosa nimis ei attribuuntur. Distingve igitur, & ratione, si qua præditus es, utere, *Tackeni*; an idem sit, dicere; spiritus Veneris, tanquam acetum esurinum, & liquor Alcahest, se habet, in solvendis perlis, corallis, &c. & spiritus Veneris ipse est liquor Alcahest. Quæ, quæso, consequentiæ tuum implere vacuum? Falsarius es, & nequiter tuum petis Reformatorem, textus falsificando, mendacia proferendo, & pro tot meritis & beneficiis ingratißimum te præbendo. Et verò, cum clarum nunc sit, ac sufficienter demonstratum, maximam esse differentiam in substantiâ, esse, fieri ac operari, inter laudatum hunc spiritum Veneris, & simplex acetum destillatum; & quòd subiectum, è quo dictus spiritus elicitur, nequaquam sit simplex cum aceto erosum cuprum; sed corpus verè compositum medicinale, multarum virtutum: præstat etiam, missis Tackenianis nugis, ut dicamus, quas habeat plures hic laudatus spiritus Veneris virtutes, præ simplici destillato aceto, *Tackeni* secreto. Ideoque repeto, quæ, pag. 52. *Append. ad Animad.* ipsâ veritate & experientiâ suffultus, scripsi; quòd nim: sit in Medicina magnarum virium, ac Epilepticis, Apoplecticis, Hystericis summè opituletur, legitimè & debitè exhibitus: addo præterea, & divinum appello levamen, in doloribus dentium crudelissimis & atrocissimis, à defluxione ex capite, aliisque corporis partibus obortis; removendo extrahendoq; causam doloris, materiam cerebri viscosam, totoq; in corpore latentè, educèdo, colicos dolores sistendo, ac demulcèdo, & lumbricos externè inuncto eo, enecando. Hæc quâ ratione, quâq; vi & modo fiant; mecum plurimi docti Hippocratici & Dogmatici Medici nôrunt, Tibi verò, spurio Hippocrati, ignota sunt. Susplicari itaq; desine, neque ignorantia tuæ labem & maculas viris doctis appingito, quos hætenus tecum, Idiota cum sis, virtutes & prærogativas nunquam satis laudandi hujus spiritus ignorare credebas. Interim vide, & orbi demonstra (si tibi conscientia, fides & ara) num simplex acetum destillatum, pro quo mordicus hætenus multiplicatis figmentis certasti, eadem præstet, quæ sæpè dictus Veneris spiritus, luculento experiëntiæ testimonio præstare videtur. Rationes igitur tecum inito, *Tackeni*, quamq; multum à veritate devius aberraveris recolito, dum sine fronte & rubore palam asserebas, quòd nimirum præstantissimus hic Veneris spiritus non nisi acetum destillatum sit; quòd una eademq; res, pag. 229. lin. 24. Mendacia itaque tua, & calumniæ, in te redundant, scelerisque auctorem petunt; dum omnibus planum sit, quòd impostor sis, qui sana & fidissima remedia orbi eripere & occultare satagis & collaboras; absurda tua substituendo. Et verò quis ulterius ignorat, quòd sæpè dictus hic spiritus sit arcanum menstruum pro Tinctura, seu Essentia, Antimonii eliciendâ; ad parandam Tincturam itidem, vel Essentiam ferri adstrictivam: quanquam etiam hoc assertum Calumniator plenè ignorantiaë buccis controvertat, pag. 231. & in fine 232, quòd impertinens sit, crocum martis adstringentem solâ reverberatione apparare, & Tincturam adstringentem cum hoc spiritu extrahere. Sed quæ implicantia aut difficultas, idem re & numero medicamentum, vel in liquida, vel in siccâ, forma dispensare: pro ratione morbi & effectus, nec non ægrotantium cupidine? Aliud igitur est, hæc, & similia, captum tuum excedere; aliud, per experientiam & praxim implicare. Tracta comprimis hæc, Chymiam exerce, spiritum hunc ad intima usque rimare, priusquam temerarium adeò effutias axioma. Manum tabulæ, seu Chymiaë, applica, per experientiam ediscito; num & tu Tincturam Martis simplici aceto tuo destillato, lege artis, elicere valeas; prout illam spiritu Veneris parare jubeo, in *Append. ad Animadvers.* pag. 60: & magnus eris Apollo. Hic, profectò, Rhodus; hic saltus; hic arena; tu certa. Ut igitur uno Laconismo

rem absolvam, & vela contraham, assero, & dico; probrosum hoc esse mendacium, & immane *Tackeni* figmentum: spiritum nimirum Veneris, & acetum destillatum, homogeneos effectus producere, nec non easdem vires & naturam sortiri: cum toto cœlo & ente à se diffideant, & distinguantur; nisi quis temerario ausu veritati & luci velit derogare.

*Hæcne igitur sunt adinventiones ex verâ ratione, & experientia conscriptæ, prout, pag. 130. me arguis? Siccinæ DEO, proximo, & veritati satisfaci? Heus! impostor: hæc sunt complementa decreti tui, quo orbi te obligasti; rara, occulta, abscondita à sensuum cognitione revelare, pag. 7? Hi sunt amoris tui stimuli, quibus agitat, ut ais, pag. 203. erga proximum, silentii fines transilis, & Harporatem tuum, Hypocrita, concitas? Ut pro Veneris spiritu laudabili, acetum destillatum simplex obtrudas, meliora subtrahas, cassam nucem substituas, ægris denique, cum ære, & vitam eripias? Redimus ad lachrymas, quas nunquam absterimus. Hoc est, de quo toties profundis gemitibus querebar: quod in te, & hujus farinae ardelionibus, pietas & charitas extincta squalleat, & conscientia callum obduxerit. Hoc est, quod ejusmodi hominum pestes quærent, & ægros aut fallunt, aut negligunt, & si quem sincere humano generi famulantem conspiciunt, igne & ferro exterminant; ut crumenas farciant, & se denique, mancipia olim dæmonis, faginent. Hinc velut ex Orco reboant male dicto simillima verba; prout vides, A. L. apud *Tackenium*, pag. 229. Arcana publicata vilescunt: Vulgus novit, secreta non esse detegenda, nisi in parabolis, allegoriis, metaphoris, involucriis & similibus figuris: & statim: sic jussit fecitq; Hippocrates & veneranda antiquitas, in auribus insipientum, ne loquaris, inquit, sapiens. & mox: Sic *Johannes Picus*, l. de dign. hom. Pythagoras, Plato, Boetius, Macrobius in somnio Scipionis, Cornelius Tacitus &c. omnes unico ore committunt secreta non esse detegenda, eò, ut dignè impediuntur indigni. Hæc *Tackenius*. Sic interim humanum genus lanienæ, & macellis, destinatur victima. Mentiris, humani generis infensissime hostis, *Tackeni*; mortuos inquietas, quos turpiter pollutos mendaciis in cinere, & pulvere conturbas. An *Picus*; an Pythagoras, an Plato, Boetius, Macrobius, & Germanus Cicero, Tacitus, Chymica tractarunt, Impostor? Pythagoras silentium suis imposuit, ipse verbosus & communicativus: quoniam anima tacendo sapiens fit, & levat se supra se. Sic divinus Plato; sic Boetius; sic innumeri silentium, modesti & benè morati animi tesseram, commendârunt: cui lasciva loquacitas (in *Tackenio*) opponitur. Quid, stolidè centonum corrafor & compiler, hic Germanum scriptorem, disertissimum Tacitum, citas (pugnum ad oculum tibi) qui Agricola Cæsarem laudat, quod, cum sapiens fuerit, procax non fuit, & sui ostentatur, retinuitq; inquit in vit. Agricola: quod difficillimum est, ex sapientia modum: & de Domit. scribit, l. 4. histor: simul simplicitatis ac modestiæ imagine in altitudinem conditus, studiumq; literarum & amorem carminum simulans, quo celaret animum. Hæc Tacitus. Et, ut Tacitum explicat Didacus Savedra Eques, in Symbol. symb. 43. scripsit hæc Tacitus, ut ostenderet, periculosum regimen esse, semper veritatem palam omnibus facere. Nam pars magna regendi est, secretorum Taciturnitas; uti & huic symbolo præfixit Lemna: ut possit regnare. Atqui tu, *Histrion*, detorques sensum Taciti à Politicis ad Chymica: ad ea, quorum ignorantia, silentium, & occultatio, grande nefas est, DEO & charitati adversatur, humanum genus pessumdat, dum arcana remedia nobis eripiuntur, fatali silentio. Mentiris, quod Hippocrates artem suam celarit. Si quæ interiøre, temporum vicissitudine id obtigit; non astu; non consensu tanti viri. Vah! igitur, *Tackeni*, impolita ruditas, quod hos viros; quod Politica ad Pharmaceutica allicis, &*

cum



cum illis hæc confundis. Non es Regius Doctor, ut video : quia fordidè avarus : celas omnia : Regios decet munifica liberalitas. O igitur !

*O stultas curas ! ô quantum in rebus inane est.*

*Rideat nunc natura ! quod pro veritate commenta doceat , pag. 227. Rideant Auditores magnum experimentorum cumulum Tackeni : stupeant inaudita, occulta, absconsa, has nugas & fabulas : neque arceat illos, licet tristis severitas in vultu Tackenio insit : sic histriones solent ; risum & fulmina uno ore jactant : interim, pag. 225. in margine. verbis nulla fides, inquit Terentius.*

Sed inquis : *Centum & plures anni sunt elapsi, cum Basilii Valentini hanc aceti distillationem, in vulgus edidit: sub titulo: vera perlarum solutio: pag. 225. l. 24. & seqq.* Respondeo primò indirectè : Pauci anni sunt, paucissimi, quod van Helmont inaudita ac nova sua edidit medicinalia ; & tamen integrum tractatulum ex eo affabrè furatus es : locos citavi hætenus. Pauciores anni, quod R. P. Kircherus scripsit ; harpyias tamen expertus est, & longas Tackeni manus. Respondeo secundò ; falsum esse, me unquam hunc spiritum in Valentino legisse, aut hujus copiam extitisse : deinde, spiritum hunc Veneris, seu æris viridis, pro vera solutione perlarum à Valentino destinatum esse. Falsum autem est, uti fusè deduxi, posse aceto perlas legitimè solvi, quin illæ penitus destruantur & pessum eant, unà cum aceto. Propterea Basilii Valentini pro vero & legitimo menstruo hunc spiritum æris viridis habuit, & ut dicis, pro vera solutione perlarum. Ergo non pro aceto simplici venditavit : ergo non est acetum simplex : ergo tu mentitus es, qui hunc spiritum Veneris simplex acetum dicis, & contra reipsum testaris & loqueris. Nam, uti sapius probavi, hic spiritus Veneris separari à perlis penitus potest, sine suâ corruptione, aut perlarum destructione : acetum verò simplex, seu aciditas ejus, nullâ arte à perlis separabilis est, quin eas ab indole nativa immutet, & vel penitus destruat. Deinde : Esto : docuerit ante sæculum Basilii Valentinus, spiritum pro vera, ut dicis, perlarum solutione ; si ego, temporum vicissitudine oblitteratum illum, aut dolo & nequitia talium usurariorum medicinalium suppressum, luci restituisssem : an non hoc literato orbi, & Medicæ arti, proficuum, ac mihi commendationi foret ? An non eadem virtus est, conservandi, & producendi ? An non conservatio est iterata reproductio ? Quid rumoris & sonitus non dedisti, Hypocrita, Tackeni, quod nobis Riverii Febrifugum saltem ostenderis ? Et tamen nedum annicentum sunt, à quo Riverius decessit. Nondum effluxit sæculum, quod van Helmont, & Libavius obierunt : imo vivit adhuc R. P. Kircherus ; & tamen ex asse jam successisti hæres, non nominatus, & eorum substantias publicè vendidisti. Sed mi Tackeni ! ne te feriat hic noster spiritus Veneris, & innocuum menstruum, quod nihil rodit, nisi molliculos forsan caseos tuos : & credito interim, Basilium Valentinum, si verum est, quod dicis, non gratis pro vera perlarum solutione hunc spiritum laudabilem destinasse ; de tuo verò aceto simplici ne quidem somniasse. Adeoque te luculenter mentitum esse, constat.

Sed observate decumanam iterum contradictionem, pag. 228. Nam, pag. 224. lin. 22. apertè docet ; *cuprum ab aceto verti in æruginem: addens : hoc stillare jubet Reformator.* Hic verò totum dicit contrarium, nimirum : *Illud est ærugo, vel æs viride, quod sic fit : Cupri lamina, cum vinaceis jam acescentibus conduntur* (sed mentiris tamen iterum, Cain, quoniam non solum cum vinaceis conduntur laminæ cupri) *hac aciditas, rodendo cuprum, cum eo coagulatur in sal, sicut omni acido, rodendo contingit, ut de p'umbo & corallis ad oculum demonstravi. Istud sal viride cum Aceto distillato mundificat reformator, inde sane, nil aliud,*

*aliud, quam acetum exstillare potest, ut Basilus candidè fateatur.* Siccine argumentaris, imperite & indocte Philosophè, Tackeni, contradictionibus, absurditatibus & mendaciis? Estné idem, dicere; *Cuprum ab aceto verti in æruginem; & æs viride fieri cum vinaceis jam acescentibus; quæ aciditas coaguletur in sal?* Duo hi parandi modi æs viride, quos affers, ambo sunt falsi. Neq; enim cum solo aceto; neq; cum solis vinaceis acescentibus, æs viride fieri consuevit, aut parari potest: uti supra clarè demonstravi. Neq; etiam vinacei ita acescunt, ut acetum præbeant; sed spiritum habent ab aceto longe diversum, subtilem & penetrantem, aereum, qui, adjuvante urinâ puerorum, & pauculo aceto, æs, seu cuprum, in æruginem transmutat. Verùm hæc satis & abunde superius declarata & discussa sunt; atq; imperitia hujus Calumniatoris detecta est. Advertite nunc majus absurdum; ubi dicit, *lin. 6. Hæc aciditas, rodendo cuprum, cum eo coagulatur in sal, &c.* Si igitur hæc aciditas coagulatur in salem, sicuti cum corallis & plumbo contingit; uti ipse ibidem dicis: à plumbo autem soluto cum aceto, & à corallis etiam aceto solutis, acetum nunquam in æternum, nec ullâ arte abstrahi potest: nam à plumbo, soluto cum aceto, transit prius phlegma insipidum, ad instar aquæ elementaris; tandem subsequitur spiritus ardens, longè alienus ab aceti naturâ, esse, & operari: sic etiam à solutis aceto corallis transit, prolectâ prius humiditate elementari, ardens aliquis spiritus, & nulla aciditas, quæ aceto vel in minimis æquiparari possit. Si igitur hic fiendi modus æris viridis, uti asseris firmiter, pari ratione contingit, & acetum in sal coagulatur, rodendo cuprum; à simili autem sale coagulato acetum indestructum aut immutatum in æternum abstrahi nequit; sicuti in plumbo soluto, & corallis manifestè videre est, ipsâ experienciâ teste; quod ipsum & tu, *inconstantissime Philosophè*, in prioribus affirmasti: Ergo neq; à viridi ære, etiamsi, uti false tamen ais, cum aceto solo illud esset paratum, idem acetum, uti antè erat, eâ aciditate, in esse & operari aceto simile, destillando elici potest. Ergo in toto hoc capitulo falsè loqueris, nequiter calumniaris, & mendaciter Reformatorem tantis injuriis afficis. Falsè porro loqueris de Basilio Valentino; & in eum mentiris iterum, ubi, *pag. 228. ais, lin. 15. quod Basilus candidè fateatur, non nisi acetum ex ære viridi exstillare.* Quoniam si hoc verum esset; *sub titulo: vera Perlarum solutio:* spiritum hunc non descripsisset, aut pro vera perlarum solutione non adoptasset; quod clarum est; & falsum te loqui, ipse te proditis. Ad quid enim hunc spiritum destillasset, pro vera perlarum solutione; si acetum destillatum simplex idem fuisset & præstitisset? Reverà multo plenus est, aut *ebrius Tackenius aceto suo;* quoniam lingua manifestat Virum. Considerate enim marginale, *pag. 231. in quo temulentus, latinitatis immemor, Italico idiomate scripsit: Chi dice il vero non s' affittica, & mi maraviglio del tuo sudare!* disce Danto. Ne tamen hic Linguista & Rabbi se Chaldaica aut Arabica protulisse arbitretur, quæ nemo interpretari possit; opus est eâdem phrasi huic Viro respondere. Sign. *Tackenio:* Chi è nato pazzo, non guarisse mai, ne sputando, ne sudando. Hæc tibi Reformatore. Cæterum jam pridem eadem tibi afferre volui, ac admirari, cur in tantum te mendaciis tuis hætenus fatigaveris, & de tuis alcalibus miserandis tam mira machinatus sis, mi maraviglio che del tuo sale disse tanto: tamen ipse conspicias, *Tackeni*, quod nugæ sint; quod Tironum scita; quod pleraque furta; si unicum *caseum molliculum* excipias; quem forsan gregario cuidam Pharmacopœo opponere posses; forsan cum antiquo & rancido sale Viperarum: pro secreto sanè ferculo, & bellariis, minimè. Non dubito, mi *Otto* (pacificè loquimur) non, inquam, dubito, quòd, nisi hæc falsa & stulta Viperina fundamenta jam typo jecisses; hanc



machinam non ampliùs erigeres, super arenam & ventum stabilitam: pæniteret te laboris & vigiliarum, quas, non dubito, immensas (lubens commisereor) & continuas impendisti. Sed saniora ubi plura edes (dies enim diem edocet, & vexatio plerumq; dat intellectum) parce, *Vir optime*, familiarìus & simplicissimè tecum sermocinanti. Ut autem, mi *Tackeni* (nescio quis subito amor me tibi copulet!) discursum hunc absolvamus, de revelandis aut occultandis secretis; modestè tibi suggeram, quod sentio. Magna est inter secretum & arcanum differentia: quæ si quis benè distinguat; facilè docebit, quæ revelare cogamur; quæ subtrahere. Secreta illa de communi sunt, quæ revelare non licet; quoniam sine tertii præjudicio fieri nequeunt: & hæc occultanda de necessitate. Secreta alia sunt inventa, vel revelata, à quibus vel sustentatio, vel fortunarum moderamen, dependet. Tale foret; si lapidem Philosophorum reperisses; cupri in aurum transmutationem aut argentum: & talia secreta *Idiotis*, &, ut ais, *indignis*, de necessitate revelanda non essent. Arcana autem, de quibus hîc loquimur, quæ ad prolongandam vitam, arcendam nonnihil mortis necessitatè, & sanitatem conducunt; hæc revelare iusto DEI mandato cogimur; & nemo, nisi impius, in quo charitas penitus extincta est, abscondit & tumulat. Agitur enim de Vita, de Orphanis, Viduis, ac pupillis, Regum ac Regnorum momentis, quæ ab uno quandoq; consimili arcano dependent. Quæ an levis momenti sint; tu considera. Quod igitur in manu divitis sunt divitiæ; hoc in manu Medici arcana. Supremum non erogare pauperi, crudelitatis est, & obex paradisi; &, ut ait Beda, de Epulone: non reprehenditur dives, quod terram coluerit, vel fructus in horrea congregârit; sed quod pauperibus non erogârit, à quibus reciperetur in æterna tabernacula. Et August. *in verb. Domini*: Ideo rogans dives non exauditur in tormentis, quia rogantem pauperem non exaudivit in terris. Divitiæ, talentum, Mnas, sunt arcana nostra Medica. Viderit servus iniquus, quid negotianti Domino olim responsurus sit, talentis suis petulanter defossis. Interim non tibi prohibetur, quin Tartarum Vitriolatum tuum ex Vitriolo crudo, & Oleo, seu liquore, Tartari paratum; tuam Tincturam Corallorum Calcis & ex Calce; tuum corrosivum Mercurium sublimatum, & complura nugacia & noxia abscondas; quæ charitas proximi celare potius, quàm promere jubet; donec meliora largiantur Superi.

Nunc tibi etiam respondeo ad quæsitum, pag. 226. *in margine*: ad quid *inconcinnae sumptuosas laboriosas & nauseosas Regias compositiones*, si acetum, omnibus gratum hæc perficit? Reperio in Scriptura jam similem propositionem olim fuisse propositam & solutam. Ad quid, aiebat Judas, perditio hæc? Potuit enim Unguentum istud venundari, & dari pauperibus. Sed audi solutionem: *fur erat, & loculum habebat*. Quæstus, avaritia, ex Juda loquebatur: hinc ita quæstionem instituit, *Tackeni*: ad quid *inconcinnae sumptuosæ laboriosæ compositiones*? Ad quid tanti *molliculum caseolum* divendis? Quid quæstum facis? Cur homines defraudas? Nunc tibi respondeo: sunt Regiæ, ab effectu: sunt Regiæ, à parandi norma & constitutivis: sunt Regiæ, quia à vulgaribus remotæ, nec omni aniculæ & agyrtæ paratur obviæ: sunt deniq; Regiæ, quia Magnatibus dicatæ; qui vitam & sanitatem precio redimere quandoq; possunt. Quod autem tales sint, Europa testatur: quidquid in contrarium unicus forex sibilet, aut impudicus in cœlum exspuat. *Nauseosus* autem esse, mentiris iterum. Fors crapulam ex aceto nondum digessim: hinc tibi amaricat lingua, & te gustus fallit. Si acetum, omnibus gratum, hæc perficit: cur *molliculus caseus* non omnibus

bus ad stuporem medetur? Cur *Pilula tua præservativa* tot tantosq; in detrimentum æris, vitæ, & sanitatis, ac æternæ salutis, coniecere? Quod tibi responderis, *Tackeni*, hoc à me dictum ac responsum excipe. Verum ut quid hæc tracto fusiùs? Non enim hæc, de Regiis medicamentis, in Reformatorem calumniatus es, ut meliora substituas, concinniora excogites, artem instaures, ægris prospicias: neutiquam: sed ut convitiis indulgeres. Talia & D.D. Augustanis, Hippocraticis & Galenicis: hæc passim scholis præstitisti. Cito infamem paragraphum tuum, pag. 234. lin. 9. qui testimonium reddet. *Receptarum combinatores, tanquam sortilegos, Consulo fugiendos & propellendos, qui de suis prodigiosis compositionibus de malis nostris negotiantur, & super vitam nostram mittunt sortes.* Vindicent Viri docti, sapientiam professi. Ego, quod addam, non habeo, quàm ut hunc scorpionum proprio & inflicto vulnere atteram; vel sic mihi medicaturus. *Simile hominum genus perdidit Socratem*, inquit de se *Tackenius*, & *Aristotelem*; quod certè veneficiis ac latronibus longè perniciosius est, quoniam speciosis veritatis titulis opprimunt. Negotiatus est prodigiosis compositionibus, sed necem multis novellus *Hippocrates*, ut supra demonstravi, pessimus Receptarum combinator, sortilegus, agyrta, intulit.

Pag. 229. lin. 26. facete quærit: *Non nè Tyrocinii scriptores, sal perlarum & corallorum præparare docent cum aceto destillato? & postea abluere? quæ tamen, inutilis reperitur, acida nimirum coagulantur cum soluto.* Imperite, profectò, garris. Sed heus! *Tackeni*; nonne etiam Tyrocinii scriptores, qui salem perlarum & corallorum cum aceto destillato præparare docent, toto cælo errant: perlas & corallia destruunt; quod jam dudum, in *m. Animadvers.* & superiùs paulò, iterum monstravi? Non ne tu ipse tibi contrarius, errorem agnoscis & prodis, quòd nimirum solutæ perlæ & corallia cum aceto ablui non possint, quoniam acida coagulentur cum soluto? Sed si aciditas aceti coagulatur cum solutis perlis & corallis, & ab iis ablui & separari nequit; uti expressè ais: nonne sunt destructa, ab indole naturali & virtute immutata? Quid faris? Cur tibi contradicis? Cur Reformatoris sententiam ipse defendis? Si Reformatorem voluisset ulterius perlas & corallia destruere cum aceto simplici destillato; prout Tyrocinia Chymica minùs rectè docent: profectò, nobilem hunc spiritum, pro eorum solutione verà, ut & *Basilius Valentinus*, non excogitasset. Si Reformatorem voluisset, ut aciditas solventis menstrui coagularetur cum soluto, scilicet perlis, corallis &c. sicut tu, *imperite Chymice* qui meliora nescis: hunc spiritum sanè laudabilem tuo aceto simplici destillato non anteposuisset. Si, inquam, Reformatorem minùs etiam artificiosè & dextrè sua soluta abluere, & acrimoniam privare, annisus esset: profectò, Idiotæ, sicut *Tackenius*, mansisset in eodem, & spiritum hunc laudabilem non edocuisset. Si ipse *Benedictus Basilius* veram solutionem perlarum cum aceto simplici destillato potuisset obtinere; tunc spiritum pro vera solutione perlarum, sicut tu ipse testaris, non publicasset. Pudeat tam ignorantem te esse naturalium & Chymicæ Professore. Tanto

*Turpe est Doctori, cum culpa redarguit ipsum.*

Si enim acida coagulantur cum soluto, uti apertè ais; in aliud etiam ens ambo transmutantur, in aliud esse, neutrum suis virtutibus constans. Hinc etiam sequitur, quòd, etiamsi æs viride cum aceto, vel cum solis vinaceis acescentibus, loco aceti, conficeretur; en! secundum tuam opinionem, vel potiùs contradictionem, aciditas, seu acetum, coagularetur cum soluto cupro &, converteretur in aliud ens & aliud esse, à quo non est revo-



cabile id, quod antè erat; sed quid aliud diversum ab utroque; & non simplex acetum iterum eliceretur. Ipse proinde agnosce, *Tackeni*, quàm fallax sit experimentum tuum, *cujus notitia non præcesserit*, Bernard. ad Thomam: pag. 231. in margine. Cur ipse priùs non instituisi probam, & hunc spiritum Veneris destillasti & apparasti, tibi ad invidiam laudabilem? Cur non tentasti cum eodem solutiones Perlarum & Corallorum; sicut Reformatore te docuit fideliter & sincerè. Vidisses equidem, & expertus esses, aliam esse solutionem perlarum, &c. tuo aceto simplici destillato; longè aliam cum hoc laudabili spiritu. Vidisses, inquam, acetum totum, scilicet ejus acidum, manere unà cum perlis, corallis, &c. inseparabiliter sociatum: spiritum verò Veneris ex ære viridi abstrahi posse totum, sine deperditione ejus ac virium; & neququam coagulari cum soluto. Ecce! hæc tibi imperito Chymico sunt paradoxa. Viden' quàm fallax sit scribillatio earum quidem rerum, quarum non habes notitiam? Intelliges, nî fallor, nunc. Nam ignoranter quæris, pag. 230. lin. 11. qualem prærogativam habeat magisterium perlarum & corallorum Reformatoris præ aliis, quæ Tirocinia pessimè apparare docent. Pro me respondes ipse, *Tackeni*, inscienter quidem & incogitanter; quòd doceat id spiritus vitrioli qui præcipitat utrumq;. Et hoc est, quod volo, ut ipse diceret, *Tackeni*. Tantus igitur, & tam rudis es Chymicus, & quidem Hippocrates, ut nescias adhuc Tirocinia hæc in parte, nisi pessimè, consulere præparationem & præcipationem magisteriorum cum spiritu vitrioli aut sulphuris: quâ nimirum præcipatione res solutæ, perlæ, corallia, & his similia conchiliorum, genera, & lapides preciosi, penitus destruuntur, comburuntur, & omnibus viribus privantur. Propterea fundum petunt & præcipitantur; ad omnem imposterum solutionem inhabiles & mortuæ calces sunt, viribus propriis omniq; efficaciam destitutæ. Clarum tibi sit, *Tackeni*, exemplum, magisterium cornu Cervi, aliorumq; ossium, quæ, ad eandem normam parata, ossa & calces mortuæ sunt, ad instar aliorum ossium calcinatorum; è quibus nil quidquam destillatione, violentissimo etiam igne, elicies, nec spiritum, oleum, neque sallem volatilem; ut neque acidissimo, aut corrosivo etiam, spiritu illa denuo dissolveris; quin mortuæ sint calces, mortua terra, suo humido radicali, omniq; virtute destituta. Propterea Reformatore, te longè oculatior (absit arrogantia dictis) causam nullitatis, destructionis, & annihilationis virtutum, rationabiliter & concinnè, ipsâ experienciâ edoctus, edocuit; quòd nimirum ossa, perlæ, nec non corallia, aliaq; conchilia, vi exurente corrosivorum spirituum comburantur, aut confusione contrariorum liquorum in præcipationibus destruantur, & virtutes eorum penitus annihilentur: non verò, uti iterum stupidè asseris, *Tackeni*, quòd potentior aciditas apprehendat solutum, & in illo coagulum suscipiat. Pejus enim discurrere non poteris: quemadmodum si potentior aciditas apprehendit solutum, & in illo coagulum suscipit; nil aliud hoc est dicere, quàm quòd hi spiritus cum soluto coagulentur, ambo destruantur, & morte veluti afficiantur; adeoq; mortuæ calces exinde fiant & sint: ipsâ quotidianâ experienciâ teste; quæ tibi ad oculum demonstrat, quòd prædicta magisteria præcipitata sint corpora mortua, mortuæ calces, amplius indissolubiles, incombustibiles, nullius virtutis aut efficaciz. Ita, Domine Tackeni! Sic Hippocraticè, verè, & realiter oportet Philosophari. Præterea autem scias, Proto-Chymice, quòd longè alia res sit, quoddam metallum, præsertim perfectum, Mercurium etiam, aut minerale quoddam fixum, solvere corrosivis aquis, ac denuò illud præcipitare: alia ve-

rò, & diversa res, corpus quoddam combustibile & solvere & præcipitare. Illud prius retinebit, propter congenitam suam fixitatem, quâ igni resistit, suum esse, & in suum pristinum esse vi ignis reduci potest: hoc posterius verò comburitur vi corrosivi menstrui in solutione, & destruitur penitus penitusque in præcipitatione, virtutibus omnibus annihilatis. Hoc est, *Tackeni*, quod Reformatore ex libro Naturæ, uti tu impudenter gloriaris, legit, & propterea res combustibiles corrosivis mensuris neque solvere, ut neque, & multò minùs, præcipitare voluit; sed magis sana docuit. Hoc autem tu, *Proto-Chymice*, cum omnibus tuis Tirociniis, ignoras. Propterea de re ignota perversum fers iudicium: & temperare deberes linguæ, ne tam ludicra, tam nocua toti humano generi, effutiret: quibus efficis, ut multi tum sanitatis, tum vitæ & æris, detrimentum patiantur. Nunc te scire spero, hanc si tibi impresseris informationem, qualem prærogativam habeant magisteria Reformatoris, virtutibus suis nativis prædita, præ aliis, quæ tu, & tua Tirocinia, edocuere, inutilibus & effæctis calcibus. Scias proinde, Reformatorem non ex Tyrociniis scripsisse, non descripta furta, sicut *Tackenius*, non nugas Hippocraticas novas, non mendacia, non contradictiones & hyperboles, non fallaces sales; sed vera & realia, ex libro Naturæ; quem Reformatore exactiùs pervolvit, quàm *Hippocrates Chymicus*.

Adhuc semel in hoc tuo calumnioso capitulo mihi tecum res est, *Tackeni*. Pag. enim 230. lin. 4. conveto iterum Philosopharis more, dum ais: *Acetum & spiritus veneris reformatoris, non sunt nisi aqua imprægnata sale acido volatili, & si illud quidquam rodit, coagulatur confestim, quod postea per combustionem, fixatur in alcali.* Optimè dixisti: præmium habebis, & sertum stramineum. Primò: quis vidit unquam salem acidum volatilem? (dico acidum salem; quod implicat) Sed transeant hæc, si analogicè, vel potiùs de potentiali, non actuali, aut existente, sed saltem de intellectu, & conceptibili sale, in corrosivis aquis per intellectum saltem concepto, loqueris. Secundò: Si acetum simplex, & spiritus Veneris Reformatoris, ex ære viridi, non sunt, nisi aqua imprægnata sale acido volatili; ille autem sal, si quicquem rodit, confestim coagulatur cum soluto, qui postea per combustionem fixatur in alcali: quæ fit autem, quòd spiritus Veneris Reformatoris, si solvit (non rodit) perlas, corallia, &c. non confestim, & nullo modo, coagulatur cum soluto, neq; per combustionem fixatur in alcali; sed abstrahitur indeperditis viribus à soluto, sine eo, quod coagulatur cum soluto? Acetum verò destillatum simplex, *Tackeni* grande secretum, coagulatur confestim cum soluto, ita, ut ejus acidum (scil. aciditas aceti, seu, ut *Tackenius* vult, sal acidum aceti) nequaquam à soluto iterum abstrahi aut separari possit, sed inseparabili nexu illi junctum maneat. Sequitur proinde infallibiliter, quòd toto ente differant spiritus Veneris, ex ære viridi, ab aceto simplici destillato, *Tackeniano* secreto. Reducam in formam argumenti: Si spiritus Veneris, ex ære viridi, & acetum simplex destillatum, idem, ejusdemq; virtutis & efficaciar essent; & ambo non nisi aqua sale acido imprægnata; sequeretur, quòd ambo etiam cum soluto confestim coagularentur. Sed consequens est falsum: ergo & antecedens. Consequentiã falsam esse, in aperto est, & quotidianâ experientiã comprobatur; quòd spiritus nimirum Veneris ex ære viridi à solutis perlis, corallis, oculis cancerorum, &c. eadem aciditate & virtute abstrahatur, quâ affusus est: acetum verò, è contra, cum soluto coaguletur, ac inseparabili nexu illi societur. Ergo. Tertiò: Si sal ille acidus, qui spiritui

DDD 3

Veneris,



Veneris, & aceto simplici inesse debet, juxta *Tackenum*, cum soluto confestim coagularetur, & postea per combustionem fixarentur in alcali: *lin. 10. ibid.* quomodo potest acidus spiritus, vel acetum, denuò ab illo alcali coagulato & fixato destillatione elici? Ediffere, imperite *Tackeni*. Omne enim alcali fixum est de natura sua purè salsum, & nihil acidi continet; quin potius acidis contrarium sit totà suâ substantiâ: juxta tuam ipsissimam assertionem, *pag. 27. lin. 21. pag. item 13. lin. 19.* Omnia igitur falsa sunt, contradictiones, & implicant. Quia omne alcali verum naturâ suâ fixum est; & uti ipse hîc ais, quod spiritus acidus aceti coaguletur & fixetur in alcali. Non potest igitur tuo jussu & imperio, quod semel coagulatum & fixatum est, spiritum illico acidum, & quidem volatilem, seu acetum, quod antea erat, ante sui coagulationem & fixationem, destillatione denuò præbere, jamdudum etiam propulsa humiditate aceti elementari in ejus coagulatione & fixatione salis acidi nimirum aceti; quæ humiditas expulsa necessario ex tuo chaos catholico properanter occurrere & revocari deberet, in ipso puncto destillationis aceti, ex coagulato & fixato alcali. Aliàs enim non esset idem acetum, si humiditate suâ elementari foret destitutum; sed saltem sal acidus aceti, à coagulatione & fixatione solutus, & pristinæ illico volatilitati restitutus. Quæ omnia implicant, & prioribus tuis assertionibus multoties contradicunt. Disce igitur, *Hippocratice Philosophæ, Tackeni*, melius fari, nugari, & disputare; ne in unâ periodo tot te involvas contradictionibus. Siccine Deo, proximo, & veritati satisfacis his nugis alcalinis? At sanè, si secundum Ciceronem, ad Rabirium: *Ubi quis semel perjuraverit; credere ei postea non oportet*: quis tibi, qui toties in fallaciis & contradictionibus deprehensus, & nullibi verax es, quis tibi fidem habeat?

*Pag. præterea 226. lin. 12.* quum plura tibi non suppeterent, quibus Reformatorem calumniari, & rabiei tuæ sputo defœdare posses, hoc grande illi objicis; quod Joannes Fredericus Bauz, Med. D. Reformatoris nomen digno Anagrammate Pharmacopœiæ præfixerit. Vah! quid audio? Quid miraculi? Proh quantum! An non quilibet iniquissimus ea, quæ bonâ ac sincerâ mente candidè scripta sunt, in pessimam interpretari potest partem? Audi è contra, mi *Tackeni*, quæ Carmina, quæ Anagrammata, in nominis tui, ac eruditionis gloriam, condigna facta sint à Doctissimis Viris; utpote in vindiis Helvici Dieterici adversus *Ottoneum Tackenum*. Talia lege *pag. 279. 280. & 281.*

Ad Vespertiliones & Noctuas Taquenianas, Araneis  
& Alopecoroide se pascentes.

**D**um tot *Vipereus* Tacquin convitia falsa  
Evomit, & Magnum carpit in arte Virum:  
*Mirror*, quod fuerint, qui stent pro parte maligni,  
*Mirror*, pro stupidi stes quoque parte viri  
Nam si sal credis, dederit quod vipera fixum,  
Non tibi, non illi, est candida mica salis.  
*Limpida Saturni* sed si *crystalla* recusas,  
*DIETERICO*, vereor, *Plumbeus* ipse stes.  
Hunc maneant *Crystalla*: picem tu sumito nigram  
In labrum, quoties verba maligna vomis.

Cunrad. Theodor. Lüncker, D.  
Medicinæ & Eloq. Professor publ.  
Marpurgi.

Aliud

## Aliud Anonymi.

Vipereas fraudes, & plenos peste colubros,  
 Quæq; flagrant Lybico dira venena solo,  
 Omnia collegit Vir improbus. Hic tibi prester,  
 Hic seps, hic fuerit dente furente Draco.  
 Ille sacros fontes, & pocula pura venenat,  
 Non monstrum infelix Africa majus habet. &c.

Epigramma in Excoctorem salis Viperini  
falsissimum.

Vipera Te genuit. Nudum Te vipera vestit:  
 Te falsum Medicum vipera salsa facit.  
 Vipera Te sorvat. Totum Te vipera nutrit,  
 Dum fert vipereas vipera cocta dapes.  
 Vipera te sanat. Te vipera ditat egenum.  
 Vipera Principium, Vipera Finis erit.

Hic tua prostant Elogia & Carmina, à Calliope tibi decantata, *Tackeni*. Ipse judica; utrum hæc melius in te: an D. D. Bauz anagramma, inculpatâ fide factum, in Reformatorem quadret. Speculum certò Vindiciæ tibi præbent Excellentissimi *Dieterici*; in quo faciem verè maculatam tuam videre poteris. Ablue, & abluere non desinas, illam, donec mundus mundo videâre. Tibi applica Joan. Caselii Græcum Poëma, & Francisci Balduini Commentar. de famosis libellis: περὶ τῆς διαβολῆς: pro lege & norma sint paucula ista. Tuam præterea, *Tackeni*, lege, perlege, & relegge sapius Vitam, à Clarissimis & Excellentissimis Viris descriptam. Memoriae tuæ commenda D. D. Helwig *Dieterici* Epistolam ad Serenissimum Venetiarum Ducem, Franciscum Molinum, & Celsissimum Reipublicæ Senatū: ibi, quæ te convincent, invenies. Disce proinde cautiùs agere; melius de Viris optimè meritis judicare & scribere. Nolo repetere omnia: tu revolve. Longum nimis fore existimo, Lectori tædiosum, Tibi verò abominabile, tor commissa monstrare facinora. Parco itaque honori tuo: & pedem ad alia moveo.

Cæterum quòd, *lin. 9. ibidem*, ais; me scripsisse: *spiritus noster veneris*: quid inde? Mea inventio est: licet etiam Basilii Valentini: à quo tamen ego non habeo. Quòd verò pro liquore Alehaest venditârim, *mentiris ut Alchymista*: ut *Chymicus Hippocrates*; cujus professio, mentiri.

Ultimò hoc toto injurioso capitulo, & postremo ejus *paragrapho*, pag. 231. turpiter iterum inveheris in Reformatorem multis sarcasmis, occasione, vel ratione Tincturæ Martis adstringentis: ad quæ superiùs obiter respondi. Pro Colophone pauca addam; nimirum ut non solum audiat, sed potius vacuo suo cerebro inculcet, imperitissimus hic Chymicus, quem Tirones fatius instruere possent; quòd non omne acetum cum ferro limato rubescat, neque, si aliqualem saltem rubedinem acetum contrahat, illa proinde sit vera ex ferro tinctura; cum ille color aut rubedo nec constans, nec permanens sit in abstractione aceti, sed evanescat. Secundò: etiam si acetum simplex destillatum veram aliquam & permanentem ex ferro eliceret rubedinem & tincturam; illa tamen non esset adstringens, sed potius aperiens & resolvens; adeoque contraria planè in virtute, à Tinctura Reformatoris. Sic imperitè nugaris, *Tackeni*, ebrius tuo aceto secreto. Deinde: estne illud, uti ais, *impertinenter & ignoranter nugari*? Edocere Tinctu-



Tincturam Martis adstringentem, uti revera est (quam tamen, *Tackeni*, vitâ tuâ non parasti, non vidisti, neque gustasti: sed, uti Tirones & discipuli loquuntur; ita tu de tuo aceto) & pariter crocum Martis adstringentem solâ reverberatione parare? Quæ fides ob id tuo aceto adhibenda? Porro inquis: *Concedit utrumque*. Quidnâ? Non solum concedo, sed firmiter assero, & experientiâ tibi comprobabo, fieri posse Tincturam Martis adstringentem, cum spiritu legitimo Veneris ex ære viridi; & fieri quoque posse crocum Martis adstringentem solâ reverberatione. Quid implicat? Quid inde absurdi, absurde *Philosophe*, colligis? Estne hoc impertinenter & ignoranter nugari? An non tu potius ita procedis & mentiris? Hic enim nulla est contradictio aut implicantia: non conceduntur duo contraria de uno eodemque subiecto; sed vera experientiâ comprobantur. Dic, quæso, iterum, *obscure Philosophe*, quid sibi velit sequens periodus: *docere salis & aceti contrarietates, & utrumque non conosci*? Quis non miretur altum & profundum tuum stylum, & Ciceronianam Latinitatem? Me autem cognoscere & salem & acetum, & plura facilia, ac tua alcalia omnia, ex his, nâ fallor, experieris. Ad Cæsarem, ut dicitur, appellasti; & ductus es: cuticula pruriebat, & defricuimus.

Pag. item 232. in margine ais: *Acetum cum ferri limatura rufescit, spiritus autem Vitrioli coagulatur cum ea in vitriolum*. Vah! quantum tibi denuò secretum erumpit! Forsitan novus est Aphorismus Hippocraticus: an Chymicus? Quem Tirones & discipuli sibi imprimere debent; nisi antea noverint. Quem, quæso, consensum hoc marginale habet cum textu? Aut quid *occulti vel absconsi à sensibus & cognitione* affert? Demiror, mi *Hippocrates Chymice*, quâ verecundiam in tantum prostitueris, nec erubescas quidem, quod tam absona, sordida & abjecta scribilles, quin imò glories in rebus pessimis. Verum stomachum mihi movet vel ulterior horum memoria, vel prolixior refutatio, ad quam nolentem, invitum, & reluctantem, mille illicitis & nequitiiis me sollicitasti.

Caput ultimum attingo, quod maluissem silentio præterire; nisi hîc omnes calumniæ & convitia, sicut in unam sentinam & Mephitim communes sordes & immundities, confluxissent. Inscribitur: *Exitus acta probat*. Ita est; vel meo calculo: mendaciis cœpit, mendaciis finit. Calumniator & scurrilis nugator in Exordio: calumniator & nugator in Peroratione: *Falsarius cœpit; Impostor definit*. Hoc est, quod semper cecini: qui semel scurra, nunquam pater familiâs, ut ait Cicero, pro Publio. Textustalis est:

## CAPUT XXX.

cujus titulus:

*Exitus acta probat.*

a fol. 249.



*Sciendi desiderio Pharmacopœam Regiam à reformatore ingenti gloriola pruritu conscriptam, multisq. absurditatibus repletam, euolui. Promittit Regibus, sulphur vitrioli narcoticum sub titulo laudani (a) sed de hoc verè dici potest: Red euasit fatiopo, & non vitrioli sulphure narcotico, qui nullibi in toto receptariorum libro reperitur.*

*Sic etiam Reginis, promittit ludum præparatum, ad generandum lac, quem nunquam vidit aut agnouit; hinc vulgo in proverbum cessit: Mentiris ut Medicus. Hoc eius sulphur, illiusque ludus præparatus patriam non mutant, neque transmare currunt: Dulce illis natale solum, ubi nata sunt, in cerebro scilicet reformatoris, ibi perpetuo hærent.*

*Sic in sumptuosissima Appendice Regiæ pharmacopœiæ, cum splendido apparatu sc: non lego Rege digna, nisi in omnibus ferè compositionibus, Magisterium nostrum solubile:*

*solubile : quæ vani ostentatio , ipsa Heraclito risum mouere deberet , quod tamen nil aliud , nisi perle , & coralli cum aceto corrossi , ut cuiuslibet pharmaceutices Tyroni satis notum est. Ipsius autem deridet , & cachinno excipit , Scriptorum longa recepta (a) Sed quis unquam vidit aut legit longiora , quam in appendice ad pharmacopœiam Regiam ? quis inconcinniora ? exemplum sit compositum illud , quod specioso titulo , Pilula Regia vocat (b) ubi sane opium , omnes effectus quos promittit , solum edit , ad quid ergo aurum corrossum ? cuius simplicis nulla est cognatio cum opio , columna pilularum , de his canit Homerus :*

a. In Appendice ad Animagmadversiones fol. 53.  
Fol. 123o

*Pharmaca mixta , salubria multa & noxia multa.*

*Profectò congressiones simplicium , ad ignari lubitum factæ , Reges infatuant & exanimant , occasioq. medendi (a) in momento labilis , incertis conjecturis , præterire facit. Vnicum hoc addo : Receptarum combinatores , tanquam sortilegos , Consulofugiendos & propellendos , qui de suis prodigiosis compositionibus de malis nostris negotiantur , & super vitam nostram mittunt sortes : Impossibile est inquam , vel ad minus difficile , ut de sola vrtica ostendi , aliquid certi statuere posse , nisi sola opinione & conjectura. Quotiescunque autem singule res , intentum non habent , tunc nimium compositione indigent , ut de potionibus vulnerariis , de tincturis & atramentis luculenter demonstrauit , & adhuc unico exemplo ostendam. Sit saluæ succi p. ij. vitrioli martis p. j ; hi ambo commisti , subito nigricant : Alkali enim occultum saluæ , vitrioli acidum absorbet. Post horam , acidum quatenus minerale , superat debile alcali vegetabilis , & compositum viridescit : cui adde adhuc tres partes vitrioli , tunc non induit nigrum colorem ( ut ratio suadet ) sed alcali , absomit tunc , subtile saltem acidum & vitriolum in ocræm vertit , sicut ei contingit , quando spiritus paulatim deficiunt : verum , quò digredior ? quam sciam ferendum esse , quod mutari nequit.*

a. Hipp. 1.  
Aph. 1.

Vnica materia non potest simul duas species habere , quod à nostris attentè notandum.

*Reformator tamen assidue (a) huiusmodi composita cum suauitate commendat : a. In Appem falices sanè essent Medici & ægroti inquit ; si similia medicamenta illis suppeterent , quæ verè REGIA sunt , & tam exiguo prætio , ut etiam in pauperum vsus dispensari , &c.*

a. In Appem fol. 38.

*Ad vos nunc me conuerto , ingenui Pharmacopœi , calculum saltem faciatis & iudicetis , non quidem plurimorum inutilium laborum & compositionum , quæ si omnes , in promptu esse deberent , vix tota Augustanorum Ciuitas eis capiendis sufficeret ! sed saltem , pro huius aceti distillatione ex arugine , corallia erodenda ; ut si vasa , instrumenta artisq. requisita , cum tempore supputetis ! ubinam reperitur pauper ( ut ait ) huiusmodi sumptus faciens ? Sin verò exiguo prætio , hæc & similia artificiatâ dispensabitis !*

*Tunc labor est in damno crescitq. mortalis egestas.*

*Sed si crassis vanisq. opinionibus a reformatore hinc inde commissis , diutius immorari vellem , numerus dicendorum nimis cresceret , quod ex primo syrupo (a) manifestum fiet , hic , ut & reliqui , fuere ab antiquitate inuenti , ut cuique indiuiduo propinari possent , & etiam ad promittitudinem , & compendium officinæ : sed , cum perquam plurimi , vdores præsertim spica , agrè concoquant , & sine stomachi subuersione & eructatione non perferant , imò digestionem reluctantur , ut apparet in cibis aromatate conditis , qui stomachi fermentum pessundant hinc simplicem cibum , saluberrimum laudarunt veteres (b). Hanc ob causam , etiam pro hoc syrupo , Absinthium ponticum , ut minus odorum , elegerunt , atque simul cum spica , in vino veteri coxerunt , ut unâ cum vini spiritu , cui odor facillimè associatur , penitus abscederet , quod probat succi cydoniorum additio ; nisi enim hæc veterum intentio fuisset , huius syropi loco , in usum vocassent cydonitem & absynthitem , ut videre est in Dioscoride (a) remanens , cum saccharo à cano situ defendebant , & in syrupum inspissabant.*

a. Syr. de Abinthio phar. fol. 17.

b. Homini cibis viissimus simplex : acervatio saporis pestifera.

Plin. lib. 11. c. 53. s.

a. lib. 5. cap. 49.

*Sic quoque diuersa vina , simul mixta , & potata ut in conuiuiis fieri solet , non solum Reçtori humano (quem supra capit. 15. in ore ventriculi sedentem ex Hipp. (b) ostendi ) magnum laborem & molestiam adferunt , pro eorum unione , sed insuper in-*

b. De humoribus.

EEE

ebriant



6. Id etiam inebriant facilis (c), & ut furiosa, nonnunquam in delicatulis per vomitum rejiciuntur: cum vero earundem uvarum succi, multiformes & varij per fermentationem, coniunguntur, tunc ex diuersis rectoribus, fit unus salubris & stomachum non ladens potus: quemadmodum ex diuersis simplicibus, per fermentationem comitis fit Theriaca, cui unus rector predominatur: hinc ab Avicenna magna uirtutis predicatur, ut in præfatione notauimus.

Ab sit quod nesciam rem dere, ubi numerum infinitum esse constat: precipue cum hoc scribendi genus, naturæ & genio repugnet, me tædet, nugis diutius immorari, qua propter calamum jam repono.

Eccerem; cum hac in scenam prodiit reformator, priusquam Naturam in omni re similem agnouit.

Nunc nostris, pro corollario, tria uerba in aurem; acidum informat alcali. His: uetustissima medicina, & nouissimi salus uiperini antiquissima fundamenta, si me inficis Rector, tellexis, absoluta concordantia, similitudine perpetua, & immutabili, ex naturæ decreto & Hippocrate meo, armonica & mechanica ratione, summa necessitate, inter se conuenire debere ostendi.

Hunc naturæ, & aris consensum, cum olim fictus noster amicus, ab exemplis capere, neque percipere potuisset, insurgit, & instar canis rabiosi inuadit, mordet, calumniatur seseque aliis longe ante ponit, ut per totum ejus scriptum apparet: sic quælibet auis, juxta modulamen rostri sui cantat, secundum illud Terentij (a) Homini imperito, nunquam quicquam iniustius, qui nisi quod ipse facit, nil rectum putat.

Infidelis hic homo quam cæpit, prosequitur semitam, & uiris bonis, ut olim Rhodii Herculi solebant, maledictis sacrificat. Legisti Pharmacopœiam Regiam, rustica progenies; sed non sapiunt pharmaca & rectorum combinationes Reformatoris. Compatior labello, quod dignam non offeram offam, aut labris lactucas. Quid mihi succentes, quod canis ossa, quod asinus carduos appetas, & ego incautus regia tibi bellaria obtulerim, contra Erasmi monitum, ne præberem: paleas cani, & asino ossa? Sed erravi, Tackeni (ignosce labili verbo) dum te asino comparo: textum tuum ad literam non observaram. Sciendi desiderio Pharmacopœiam Regiam euolui, &c. Quid novi audio, mysteriose uir? Scire desideras, cum Hippocrates sis? Scientiæ desiderio & ardore flagras, post occulta, admiranda, & absconsa hætenus à sensibus & cognitione, nunquam hætenus uisa orbi revelata? Rem melius examina: iterum gratiose mentiris, arbitror. Calumniandi desiderio Pharmacopœiam Regiam evolui; quod confirmant sequentia tua scommata: à reformatore ingenti gloriolæ pruritu conscriptam, multisque absurditatibus repletam euolui. Hoc erat sciendi desiderium tuum, ut fascino plenos oculos tuos meæ Pharmacopœiæ Regiæ immitteres; ac innocuum traduceres. Cui pruriunt ad gloriolam artus? an mihi; an tibi, Ardelio? Regia Pharmaca dedi; quia & pretio & effectu talia sunt: tu admiranda, jucunda & absconsa hætenus à sensibus & cognitione promissisti, interim stulta & nugatoria reddidisti, ac furta. Me sequitur condignus laborum honos, & umbra uirtutis, gloria: te sequitur auita stultorum merces, quos gloria vexat inanis; risus, & puerorum jocus. Quis non uidit hætenus, quod ingenti gloriolæ pruritu tenearis, qui te cum tuis mirum in modum sapientum sapone defricuisti, dum mulus mulum scabit? Quod uero multis absurditatibus repleta sit Pharmacopœia, nunc in præsentiarum diluemus; mox sententiam laturi. Sed metuo, ne redeat in authorem scelus.

Dicis,

Dicis, me promittere Regibus sulphur Vitrioli narcoticum, in Laudano Opiato, Pharmacopœiæ Regiæ, pag. mihi 35. edit. verò Belg. pag. 849. Ecce! quàm verum, quod Petrus Blesensis ait: *quidam in suis mendaciis gratiosi sunt: quidam laborant esse veridici, & mendacissimi reputantur.* En! quàm facilè hic noster Tackenius respirat, post bina, eaq; gratiosa, mendacia, uno spiritu & anhelitu prolata. Falleris, Tackeni. Ubi unquam, in meis lucubrationibus, & Regia Pharmacopœia, reperies, quòd *Regibus sulphur Vitrioli narcoticum promiserim?* Cita iterum locum. Scripsi, inter reliqua pauca ingredientia Laudani opiat, sulphuris Vitrioli rubicundi narcotici drachmas tres: Regibus nihil promisi. Mentiris, secundo, quòd *sulphur Vitrioli narcoticum nullibi in toto receptariorum libro reperitur.* Taceo enim Quercetanum, Kesslerum, Agricolam, Schröderum. Lege Apocalypf. Hermet. Libavii, p. 1. c. 14. de vitriolo. Item Alchym. Pharm. cap. 32. de Essent. Comp. Item de igne naturæ, c. 32. de Stibio ex Suchthenio: lege Begvin. Tyroc. Chym. l. 2. cap. 20. pag. 431. tit. Tinct. aut sulphur narcoticum Vitriol. lege Practicam Chymiatr. Hartmanni, tit. de Lepa, pag. 194. & 195. ubi de suo Viridello, & sulphure Vitrioli narcot. quòd Tincturam Antimoni adæquat. Et quid tuus Helmontius, tit. Duumviratus, paragr. 7. ubi dicit: sulphur Vitrioli summè soporiferum, sed non fixum. Ecce! hi omnes te circumstant, & te iterum palmo labellum ferire jubent: quòd est dicere, palàm mentiris, Tackeni. Apud hos omnes, & nos, docetur & reperitur sulphur vitrioli narcoticum. Rex novus Hippocrates evasit fatiope proprio cerebro & dementia, non vitrioli sulphure narcotico; sed Tartaro Vitriolato summè emetico, Mercurio sublimato corrosivo, Caseo Molliculo, sale alcali ex non alcali, seu sale lixiviali, Tinctura Corallorum deniq; ex Calce.

Eadem pag. lin. 21. ais: *Sic etiam Reginis, promittit ludum præparatum, ad generandum lac, quem nunquam vidit aut agnovit; hinc vulgo in proverbium cessit: Mentiris ut Medicus.* Non bene legisti, Tackeni. *Mentiris ut Alchymista;* fert proverbium; non, ut Medicus. Sed & hoc deinceps abrogabimus, & scias, velim, quòd imposterum in Austria, & quòd nostra hæc Apologia perveniet, utemur hoc triverbio: *Mentiris ut Tackenius.* Quæ autem de ludo præparato dicis, quòd Reginis promittam, ad generandum lac, in Append. ad Pharmacop. Regiam, pag. 16. ubi præscripsi Pulverem ad generandum lac; cui pulveri, inter reliqua ingredientia, apposui Lapidis lactei præparati (est lapis mollissimus, instar saponis ad tactum) vel, hujus loco, accipiatur

Ludi Lapid. Helmontii præpar.  
vel etiam

Silicum Molliorum, qui, ferro attriti, ignem non concipiunt, cujuscunq; horum, unciam unam semis:

ex hac Compositione fraudis occasionem accepit noster Hippocrates, quasi solum hunc lapidem, ad generandum lac, & solis Reginis, promissilem. Mentiris ut Tackenius. Pauperibus æquè ac divitibus, Regi & gregi, Reginis & plebeis; nec solum hunc lapidem, sed in concreto, unà cum reliquis ingredientibus & toto composito, promisi ad lac generandum. Utatur etiam hoc lapide, si quam lacte cupis turgere Nympham: nulli negatur. Solis enim Reginis non destinavi: liberalis sum: nihil celo: nec sum, ut tu, Euclio; cui omnia illico sunt operosi, & secreta quæ molliculum generant caseum. Quod spectat ludum lapidem Helmontii; ejus mihi facta copia fuit à Clarissimo quodam viro, ipsi quondam Helmontio familiarissimo: qui particulam mihi præsentavit, dum in nostris partibus sacris initiaretur.



Curiosior ego exinde factus, sedulò inquisivi; num etiam in nostris partibus ejusmodi Lapidēs extarent. Quæsi, & inveni, etiam in hoc loco, ad ripam Danubii (nam & Helmontii Lapis prope flumen eruitur) ad quam ingens copia & penus dictorum lapidum reperitur, variegatis punctis, aut potius venulis, qui flavo ut plurimum & aureo colore distincti, glabri & teretes, ad æmulationem marmoris, molliusculi tamen, ut etiam cultro facillimè raspari se sinant, aut solo affricu in pulverem subtilissimum atteri possint. Hos lapides, inquam, Medicinales reperi facillè resolvable: prout etiam silices, lapides molliusculos, qui ignem non concipiunt, multum de sulphure non inflammabili, adeoq; ambo non modicum de spiritu, seu femine, auri continent, salubres, & multorum affectuum antipharmaca; quoniam absumunt acidum infensum & morbosum ventriculi & intestinorum; facillè in ventriculo resolvuntur, ac quasi in chylum & lacteam substantiam commigrant; deniq; medela sunt plurimorum morborum tum secundariò, tum primariò, & per se. Novi ego virum magnæ Experimentiæ, uti & Theoriæ, qui innumeros pauperes hoc lapide misericordissimè sublevavit & erexit; quod gratis accepit, gratuito egenis redditurus. Quid denuo mirum, si ignoti Idiotæ nulla cupido, & hujus lapidis desiderium, quem nunquam tractavit: de quo tamen iterum Hippocrates novus, ut Tackenius, insigniter mentitur, dum ait: quòd & sulphur narcoticum Vitrioli, & lapis hic (non ludus preparatus Helmontii; ne denuo hyperbolizes) patriam non mutant, neq; trans mare currant: Dulce illis natale solum, ubi nata sunt, in cerebro scilicet Magni Ottonis Stoi, ibi perpetuo hærent.

Sed quas iterum tibi cogor abstergere lacrymas, Tackeni, Virorum afflictiissime! quàm justè quereris & lamentaris, pag. 233. lin. 5! Sic in sumptuosissima Appendice Regiæ pharmacopœiæ, cum splendido apparatu sc: non lego Rege digna, nisi in omnibus serè compositionibus, Magisterium nostrum solubile: quæ vana ostentatio ipsi Heraclito risum movere deberet, &c. Luctum tibi, mi Otte, facietis adimam. Audi, quæ ab exemplo tibi affero. Notissima est Aula, & plus quàm cognita Persona, quæ cùm, Principi suo ad epulas ministrando, clientelam suam & obsequium deponere solita erat, & frequentius quidem; incidit in quendam Aulicum, cui lances & orbem removere voluit selectioribus dapibus refertam. Huic illico Aulicus: Apage! non decent ejusmodi Morionum & Parasitarum labra turdus & acipenser. Cui ex abrupto festivè affectus Minister regessit: Mi Domine, quoniam videram vel à longè, quòd hi boli, sapientes, & non moriones, deceant; ideò abs te ad me transferre volui, ut debitum sibi reperirent palatum. Finis dialogi risus fuit, & ministro honos. Ita, mi Tackeni, licet tu nihil legas in Pharmacopœia mea Rege dignum; ex instituto & re notà hoc accidit. Non enim Morionibus, non Fumivendulis, neq; Thraconibus, scripsi, qui in mirabilibus supra se ambulant, cælum considerant, & in luto discurrunt. Minimè: sed Regibus destinavi: hoc est: Viris in doctrina & officio præcellentibus: uti & ipsi Regiæ Majestati. Neq; paradoxum existimes, Viros doctrinâ & consilio conspicuos Reges appellare, commune hoc fuit Sacræ antiquitati. Lege Florum, l. 1. c. 18. Liv. lib. 9. Lips. admirab. l. 4. c. 2. ubi reperies, quid Cyneas, Pyrrhi Legatus, Règi suo responderit, Româ redux: Visa est, inquit, mihi Urbs templum: Senatus verò Confessus Regum. Sic primò Regibus destinavi, & Nobilitati. Sic Regibus destinavi, Viris, studio, scientiâ, & experienciâ eminentibus. Hi pridem dixere, & publicis monumentis sancivè, quòd Pharmacopœia nostra Regia sit, & medicamenta dignissima. Rideat nunc potius severior Heraclitus quisquilias tuas, lixiviam tuam, ad callos pedum panaceam, corallorum tincturam, saponem Venetum, calcem epulo-

puloticam, & Tartarum vitriolatum emeticum & deleterium; quæ tua sunt revelata secreta; & abunde satisfiet risui, splene tumente. Forſan Regiæ noſtræ Pharmacopœiæ majeſtas (invitus hæc commemoro) Heraclitum ad priſtinam ſeveritatem componet. Quòd autem ſcripſi: *Magiſterium noſtrum ſolubile*: de condicto id egi; quia de proprio pròtuli. Meus hic partus eſt: mea induſtria: noſtrum eſt magiſterium, Reformatoris, Zwelferi. Non ſunt plumæ alienæ, Helmontio aut Libavio (uti Viperini fundamenta ſalis) ereptæ; non aliena ſpolia. Quare non gloriolæ pruritu, ſed veritatis inſtinctu, hæc ſcripſi. Sed prodiſt iterum decumanum figmentum, quòd magiſteria noſtra ſolubilia nil aliud ſint, niſi *perla, & coralli cum aceto corroſi, ut cuilibet Tyroni ſatis notum ſit*. Magna eſt differentia, *Tackeni*: qualis nimirum inter vivos & cadavera deprehenditur. Communia magiſteria calces ſunt inutiles, morticina, effœti cineres, vulgari aceto corroſi, & præcipitante ſpiritu ſulphuris uſti & cremati, umbræ deniq; perlarum & corallorum: ſolubilia verò noſtra magiſteria integris perdurant viribus, nullis corroſivis peſſumdata, naturæ noſtræ amica, morbis ſtrenuè reluctantia. Vix hæc expedio, & recens mihi obtrudiſ mendacium, *Tackeni*, pag. 233. lin. 17. *Ipfus autem deridet*, inquis, *& cachinno excipit, Scriptorum longa recepta, &c.* Iterum plusquàm *Tackenius* mentiris: &, ut ſtatim te convincam; vade iterum mecum ad Appendic. ad Animadverſiones meas, pag. 38. edit. Noric. edit. verò Belg. pag. 53. & audi, quàm ſit conveniens teſtimonium tuum. Textus noſt. talis eſt:

Quapropter cùm arduum ſit, cognoscere, & nemini adhuc ſatis perſpectum, quomodo res naturales intra etiam limites unius ejusdemq; regni in ſe invicem agant; conſilio magno nobis ſit, prout ſæpius mentionem feci, ut, ſimplicitate in re Medica contenti, in congeſtione tot tantarumq; rerum diverſarum, labore inutili ſuperſedeamus, & parcioreſ nos præbeamus, atq; vel uno ſimplici ſimpliciter, ad quod à DEO conditum eſt, vel ſaltem paucioribus, inter ſe tùm manifeſtè, tùm occultè, non contrariantibus, Medicinam faciamus: &c.

Vide nunc, *ridicule Thraſo*, quales ſint hi cachinni, quibus me ridere longa Recepta aſſeris: an modeſtiùs rem innuere: an mitiùs corrigere faſ erat? Sed adducamus hiſpida verba tua, & nodosa ſcommata, quibus, pag. 234. l. 8. *Vaicum*, aiſ, hoc addo: *Receptarum combinatores, tanquam ſortilegos, Conſulo fugiendos & propellendos, qui de ſuis prodigioſis compoſitionibus, de malis noſtris negotiantur, & ſuper vitam noſtram mittunt ſortes*. Vide, Hypocrita, quàm inculta verba Authoribus & Viris ſapientiam profeſſis obtrudas: quàm ſarcaſticè in Medentes animadvertas: ac, ut in Teutonico vulgari dicimus: *Wie heſſtig du mit der Säuglocken leuteſt*: Apage iterum, *tenera conſcientia homuncio!* qui vetas in templo ſpuere, & mingiſ in altare: ut olim cecinit quidam, nomine *Tackeni*, in ſuâ Echo. Adduco iterum, poſt hæc, mendacia plura, figmenta tua. Pag. enim priori, 233, lin. 19. ita ſaris: *Quis unquam vidit aut legit longiora (ſcil. recepta) quam in appendice ad pharmacop. Regiam? quâ inconcinniora?* Redi iterum ad textum meum ſupra citatum; & contrarium leges, & os tibi obturabitur, *mendaciſſime Tackeni*, dum legeris, quòd omni arte



& studio svaferim, ut pro viribus remediorum compositiones homogeneæ, succinctæ, & in unum effectum directæ, instituantur. Videamus etiam, quàm inconcinna remedia divulgaverim: *exemplum sit, ais, compositum illud, quod specioso titulo, Pilula Regiæ vocat, ubi sane opium, omnes effectus quos promittit, solum edit, ad quid ergo aurum corrosum? cujus simplicis nulla est cognatio cum opio, columna pilularum. &c.* Verùm scruten-  
tur hanc nostram Compositionem æqui arbitri, ac analytico ordine per-  
transeant. Et primò, si inspiciamus, quàm longa sit hæc Regia Com-  
positio, aut quot ingredientia contineat; reperientur numero solum no-  
vem: et 1. Aurum essentificatum cum Tinctura Antimonii, tanquam  
celeberrimum Cordiale, Alexipharmacum & Sudoriferum: 2. Am-  
bra grysea: 3. Ol. Cinamomi: 4. Ol. Citri: 5. Ol. Rosa-  
rum verum destill. 6. Ol. Nucistæ expressum: 7. Extract. Opii:  
8. Extr. Croci: 9. Saccharum, saltem pro impragnatione & legiti-  
ma unione, & subsequenti dissolutione Ambra & Oleorum destillato-  
rum, adjectum. Si, secundò, consideremus concinnitatem pauculo-  
rum horum ingredientium; quis, quæso, non viderit concinnitatem?  
An unquam laudanum concinnius hoc fuerit dispensatum? Omnia enim  
ingredientia, præter opium, conspirant in unum effectum, Cordis,  
Cerebri, facultatumque Animalium & Vitalium restaurationem, adeo-  
que in totius conservationem, & malignitatis expulsionem. Opium ve-  
rò legitimè correctum, narcosi suâ privatum, & optimè n. m. præpara-  
tum, quid addit his, nisi virtutem anodynâ, dolorum compescen-  
tiam, sine spirituum forti ligatione? Nec omnem præripit opium reli-  
quorum præstantissimorum ingredientium operandi calculum: quia in  
tam minuta dosi adjectum est, ut totum Compositum viribus non ex-  
cedat; sed in competenti dosi propinari possit: quâ ingredientia omnia,  
præsertim tam nobile, pretiosum, & essentificatum Aurum, suas vires &  
virtutes exserere queant. Propterea saccharum duplici de causâ (quæ  
autem ignorans Hippocrates noviter inauguratus non penetrat) in maxima  
omnium dosi & quantitate adjectum est. Instituamus igitur computa-  
tionem unius doseos hujus Regiæ medicinæ, & ponamus drachmam u-  
nam pro dosi. Illa drachma, exactè computata, continet circiter opii  
correcti & extracti gr. vss. Ambra gryseæ gr. v i j ss, Croci Auri essentificati  
gr. viij ss. Extr. Croci gr. iiij. Ol. Cinamomi gr. iij. Ol. Citri gr. ij. Ol.  
Rosarum gr. j. Ol. Nuc. Mosch. expressi gr. iiij. Reliquum est Saccharum,  
pro exactiore mistione & dissolutione Ambra & Oleorum destillat. asso-  
ciatum. Tanta dosis igitur, sine nocumento, urgente necessitate, pro-  
pinari potest, non obstante opio: sit autem, si opium timeamus, drach-  
ma semis. Jam judicet Vir doctus, & expertus Medicus ac Chymicus, u-  
trum opium omnes effectus, quos promittit hæc Medicina, edat, & reli-  
quis omnibus palmam operandi præripiat; prout Chymista hic, vel, ut re-  
ctius loquar, Archi-Alchymista mentitur: utrum Regium tale medicamen  
paucioribus ingredientibus dispensari potuerit: utrum concinnius. Præ-  
terea addidi, eadem pag. 9. Append. in Pharmac. hanc Notam: Quòd si  
fortè quispiam Opii extractum, propter frequentem & sæpius  
repetitam necessariam exhibitionem Regii hujus medicaminis,  
abhorreret; aut illud ipsum, in soporosis affectibus, ægrotis, qui-  
bus opium, ob morbi naturam, nocuum, propinare nollit; is  
posset

posset aliam huius medicaminis Compositionem, dempto, vel omisso, opio instituere: tali pacto, sicuti ibidem descripta est. Sed quis offam depravato huic palato pro gustu afferat? Ne quidem coquorum Princeps. Paulò superius impetuosè Reformatorem arguit, ratione Aquæ Acovillicæ, seu ad Auditum, Mindereri: cujus compositio triginta constat ingredientibus, sine ordine & sensu sibi adunitis; utpote heterogeneis & repugnantibus. Accedit etiam inconcinna & amethoda compositio & præparatio, ut vix calamus sufficiat, quo errores annectam: prout videre est *Animadv. pag. 280. edit. Noric. & ex annexa eidem Aq. præparat. pag. Append. ad Animadv. 28.* Hanc tamen Aquæ compositionem absurdissimam in cœlum usq; extulit, ut Reformatorem cavillaret; D.D. Augustanis verò adulatus est, ne parasitarum amitteret stipendium. Sed combinet Vir aliquis industrius Aquam Acovisticam, erroribus horridam, quam tamen *Tackenius* collaudat, & nostram hanc Regiam Compositionem: atque sententiam ferat; quænam tam quoad ingredientia, quàm parandi modum, præstet: & lubens æqui arbitri iudicio subiacebo. Apparebit etiam turpis livor iniqui *Hippocratis novi* contra Reformatorem, quo Regiam Compositionem selectorum ingredientium, numero novem tantum, repudiavit: cum interim farragines xxx, quinimò centum, dicam trecentorum octuaginta octo, ingredientium (talis est Antidotus Matthioli, quæ sedecim diversas Compositiones requirit) cum cæteris plurimis spuris dogmatibus & erroribus, adoptaverit. Exitus igitur acta probat; quòd ubique & constanter maledicus sis, & insignis hyperbolista, nec ulli parcas: uti recentè iterum patet, dum Medicos, & D.D. Augustanos, *Receptarum combinatores* cavillando dicis; quin imò citra velle, & juxta legem in te repugnantem, ipsos D.D. Augustanos, quos defendere satagis, arietasti. Sed de his suprà ad ravim disserui. Verùm ad quid iterum parietes, & marginalia conspurcas, pag. 234. ubi ais, in margine: *Unica materia non potest simul duas species habere quod à nostris attentè notandum.* Quid tui notare debent? An forsan, quòd rudis, & idiota sis, ex hoc textu colligere debent? Vel enim intelligis, quòd una causa non possit producere distinctos specie effectus; vel quòd una materia non possit recipere formas specie distinctas; vel quòd sub eodem genere plures species realiter & adæquate distinctæ contineri & prædicari nequeant. Quidquid horum dicas, falsum est, & contra te, pro caligis Aristotelis, & pallio Medico, tuebimur oppositum. Dantur enim ejusmodi causæ æquivocæ tam in genere causæ materialis, & formalis, quàm efficientis. Sed quid hæc tibi rudi? Neque enim oportet margaritas projicere: &c.

Quòd autem, ut inquis, pag. 234. lin. 15. *impossibile sit, vel minus difficile, ut de sola urtica ostenderis, aliquid certi statuere* (hoc est, in Pharmaceuticis & Chymicis) *nisi solâ opinione & conjectura?* hoc tibi ultrò credo, mi *Tackeni*, & demiror, quâ ratione denuò hæc tibi veritas eruperit. Hic videmus (ex ore tuo) antiquissimi salis viperini novissima, aut nugacissima, fundamenta: nihil certi sunt; opinio, & fallax conjectura. Videmus, quid sint illa admiranda, jucunda & absconsa à sensibus & cognitione, pag. 7. *Opinio, conjectura, phantasia.* Si nec urticam fatuam & mortuam comprehendis; quid ergo lussisti de materia Philosophorum, de Corculo tuo, de molliculo caseo, & ingentibus secretis, in hoc opusculo? Grata vel ex ore adversarii veritas. Habent, profectò, quòd rideant Murani Vitriarii, Saponarii, ad flumen Nausicca lotrix; quòd toto splene rideant, dum retractationes tuas inaudiunt; quòd de fastigio scientiæ in tantum defeceris, ut nec urticam perfectè cognoscas, quæ in humili, & ad sepes, enascitur. Sed limitat: lin. 20. *Quotiescung, autem singu-*



*singulares, intentum non habent, tunc nimirum compositione indigent, ut de portionibus vulnerarijs, de tincturis, & atramentis (ut consequenter loquaris, nec mentiri in prioribus videâre) luculenter demonstravi.* Hoc est, mi Hippocrates, quod Reformator, antevergens pridem somnia tua, sciverat: hoc D.D. Augustani, & complures, quod nimirum simplicibus semper purè putè adhibitis cura omnis & medela non succedat. Igitur concinnæ compositiones, quas ideo Regias dixi, & magistralia remedia, adinveniendæ erant. Et sicut tu Composita, Tincturas, Decocta, &c. cum sutoribus, atramenta excogitasti plurium ingredientium: sic Reformator Trageas, Syrupos, Electuaria, Confectiones, &c. ex quibusque ingredientibus, juxta artis & indicationum leges, confecit. Neque contemnendum tu putas exemplum Compositi medicamenti tui, quod in sequentibus addis, *lin. 27: Sit, inquis, salvia succi p. ij. vitrioli Martis p. j; hi ambo commisti, subito nigricant: Alkali enim occultum salvia, vitrioli acidum absorbet. &c.* Sed quid discimus hinc, Tackeni? Ergo emne fortè alcali occultum herbarum cum acido vitrioli nigricat, quatenus vitrioli acidum alcali occultum herbarum absorbet? Quod est falsum. Dic, si tantus Philosophus Hippocraticus es; cur salviæ succus, cur Rosæ, Cort. Granatorum, cur Gallæ, vitriolo unitæ, nigricant; reliqua verò vegetabilia, aut eorum succi, nequaquam. Majora nobis pandas secreta, quam atramenti mysteria, quæ multis non egent speculationibus.

Ad finem properat Tackenus. *Ad vos nunc me converto, ait: pag. 235. lin. 22. ingenui Pharmacopœi, calculum saltem faciatis & judicetis, non quidem plurimorum inutilium laborum & compositionum, quasi omnes, in promptu esse deberent, vix tota Augustanorum civitas eis capiendis sufficeret! sed saltem, pro hujus acuti distillatione ex æruginè, corallia erodenda: ut si vasa, instrumenta artisque, requisita, cum tempore supputetis! ubinam reperitur pauper (ut ait) hujusmodi sumptus faciens? Sin vero exiguo prætio, hæc & si nilia artificiatâ dispensabit!*

*Tunc labor in damno est crevitq. mortalis egestas.*

Et ego ad vos me converto, Artis Magistri, Pharmacopœi expertissimi: symposia Tackeniana finem arripiunt; calculum saltem faciatis, quot absurda, contradictiones, nugæ, imposturas, trabalia mendacia, in hoc minuto Opusculo, novus Hippocrates emendare & solvere teneatur: *que si omnia in promptu esse deberent, vix tota Augustanorum civitas eis capiendis sufficeret.* Repone caudam, Vulpecula, & palpum, quibus D. D. Augustanis affrictis blandiris. Norunt enim illi oculatissimi hanc inferre consequentiam: si ideo Compositiones Reformatoris minùs probandæ sunt, quia prolixæ; multò magis nostræ: & à potiori; quia eas magno ingredientium numero exsuperant, & habito respectu Augustanæ, ad Regiam Pharmacopœiam, breves sunt Compositiones illæ; nostræ verò ut plurimum fusiores. Cæterum Dom. nostri Pharmacopœi gratias tibi habent, quòd hætenus ad tumultum Novercæ flere dignatus sis. Non est quod queraris; *quoniam in damno labor est: nihil, ut tibi, illis operosum.* Norunt, quid profit illis spiritus noster Veneris: quantum præstet aceto tuo simplici destillato corrosivo, perlas, & corallia in calcem & cineres pessundante. Mentiris, dicunt, *quod crescat inde mortalis egestas: sed prodest egestati, Vasa etiam & instrumenta (nisi planè rudis & idiota sis, in apparando hoc spiritu) artisque, requisita, per pauca sunt: quod requiris, maximum est, amplum vas recipiens, quod caput tuum adæquet; reliqua tanti non veniunt; nisi forsan æs viride tibi crumenam exhaurire credas.*

*Pag. 236. pergit: Sed si crassis vanisq. opinionibus à reformatore hinc inde commissis, diutius immorari vellem, numerus dicendorum cresceret, quod ex primo Syrup*

*syrupo* (a) manifestum fiet, hic, ut & reliqui, fuere ab antiquitate inuenti, ut cuiq; in- a Syr. de Ab-  
diuiduo propinari possent, & etiam ad promittitudinem, & compendium officinae: sed, sinthio phar.  
cum perquam plurimi, odores praesertim spicae, agrè concoquant, & sine stomachi sub- fol. 17.  
uersione & eructatione non perferant, imò digestionem reluctantur, ut apparet in cibis  
aromate conditis, qui stomachi fermentum pessundant hinc simplicem cibum, saluber-  
rimum laudarunt veteres (b). Hanc ob causam, etiam pro hoc syrupo, Absinthium  
ponticum, ut minus odorum, elegerunt, atque simul cum spica, in vino veteri coxe-  
runt, ut una cum vini spiritu, cui odor facillimè associatur, penitus abscederet, quod  
probat succi cydoniorum additio; nisi enim hac veterum intentio fuisset, huius syru-  
pi loco, in usum vocassent cydonitem & absynthitem, ut videre est in Dioscoride (a)  
remanens, cum saccharo à cano situ defendebant, & in syrupum inspissabant.

Sic quoque diuersa vina, simul mixta, & potata ut in conuiuiis fieri solet, non  
solum Reſtori humano (quem supra capit. 15. in ore ventriculi sedentem ex Hipp: (b) o-  
stendi) magnum laborem & molestiam adferunt, pro eorum unione, sed in super in-  
ebriant facillimè (c), & ut furiosa, nonnunquam in delicatulis per vomitum reſe-  
ciuntur: cum vero earundem vinarum succi, multiformes & varij per fermentatio-  
nem, coniunguntur, tunc ex diuersis reſtoribus, fit unicus salubris & stomachum non  
ladens potus: quemadmodum ex diuersis simplicibus, per fermentationem coniunctis fit  
Theriaca, cui unicus reſtor predominatur: hinc ab Auicenna magna uirtutis praeſica-  
tur, ut in praefatione notauimus.

Cum autem instituti mei non sit hic ut dici solet, lapillum in littore maris oſtem-  
dere, ubi numerum infinitum esse constat: praecipue cum hoc scribendi genus, na-  
turae & genio repugnet, metadet, nugis diutius immorari, qua propter calumiam jam  
repono.

Ecce rem; cum hac in scenam prodiit reſormator, priusquam Naturam in omni  
re similem agnouit.

Nunc nostris, pro corollario, tria uerba in aurem; acidum informat alcali. His:  
uetustissima medicina, & nouissimi salis niperini antiquissima fundamenta, si me in-  
tellexissis, absoluta concordantia, similitudine perpetua, & immutabili, ex natura  
decreto & Hippocrate meo, armonica & mechanica ratione, summa necessitate, inter  
se conuenire debere ostendi.

Hunc naturae, & artis consensum, cum olim fictus noster amicus, ab exemplis  
capere, neque percipere potuisset, insurgit, & instar canis rabiosi inuadit, mordet,  
calumniatur seseque aliis longe ante ponit, ut per totum ejus scriptum apparet: sic que-  
libet auis, juxta modulamen rostri sui cantat, secundum illud Terentij (a) Homini  
imperito, nunquam quicquam iniustius, qui nisi quod ipse facit, nil rectum putat.

Veni iterum, Tackeni, cum absurdissimis & crassissimis opinionibus tuis sub do-  
labrum; ut te ad regulam dedolemus: vel, ut supra dixi: Sus sub fustem veni.  
Quid doces de Syrupo Absinthii? Absurdissima. Probas nimirum, & sua-  
des, ut parsejus spiritiuosa, totius energiae & effectus origo, prolixâ, forti & a-  
perta cocturâ exhalet; quò facilius inodorum absynthium & spicam ventricu-  
lus digerat; & hanc vocas artem: Compendium officinae: dispendium forsan  
dicere voluisti. Cur paleas & farmenta non coquis; quæ vel maximè inodora:  
unde nec ventriculo officiant? Sed deliras, profectò, Philosophe. Sapientum  
nemo in hoc tibi suffragabitur. Natura nil fecit frustra: non frustra vino de-  
dit spiritum: non frustra herbis balsamicis odorem. Nostris Medicis la-  
boribus studemus, totaque Medicorum Schola eò allaborat, ut virtutes re-  
rum integrè conseruemus; praesertim quæ in partium tenuitate consistunt:  
uti optimè, & sapius, monent D. D. Augustani. Tu eas studio in auras depel-  
lere jubes, summæ stupiditatis & iniquitatis argumento. Vappa igitur Vini, &  
Vinum coctum, sit tibi, & porcis faginandis ferculum. Herbae balsamicae,  
diu coctæ, nobis vix arident pro pedilauis & balneis: multò minùs ventri-

a. Syr. de Ab-  
sinthio phar.  
fol. 17.

b. Homini  
cibus uti-  
lissimus sim-  
plex: acer-  
uatio saporis  
pestifera.  
Plin. lib. 22.  
c. 53. 5.

a. lib. 5.  
cap. 49.

b. De moribus.

c. Id etiam  
observauit  
Gion. Boc-  
cauius 7.  
Nonell. 2.  
fabula.

Abfit quod  
nesciam rem  
ignotam in  
usus proxi-  
mi demon-  
stratam ca-  
rere calu-  
mnia.

In acido ha-  
bitat speci-  
fici Reſtor,  
qui informa-  
mat alcali.

a. In adelf.  
act. 1. sc. 2.



culo nostro, cum vini vappa, gratæ erunt. Tu tibi hæc fercula reserves, medicamenta verè effœta. Plinii autoritas hic fallax est. Nam si *acervatio saporum pestifera* est, juxta Plinium, prout in *marginè hujus pagine 236.* cum tuo Plinio, asseris; tua, revera, institutio & præparatio hujus syrupi est pestifera, syrupus Absinthii totus pestilens: quoniam in tua absurdissima præparatione conservas totum Absinthii amarissimum saporem, item de rosis, & spica Indica, adstringentem amariuscum, cum vappa vini; odoribus saltem, & partibus spirituosioribus, ventriculo & naturæ nostræ gratis, omnino & totaliter depulsis, ac in auras profligatis; in quibus tamen virtus maxima consistit, totaq; partium tenuium energia. Vides, *Tackeni*, quàm tibi sis contrarius, & ipsa pestis? Quia si, uti asseris, coacervatio saporum pestifera; tu verò sapores omnes absinthii, spicæ &c. in hoc coacervas syrupo, & partes saltem odoriferas, spirituosas, & tenuiores, prolixâ cocturâ depellis: quidnâ tuus, taliter paratus, syrupus erit pestilens? Vah! quàm turpiter cum omni sapientia tua deliras! Fortè saltem quatuor habes sensus, sapore & odore in unum compactis. Quid mirum ergo, si ita stomacheris? Siccine homines malè afficere tua vappâ vini, tuis effœtis ferculis, quæ nostri stomachi abhorrent, nauseant, & vix porcis saginandis digna sunt? Apage cum tua pestilenti doctrina! *Exitus* jam tua *acta probat*; quod tuæ contradictiones, tua iniquitas, non habeant terminum nec modum. Plura de his lege in recenter editis lucubrationibus n. ubi videbis, quàm firmis rationibus propugnem, ne ægris vappas & effœta lixivie præbeamus, quæ prolixis & apertis decoctionibus apparant Mysochymici & Apothecarii. Sed quid iterum pro dolabro asfers, *pag. 236. lin. 26?* *Cibi aromate conditi stomachi fermentum pessundant hinc simplicem cibum, saluberrimum laudavunt veteres:* & in apposito *marginè:* *Homini cibus utilissimus simplex: acervatio saporum pestifera Plin. lib. 1. c. 53. 5.* Sed rationem reddè, *Augustani vindex*: Cur tot odores, sapores, ac balsamica, combinant (te ultrò propugnante) D. D. Augustani in Syrup. aperitivo Magistrali, de arthemisia, & aliis passim? Dices: in promptu solutio est; quia totam iterum virtutem & odores fugamus apertâ & violentâ cocturâ. Fateor. Licet absurdè respondeas; aptè tamen. Sed eamus ad alia, ubi cocturâ odores & sapores non dispereunt; quin imò studiosè coacervantur. Dic igitur, *Augustani defensor* iterum, & examina mecum Trageas aromaticas D. D. Augustanorum, Species item aromaticas, Confectiones plurimas, & Aquas destillatas, tum simplices, tum compositas, Stomachales, Apoplecticas, Epilepticas, & alias complures, quas constituunt tot balsamica & omnis generis aromata odoratissima & spirituosissima, accedente nec non Vini spiritu. Estné hîc *odorum multitudo, & coacervatio saporum pestifera?* Iterum ex ore tuo te judico. Quî ergò hæc *stomachum non subvertunt?* Cur *digestioni non reluctantur?* Cur à D. D. Augustanis (quod ego non improbo) Ventriculo & Cerebro roborando destinantur? Possuntné plures odores, sapores, partes balsamicæ & aromaticæ, in uno quandoque horum composito ac concreto combinari, quàm ibi reperiuntur? Pessimus Philosophus es, quia malè distinguis. Non omnes odores ventriculo obsunt; imò pauci, vel nulli: tetri potius, & exitiosi, qui fœtores & miasmata potius sunt, quàm odores. Non omnis coacervatio saporum pestis est. Legisti né Præceptorem tuum, quem libellus tuus loquitur, Helmontium, Tit. Magn. Oportet, pag. 97. paragr. 26. Tit. de Potest. Medicament. pag. 304. paragr. 26. & alibi: quid de odoribus dicat? Vide Tit. Imag. ferment. imprægnat massam in semine, pag. 71. paragr. 20. quàm ille pulchrè doceat, quia

quia benè distinguit. *Sunt, inquit, nempe odores, qui dolores capitis, nauseas, vomitum, tusses, singultum, vertigines, epilepsiam, apoplexiam &c. movent: sunt idcirco & alii, qui simili modo eadem sanant.* Et hi sunt odores improprie dicti, potius vapores tetri & maligni, quales in fodinis reperiuntur, ab accensis carbonibus, in cellariis multo repletis, à cadaveribus & aëris contagio, qui substantiam cerebri replent, meatūs obstruunt, cor ab inspiratione lædunt, aut halitum intercludunt, & talia accersunt. Sed hæc non ad balsamica, ad aromata, ad odores, proprie sic nuncupatos, derivari debent. Erras longè, mi *Tackeni*: pulchrum tibi adduco locum ex citato superius Helm. Tit. seu paragr. 19. unde discas, quantum, cum Plinio tuo, oculatus esse debeas in conservandis odoribus & spiritibus rerum balsamicarum. *Odore, inquit, & lumine delectantur spiritūs, eò quòd lux, & odor illos immediatè attingant & penetrent.* Etenim spiritus sanguinis in *Lipothymico* plus tosta carnis odore, quàm aromate, refici deberent, nisi fragrantia, quatenus citò attingit vitam, in hanc puritatem & suavitatem præpararet. Videntur ergo odores spiritūs abstractos attingere, quatenus pestilens odor, naribus non perceptus, *Archeum* horrore quatit. Hæc ille. Quæ sanior, & suavius olens doctrina de odoribus est, quàm tua, quam meritò ridemus. Quòd autem reijcis, pag. 237. diversitatem vini potandi, & vappas svades, ac per decursum, quâ ratione vina inebrient, temulentus doces; levia sunt: ac tibi & comibonibus tuis committo; ut ex libro, quem citas, Hippocratis, de humoribus (suadeo de diætâ) *Rectorem humanum* adhibeatis, ne vobis varietas vini nocuerit. Sed quòd dicis, pag. 238. lin. 1. *ex diversis simplicibus, per fermentationem connitis, fit Theriaca, cui unicus rector prædominatur: hinc ab Avicenna magna virtutis prædicatur, ut in præfatione notavi: turpiter te convincis, ac tibi contradicis, pag. 234. lin. 3. ubi asseris: Profectò congressiones simplicium, ad ignari lubitum factæ, Reges insatuant & exanimant.* Hoc est, quod sæpe dixi: res ardua est, consequenter mentiri. Nam mendacem oportet esse memorem sui. Si ignari excogitarunt simplicium magnas compositiones, si Reges insatuant & exanimant; cur ergo tu eas, cum Avicenna, quem citasti, approbas laudasque hoc loco? *Tackeni*, quod semel placuit, displicere amplius non potest: Regula Juris est. Quid autem Theriaca sit, ejus anatomiam spectâ ex n. Opere, Classe propriâ, de Theriaca.

Descendo ad pag. 238. paragr. 2. ubi ais, lin. 8. *Cum autem instituti mei non sit hic ut dici solet, lapillum in littore maris ostendere, ubi numerum infinitum esse constat: præcipuè cum hoc scribendi genus, natura & genio repugnet, me tædet, nugis diutius immorari, qua propter calamum jam repono.* Mendax cepisti: mendax desinis. Mentiris, quòd genio tuo repugnet hoc tuum scribilandigenus. Quin proprium tibi est in quarto modo, calumniari & inno-cuos traducere. Si enim geniū mutare voluisses, hunc scommatū fasciculum, ex professo colligatum, nunquam in forum tulisses; sed frequentatis melioribus actibus, pristinum & probrosum habitum convitiandi deposuisses. Nemo, profectò, à quo Europa literatos numerat, malitioso calamo, & nequissimo scribendi genere, liberè adeò Viros sapientiam professos, licentiosecq; exagitavit, quàm tu, *Otto Tackeni*: prout tibi per decursum, ex authenticis translatis copiis & testimoniis demonstravi; & de te impressi libri testantur. Repugnare autem naturæ hoc scribendi genus, verum est; sed vel maximè conscientia tuæ, si quam habes, quòd non provocatus, non laceffitus, famam incidere tentâris Viris innumeris; de præsentī verò, Reformatori. Inspice tuum hujus paragraphi ridiculum marginale, & ipse judica, quàm bene, juxta illud, res tuas peregeris.



Et hæc sunt, quæ, in toto tractatu, de novissimo Viperino sale, attulit novus Hippocrates. De quo sale olim cecinit Conradus Theodorus Lünckerus, Publ. Professor Marpurgi:

*Nam si sal credis, dederit quod vipera fixum,  
non tibi, non illi, est candida mica salis.*

Exitus igitur acta probat. Concludamus, Amice Lector, cum hoc Doctissimo Professore, & dicamus: Insulsa sunt novissimi salis Viperini antiquissima fundamenta, & nec micam salis continent. Sic cum sapientibus Europæ sapimus, contra magnum Ottonem.

ECCE REM; cum hac in scenam prodit reformator cum Tackenio, qui naturam in nulla re similem agnovit. Hæc sunt, quæ novo Hippocrati erant promulganda. Sed quid iterum, abiturians de Theatro, obgannis, postremo planè paragr. Tackeni, pag. 239? Hunc natura, & artis consensum, cum olim fictus noster amicus, ab exemplis capere, neque percipere potuisset, insurgit, & instar canis rabiosi invadit, mordet, calumniatur seseq; aliis longe anteponit, ut per totum ejus scriptum apparet: sic qualibet avis juxta modulamen rostri sui cantat, secundum illud Terentij (a) Homini imperito, nunquam quicquam injustius, qui nisi quod ipse facit, nil rectum putat. FINIS.

a. In adelf.  
act. 1. sc. 2.

Denique stultorum peroratio & Coronis, maledictio. Nimis bene cognovi naturæ & artis consensum, falsissime Frater, & fictæ amice, Tackeni. Novi, quod me circumveneris, & fixandorum salium dexteritatem mentitâ reciprocatione, fraudibus mille & simulationibus, nequiter extorferis. Recolat æquissimus Lector historiam & speciem facti, quam de hoc impostore in principio Apologiæ attuli. Hic est consensus artis, Tackeni; quod nihil sciveris, mentitus magna fueris, & experiri infomnia tua alieno periculo volueris, à me denique fixationes salium volatilium, simulando amicitiam, turpiter suffuratus sis. Indulgissem hoc audaciæ tuæ, & sciendi avido desiderio attribuissem, nisi postliminio, ubi te fœderis & mutui contractus iteratò admonui, ut & mihi reciprocando salis fixandi normam communicares, instar petulci onagri & mulorum recalcitrasses, aliquot menses incassum laborare & desudare studio & petulanter me fecisses, & fictum amicum nostrum te comprobasses; dum temporis & æris dispendium accersisti. Et hinc illæ lachrymæ! quod tu, quando ante 16. annos Animadversiones meæ sub prælum erant dirigendæ, Tevtonico idiomate, phrasitamen latinâ intertextam epistolam ad me dediisti, in quâ (suspensione motus & reatu proprio. Nam conscientia mille testes!) me precatus es, ne contra te scriptis agerem (Cur? nisi centies promeritus esses?) & alios cogereris etiam Apologiam reddere. Quid respondi, Tackeni? Cur non etiam illas producis literas? Fateor, acutè, sed amicè, regessi: me quidem hanc rem nunquam mente volvisse; minus opere executurum. Et tu, ingrâte Cucule, probrose homo, arripuisti calamum, nequiter & mendacissimè me traducere ausus es, non provocatus, ne verbo stimulatus, post beneficia, obsequia, merita, iteratam veniam, & quæque amicabilia? Proh! pudeat Tackentium! (verbum commemoro æterno oblitterandum silentio) Discat interim meo exemplo orbis; quod in reconciliato amico nulla salus. Sic olim, quem augustus Cæsar in cunis suffocare debebat, Brutum, quem togatum & prætextatum cruci affigere: hic à scario cadit immani vulnere, brutoq; latrocinio, purpurâ & sanguine diffuio. Et hic finis bene merentium. Nec aliam à Nerone drachmam accepit, Præceptoris munere defungens, Seneca, quàm mortem & exterminium. Cur non & ego mitiùs feram hujus Rabulæ probra, si tam augusto sanguine luditur, & prodigè eum hauriunt canes: qui cum talibus viris & augusta

Maje-

Majestate in comparationem nimimè venio. Igitur, *Tackeni*, juxta modulum rostri tui, qui infausti ominis avis es, prudenti suspecta auguri, tibi respondeo & retorqueo; quod insurrexeris, quòd tu (minimè ego) *insurrexeris*, contra infontem, & instar Canis rabiosi me invaseris, momorderis, calumniatus sis, teq; aliis longè anteposueris, ut per totum tuum calumniosum scriptum apparet: adeò, ut verum sit, & in te verè cadat, quod ait Terentius: *Homine imperito nunquam quicquam injustius, qui, nisi quod ipse facit, nil rectum putat.*

Nunc tibi ac tuis pro Corallario, tria verba in aurem: acidum deferbuit, & reformavit alcali: Obtrusisti, non ostendisti tuis, vetustissima Medicina, & novissimi salis Viperini stultissimis fundamentis, non ex Hippocrate tuo, aut natura decreto, sed ex magno cumulo tuarum absurditatum, Hippocrate Coo altum filente, quomodo acidum informet alcali, Acetum sal Tartari. Hæc igitur, quæ hætenus attuli, summâ necessitate tibi deberi, ostendi; & finem hisce facio. Mi *Tackeni*, spero & confido de conscientia & prudentia tuâ, quæ magna semper fuit, quòd mea hæc Apologia minimè te sit commotura ad succensendum Reformatori; quoniam nosti, quòd hæc, laceffitum multum, & acriter à te stimulatus, fecerim; imò silenti, & altum dormienti in pacis umbrâ, hostiliter obtruseris. Nec per me his tibi respondi, sed svadente hoc, pro fama meâ, & inculcata tutelâ, Choro & Foro, & populi universitate. Neq; adhuc responsum maturassem, (majoribus & utilioribus intentus, quæ coactè seposui) nisi vidissem, quòd cum petulantia tuearis errores; quòd te nequitia tuâ titillent, & exultes in rebus pessimis, eò, quòd incessanter has insanias tuas, & probrosum tibi libellum, ubique universitatibus, Collegiis Medicorum, & Viris doctis, transmiseris, & Zizanias tuas disseminaveris, pro viribus deproperando. Proinde veniam dabis, quòd & ego millena Exemplaria divulgaverim justæ meæ Apologiæ, & tempus messis immineat, quo Zizanias tuas agnoscant Viri sapientissimi; frumentum verò nostrum, & ægrorum annonam, in horrea congregent. Quòd si tamen affligat nostrum te responsum justum, qui nigra avis es, pessimiq; augurii; memento, quòd & tua iniquissima censura vexarit columbas, & ut tua fert latina phrasis; quòd turdis similis fueris, qui sibi ipsis malum cacant. Et sanè si rem perpendas, beneficium reddidi, quòd te castigârim, licet cum sensu receperis. Nam, ut Augustinus ait, *Molestus est Medicus phrenitico, & pater indisciplinato filio; ille ligando, hic cadendo; sed ambo diligendo. Si autem illos negligant, atque perire permittant; ista potius mansuetudo falsa crudelitas est.* Hæc ille. Castigatio igitur severior Parentum, Medicorum vulnera, ignes & cauteria, amorem non eliminant. Dilectionis potius munus & charisma arbitrator, quòd cacoëthico vulnere tuo (qui jam in vitiis & convitiis computrueras) medellam ociùs attuli; cùm fuerit in mora periculum. Annon, mi *Tackeni*, charitatis lex, veterisq; amicitia jura, svadere tibi debebant, ut, si quid erroris, & defectuum, in nostris lucubrationibus, tibi, sagacissimi ingenii & genii Viro, occurrisset, mitiori primùm collyrio, & manu, hoc est, inter nos, tractares & animadverteres? Quòd autem nostros labores, toti Europæ hætenus proficuos, famoso libello, & mille sarcasmis, pessumdare & annihilare tentasti: publicæ rapinæ genus est; minimè Viri probi negotium, & conatus. Ne igitur mirare nostram aphoniam, aut discordem melodiam & Musicam, quam hætenus aures tuæ à nobis sustinuere. Tuâ hæc accidere culpâ, qui chordas non movendas tetigisti, sparsis in vulgus hisce tuis petulantibus & quærimoniis. Cautiùs deinceps mercari discito, aut cum amico tractare. Nam industrias irritare apes; aut languido leoni barbam vellere; res plena periculi est, ne dicam, temeritatis. Proprio itaque edo-




Etus periculo, deinceps calamum sepone, convitia & famosas excursions devita, ac Reformatorem tuum deinceps modestius observa. Quòd si autem callum obduxisti, nec insanix tuæ hæc nostra profutura est Panacea, quin ulterius probrosis convitiis indulgeas: neque deinceps Reformatori Mundus & Tackenius succenseant, velim, si ea in vulgus, lucem, & typum, produxero, quæ ultrò mihi concredita sunt, ad quæ orbis stupeat, Tackenius contremiscat, honestatis amantes erubescant; quæ hæctenus palliare charitas svavit, & vetuit pudor. Vale igitur, Tackeni, & graviora his metue, nisi in tempore resipueris.

Nunc & nostris, pro Corollario, tria verba in aurem. Suscipite, celeberrimi Artis nostræ Viri & Proceres, hanc nostram Apologiam, quam justus expressit dolor, Tackenij sollicitavit petulantia. Prolixior fui. Ita amplissima & numerosa Ottonis convitia, & decumana exigebant mendacia. Sed neque sterilis hæc nostra fuit defensio: quin multorum arcanorum ferax, quæ, hæctenus mihi dicata, nunc publico divulgavi emolumento. Acrior fui, ne dicam immitis, in reprimenda Tyrannica Tackenij feritate: sed felix severitas, quæ latentem curat saniem; vitia sanat, non palpat. Nisi enim magnis ausibus hoc insolens hominum genus, artibus inimicum, pro modo arceamus, Lycea filebunt, squallebunt scientiæ, Medicina abrogabitur, & calamum publico emolumento nemo eriget. Confido igitur, quòd æquissimi arbitri futuri sitis, & quo loco habendæ vobis, adversus Reformatorem, divulgatæ Calumniæ deinceps sint, liquidò constitutum. Consilium H. nonensis Præfulis sectemini, qui ait: *Doctrina per malos, palmes in sepe, vestris inter ibimus: ceterè lege, ne, dum quaris fructum, laceres manum; & quem audis bona dicentem, ne imiteris mala facientem.* Valete, favete, DEO & Patriæ longævi.

D I X I.



VINDI-



VINDICIÆ  
ZVVELFERIANÆ  
ADVERSUS QUENDAM,  
FRANCISCUM VERNY  
PHARMACOPOEUM MONSPELIENSEM:

&

*Contra notas ejusdem in Pharmacopœiam Bricij Bauderonij,  
Med. D. Gallicè editas, in 4to, Lugduni,  
Anno 1662.*



Uò non (DEUM immortalem!) ambitiosus furor, elatos fastuq; turgidos mortalium animos in præceps agit, rotat & circumagit, *Amice Lector?* Quam infida humani pectoris Circe superbia est, quæ perpetuo quodam oestro, ac stultitiæ fermento, superciliosos exagitat, ac philtrea propinat, quibus nunc furore percitos, nunc Vaterno soporatos, perpetua sibi somnia fingere amentes cogit ac stimulat! Talem tibi hodie, *Amice Lector*, sive phanaticum, sive periculosa ambitionis cataphorâ sopitum, in scenam dabo, veternosum *Vernij*, apud Monspelienfes Pharmacopœum: cui, quantum ingenii mei imbecillitas, & artis leges, suppetunt, manum Medicam adhibebo, quò à Vaterno suscitari ac resurgere possit. Forsan (quis novit!) miserebitur fidissimi famuli sui Æsculapius, ac è delubro sacras propinabit Panaceas, quibus nec Anticyræ generant salubriores.

Somniavit igitur, aut deliravit, veternosus *Vernij* (quid enim delirium, nisi vigil somnium?) tantos Philosophando, aut Sophisticando, se fecisse progressus, ut, primâ dimissâ statione, subsellia sua inter Doctores firmanda deinceps putârit atque decreverit; multa è rostris ac pulpitis docere, explicare, definire, ac dissertare affectans. Incidit igitur hic vertiginosus Neo-Doctor in librum, quem, *Animadversiones in Pharmacopœiam Augustanam*, inscripsi, uti & *reliqua mea annexa Opuscula*, quæ ante annos circiter sexdecim orbi literato, publico emolumento evulgaveram. Hic liber meus, licet ab Amplissima & Antiquissimâ Universitate, uti & Inclÿta Facultate Medicâ Viennensi probatus & approbatus fuerit; licet multos egregios Viros, ne dicam in Medicina Proceres, per Europam, Patronos ac Meccenates habuerit; adeò, ut inter doctissima sua commenta & lucubrationes eum inserere ac citare non erubuerint; uni tamen huic Doctorum Phœnici, *Vernij*, Gallo, tam destillatum cerebellum ac scientiæ charismata obtigère, ut illi meæ Animadversiones minimè satisfacerent. Proprio igitur motu, Gallico eas idiomate (forsan Latinos veritus scopulos, aut Prisciani labyrinthos) pro confertâ



fertâ ac coagulatâ talenti sui mensurâ, castigare & emendare tentavit. Quod quidem intentum opportunè se exequi arbitratus est, dum notas in D. Bricii Bauderonii Med. Dris. Pharmacopœiam (non sine notâ tanti Viri) ederet, ac sic binos, ut ajunt, unâ fidelia dealbaret (denigraret) parietes.

Primum autem motivum & ansa ad hosce excessus Monspeliensium Confectio Alkermes fuit; quam pro aris & focis mordicus propugnare voluit: cum potius D. Vernij Anacardiam Mesues Confectionem tueri debuisset, nullis utpote tentatus lipothymiis, multum tamen cerebro ac mente laborans.

Quamquam hæc Vernij dementia non, nisi per rumores, eosq; non vanos anteambulones, mihi primùm innotuerit: pedissequâ tamen cupidine, hunc Thraasonem penitus intuendi, Opusculum ejus, Gallico idiomate editum, ubiq; requisivi. Tandem Doctissimorum unius atq; alterius Virorum & Reipublicæ Norimbergensis Physicorum Ordinariorum, beneficio mihi illud obtigit: & è Gallico in Latinum translata ea sunt, quæ à dicto Vernij, ad impetendum ac arietandum *Zwelferum*, destinata erant. Quæ quidem tantò avidiùs excepi atque exosculatus sum, quantò majori flagrabam desiderio, Verniano delirio, aut potius ophthalmiæ (utpote supercilioso homini) apto quodam collyrio suppetias conferendi. Habent enim hoc adulterina ejusmodi scripta, ac ementita commenta, talium Thraasonum, ut sub veritatis schemate, ac larva, sagacioribus etiam ingeniis ac viris quandoq; imponant, ac eorum animos & assensum nanciscantur; nisi virulentum germen in herba præfocetur, ne radices agat profundiores. Quare consultum duxi, ejus (Vernij) figmenta, apocryphas citationes, & reprobum sensum, in quem meas Animadversiones iniquissimè detorsit, juris publici facere, ordineq; analytico resolvere ac confutare, ut deinceps clarissimè elucescat improba hujus Viri indoles, sermo mendax, & plena hyperbole argumenta. Incidit igitur hic Magnus Machaon, Vernij, in Animadversiones meas, syrupo Acetoso Mesues destinatas; quem tam frivole, fallaciter, ac inconcinnâ methodo, recenset, & allegat, ut in ipso dictionis vestibulo statim elucescat, quàm sit absurdè quondam peroraturus, qui à calumniis & mille convitiis exorditur. Sic igitur Parænesim suam auspicatur.

*Vanitas Chymicorum quorundam adedò sublimem arrogantia gradum conscendit, ut, cecutientes, optimorum Medicinæ Galenicæ præceptorum obliviscantur, quæ cum lacte attraxerant; ac non, nisi ad destruendam Galeni Medicinam, operas suas omnibus viribus suis impendant: sed volentes, ut ajunt, abusus Compositionum quarundam corrigere, plerumq;, quid faciant, ignorant. Talis est Zwelferus, in suis Animadversionibus ad Pharmacopœiam Augustanam. quoad Syrupum Acetosum Compositum Mesua, ejusq; novus sectator; qui cum duabus libris aceti destillati volunt attollere sal volatile ex radicibus & seminibus, syrupum hunc constituentibus, per distillationem in Baln. Mariæ usq; ad siccitatem; postea remanentiam coquunt in libris tribus aq. communis, usq; ad duarum tertiarum partium consumptionem; & cum libra una colaturæ volunt clarificare Sacchari fini libras tres, ut totum coquant in formam Sacchari rosati: tandem cum aceto destillato, superiorum ingredientium viribus imprægnato, iterum volunt dissolvere saccharum illud, ut fiat syrupus in M. B. Egregius procedendi modus, quem omnes artifices ut benè & exactè considerent, rogo! Quot enim verba; tot ferè errores reperient: quos facile nunc deregere possem; nisi à proposito meo largius abscederem. Hoc tamen in transitu referre volui; quod superest, in aliud volumen rejiciens: in quo totam hanc rem peculiariter deducere constitui. Hucusque Arcadicum pecus ad Lynam.*

Sed amabo! mi Vernij, quis tibi hanc perorandi methodum dictavit Tullius? Quis Demosthenes te instituit? Memini quidem, quòd ex abrupto in

Catili-

*Catilinariis* suis auspicatus sit Cicero; quòd ab invektivâ Demosthenes: à palmari autem mendacio neminem exordiri solitum reperio, nisi te, *Vernij*, qui, velut araneus, fingis. An non enim palmare mendacium, audax & licentiosa hyperbole, dum ais; quòd præsumpserim Hippocratis decreta, dogmata Galeni, methodum ac jura Medicorum avita, abrogare, protegere, annihilare; dum me novatorem Chymicum ironice denuncias? An correctè olim à Didascalo, aut Grammatæo, legere didicisti? Et vade piger ac socors impostor ad nostras Animadversiones. Edisce, quem in fronte titulum, quem scopum, præfixerim: vide, cujus sit imago, cujus tunica; an filii, & mendacii tui. Num eas tumulum doctrinæ Hippocraticæ; num excidium Galenismi intitulo? vel potius inscribo: *Animadversiones in Pharmac. Augustan. Zwelferi*? Sin autem tuis figmentis conformia essent; non Animadversiones, sed Eversiones Galenismi, Hippocratis, Augustanorum, & Methodi, inscribere conveniens fuisset, dirutis eorum fundamentis. Verùm & quid hæc tibi obijcio, *Vernij*, qui nec Chymicus es, nec Galenista? Nam si te aptâ definitione circumscribere animus foret; dicerem, te esse ens aliquod tertium, ex punctis, inquam, inflatis stultitiæ conflatum, non procul à Platonicis Ideis differens. Quæ definitio quòd vera sit, rei continuandæ series ac contextus demonstrabit. Nam experiemur, quòd tam Philosophicè, argutè & nervosè, discursum tuum, & Zwelferianas castigationes, adinveneris, ut lis sub judice sit, Philosophus ne sis, an Sophista; Chymicus, an Agyrta; Magister, an Tiro; Sophos, an Idiota. Hoc unum extra controversiam est, quòd verax non sis, sed hyperbolicus. Transeat igitur, cum cæteris absurdis, hic error tuus, quem in fronte præfixisti. Mihi favet, è diametro tibi opposita, Inclyta, ac toto Orbe Celeberrima Universitas simul & Facultas Medica Viennensis, quæ luculenta erit Apologia; utpote quæ ultro suam est largita Censuram, minimè censurando. Confutabit te sapientissima Parisiensium Facultas Medica: innumeri Medicorum Proceres per Europam, luculentissimis Epistolis suis, in Operis mei commendationem editis, te palmo labia signare cogent: quod olim insigne & actus eorum fuit, qui palmare mendacium committere. Et verò ne tantum verbis, sed rationibus ac re; te, *Vernij*, convincere videar; ad parabolas, & hyperbolicas calumnias tuas, transitum apparo, pro munere satisfactorius.

Egregias, inquis, procedendi modus: quot verba, tot errores; quos facile nunc detegere possem, nisi à proposito meo largius abscederem. Hoc tantum in transitu referre volui; quod superest, in aliud volumen rejiciens, in quo totam hanc rem peculiariter deducere statui, &c. Hem! quàm sedulus Pythagoreus hic est! quantum tribuit venerando silentio! quàm callidus hic Mythologus est; ac quàm aptè novit illud, *Proverb. 18. Os stulti contritio ejus, & labia ipsius ruina anime ejus*: & alio loco, *Eccl. Melior est, qui celat insipientiam suam*. Amico igitur silentio Zwelferi errores pertransit *Vernij*, ne suam propalet stultitiam; optimè conscius, quòd sapiens & lymphatus uno distent sermone. Timet *Vernij*, ne longè à suo proposito abscedat: interim cæcus erro toto deviat cœlo. Quare, quod superest, in aliud volumen rejicit, in quo totam rem peculiariter deducere statuit. Ignavis enim semper seriæ, & amica procrastinatio. Quàm ridiculum, mi *Vernij*, volumen meditaris, qui Latinam periodum construere nequis, nedum in Chymicis rude dor-tus, etiamnum plagiarius! Noli igitur morari consilia tua; detege innumeros Zwelferi errores: hinc Rhodus; hinc saltus; hinc arena, hinc luctator. Affe-



ramus ergo ex nostris Animadversionibus dicti Syrupi genuinam præparationem, quæ lippo huic fudes in oculo fuit, & talis est:

*Rad. Apii,*  
*Feniculi,*  
*Endivia, ana ʒiij.*  
*Sem. Anisi,*  
*Feniculi,*  
*Apii, ana ʒj.*  
*Endivia ʒss.*

Quibus contusis, & cucurbitæ vitreæ immixtis, affunde

*Aceti Vini acerrimi destill. lb ij.*

Destillentur appposito capitello, & circumlitis juncturis, per M. Baln. ad specierum siccitatem usq;: *Aqua*, five *Acetum destillatum*, & imprægnatum, seorsim asservetur. Speciebus, in fundo cucurbitæ remanentibus, affunde *Aquæ simpl. lbij.* Coquantur lento igne ad tertias: colaturæ, five expressioni, albumine ovorum clarificatæ, adde

*Sacchari albi lb iij.*

Coquantur ad consistentiam *Tabulati*. Tandem adde de superiori *Aceto destillato*, & virtutibus ingredientium subtilioribus imbuto, lb rs. cum unciis tribus circiter: fiatq;: unâ vel alterâ ebullitione, aut solâ dissolutione, justæ consistentiæ Syrupus.

Nunc abs te sciscitor, genuine Galeni & Hippocratis Vindex, *Verny*, qui solus divos Hippocratis latices exhaustisti; quâ temeritate institutum meum reprobas? Quod per omnia naturæ æmulus ac minister, virtutes ac energias rerum fartas, tectas, ac integras, conservari præcipiam, atq; hanc normam in apparatione syrupi Acetosi Mesues strictè observem? An non *radicum Apii*, & potissimum *seminum Feniculi, Anisi, Apii*, crasis & temperamentum in sulphureis, æthereis, ac balsamicis particulis, in quibus virtus potestativa, ac signatura, mediante unione colligatur, effectivè consistit? Hæc autem per violentam diuturnam coctionem, elixationem, ac torturam, solutâ hac spiritali & ætherea compage, in sublime feruntur, superstitite effæcto terreo ac mucoso inquinamento in fundo, nec saporem, nec odorem compositi ac concretorum referente? Ex opposito autem, si *semina* illa beneficio *Aceti* (additis etiam reliquis *radicibus*, utpote *Feniculi, Endivia, & semine Endivia*; à quibus licet parum, ope hujus destillationis, proliciatur, totâ eorum virtute in residuo depositâ, quæ subsequenti decoctione cum aqua elicienda) ad syrupum ordinati, destillâris; an non gemina eorum virtus ac essentia, concomitantibus etiam odore & sapore, communibus accidentibus, unâ cum aceto exstillant & transeunt? Quod in proluxa illa cocturâ, quæ rerum ac simplicium istorum dispendium est, minimè accidit (ubi decem libræ, & ultra, adeoq; non solum tota, decoctioni destinata, aqua; verum insuper aliquot uncia spirituosioris aceti, exhalare debent, ut debitam syrupi consistentiam nanciscaris) per consequens terrestriores & effæctæ solum radicum ac seminum partes subsiderent, nobisq; consimilem syrupum præberent. Quod si, inquam, *seminum ac radicum harum partes sulphureæ, spirituosæ, ac balsamicæ* (non sal volatilis, prout tu, mi *Verny*, monstrosus Chymicus, ad Lynam enutritus, in sulso etymo eas definis) summè desiderabiles (cùm de partibus terrestrioribus non laborent Medici & exercitati Pharmacopœi) in destillatione per alembicum cum aceto transeunt, illudq; insitis ac congenitis suis virtutibus, odore, ac sapore, imbuunt; quod nemo sensatus inficias ibit: si ulterius ipsæ etiam partes terrestriores

striores in residuo à destillatione integræ perdurant (Nam si, juxta vulgarem hujus syrupi præparationem, quâ dicta ingredientia, paulò terrestriora, affusis decem libris Aquæ, ad plenam liquoris, vel aquæ, decidentiam & exhalationem, decoquenda sunt; virtute tamen suâ syrupum imprægnare debent, vel in residuo manere: jure meritò à fortiori arguo; quòd vires horum ingredientium, à destillatione duarum librarum aceti quoque perduraturæ & mansuræ sint) quæq; porrò cum aqua leni coctione extrahendæ, decoctum autem hoc colatum, ac dextrè per se cum albumine ovi clarificatum, cum saccharo candidissimo, ad id destinato, libris scilicet tribus, ad debitam, & Tabulati ferè similem, consistentiam perfacili negotio perducipotest; quod peritis Pharmacopœis obvium est: cui postea acetum, tenuioribus & spirituosius radicibus & feminum partibus, beneficio destillationis fœcundum ac turgidum, debitâ proportionem adjungendum (nam vix plus erit aceti hujus) ut cuncta simul, vel solâ sacchari dissolutione, vel unicâ saltim ebullitione, in vase terreo, ad durabilem & elegantem syrupi consistentiam redigantur. Percepisti hæc, *Vernij*, nisi pro cerebro tibi palea obtigerit. Quid ergò obstat, quò minus hæc methodo & processu syrupus efficax, juxta artis & naturæ leges, partibus sulphureis, odoriferis æquè ac terrestribus imbutus, produci ac dispensari possit? Tuantæ molis erat, arcana hæc intelligere, mi *Vernij*! Ut quid resiliisti, velut lymphatus, aut hydrophobiâ dementatus? Cur in sicco undas; in plano montes & colles fingebas, delirus? Quid, quæso, in hæc tam genuinâ clarâq; Syrupi præparatione mysterii, difficultatis, ac umbrarum reperisti; ut in tantum dubius & anceps hæsitaveris; ac tibi pro stultitia tua, in veritate propatula, Oedipus esse cogar? Numquid pruriebant tibi, ad captandos vanos rumores & gloriolam, ad encomium scriptoris, & Zwelferiani castigatoris, auriculæ, mi *Vernij*? Quas, profectò, tibi gloriose scarificabo & incidam; ne impofterum tibi aures erigantur & cristæ; ne Commendatoris prærogativam affectes, chartas & volumina mendaciis & convitiis maculando. Verùm

Progreditur dictus Scholiastes ad secundum figmentum, eodem paragrapho, in quo (palam textum meum adulterando) docet; me præcipere, ut cum libra una colaturæ clarificentur sacchari libræ tres, totum coquendo in formam sacchari rosati. Sed heus! fodes, *Vernij*! An denuò caligas, & perspicillises egesset, vel interprete? An non genuinus textus meus prostat, iniquitatis ac fraudum tuarum manifestus vindex? An non disertis verbis doceo, ut residuæ species à destillatione, semina scilicet & radices, quorum energia ac partes subtiliores jam dum ope destillationis in acetum commigrarunt, affusis tribus libris aquæ coquantur, pro extractione residuarum partium terrestrium, quæ vi destillationis non eliciuntur, aut elici potuerunt: Decoctum autem colatum, & probè per se, sine saccharo (quæ cautela, velut Canon, bene notandus, utpote qui fallacias, imposturas, & sophismata *Vernij* solus egregiè diluit) clarificatum, ad dissolutionem tandem trium librarum sacchari albi adoptetur (citra ulteriorem clarificationem. Nam vel tacente hoc sophistâ, *Vernij*, probè, non solum ex Pharmaceuticâ, tum etiam Confectoriâ arte, quam etiam Pharmaciæ sociavi; verùm etiam ex Philosophia novi, quòd inter agens & patiens, inter causalitatem & effectum, proportio quædam, ac potentia inchoata præsupponi ac intercedere debeat; & quòd nulla proportio sit, libra unius aquæ, ad libras tres sacchari clarificandas, licet optimè possint unicâ librâ aquæ vel decocti, tres libræ sacchari dissolvi, & ad Tabulati ferè consimilem consistentiam coqui) & simul tandem ad consistentiam ferè Tabulati (non sacchari rosati consistentiam; ut denuò *Vernij* mendacium pro



scholio annectit) coquantur; cui tandem acetum destillatum, virtutibus supradictorum ingredientium ubertim imprægnatum, adjiciendum, ut solâ sacchari dissolutione, sine ulteriori coctura (ne tenues & subtiliores ac spirituosæ partes, aceto impressæ, violentâ ac prolixiori decoctione exhalent ac transmigrent) syrupi debita consistentia emergat? Et hæc mea doctrina tam est perspicua, trita, facilis ac methodica, ut & Tirones, ac qui Chymicas ac Pharmaceuticas institutiones auspicantur, vel à limine cognoscant. Solus Vernij, hirsutum ingenium, ac suffultum cerebrum nactus, hæc non penetravit. Fingere proinde Impostor cogitur, & textus adulterare, ne sterile talentum, & inculta ejus mens, innotescat, ac hisce artibus palliastrum sibi consuât, quo inter Doctores, & ævi nostri magnificos Scriptores, impostor Vernij (inter lusciniæ graculus) gloriosè confidere possit, ea docturus & scripturus, quæ nunquam didicit; nondum Tiro, & jam Professor.

A syrupo Acetoso, ad syrupum de Artemisia transit noster Commentator, Vernij: ubi eleganter contra Zwelferum animadvertit; *qua ratione Decoctum 43. ingredientium, propter viscositatem, cum saccharo non possit coqui in formam Tabulati (non Tabularum) quin illud comburatur.* Item; quòd *cacitas maxima sit, mihi similia imaginari*: arguendo pariter alium etiam virum industrium ac probum, Anonymum, Zwelfero adstipulantem; plura per contextum ibidem subnectens, quæ à talento & eloquentia tanti Philosophi non abludunt. Ad quod in terminis respondeo; me non tantum forti imaginatione, seu idealiter, hæc concepisse; sed à parte rei, praxi & exercitio comprobasse; quòd decoctum aliquod, non solum 43. ingredientium, sed plurimum etiam, beneficio albuminum ovorum, & cremoris tartari, ita clarificari ac purificari possit, præsertim ubi mera ex naturâ suâ mucilaginea, utpote Tragacanth. semen Cydoniorum, Psyllii. Rad. Symphyti, Altheæ, & plura consimilia, uti in syrupo, Dialtheæ Fernelii non intersunt; ut levi artificio cum saccharo ad consistentiam Tabulati, sine ulla adustione sacchari; imò, si ferat necessitas, ad consistentiam fere Penidii, concoqui queat: cui postliminio spirituosâ humiditas, ac liquor destillatione elicitus, uniri, hincque syrupus, omnium ingredientium virtutibus; sive spirituosas, tenues ac sulphureas; sive crassiores & terrestriores, spectes, facili negotio & industriâ confici potest. Supervacaneum proinde fore auguror (Nam neque ego præcipio) ut exinde Tabulæ conficiantur: eò, quòd similis labor & ipse suas pateretur difficultates, non cuivis exantlandas: licet id absolutè, & de possibili, non repugnet, mihi quæ considerem, haud magno intervallo & labore, ita Magistrum Vernij, exhibito prius hellebori arcano, disponere, ut deposita vertigine, Artis nostræ fastigia conscenderet, mecumque arduum hunc laborem subiret; quamvis non ex quolibet ligno Mercurius, aut vulture lascinia, fingi & institui possit. Sed missis his, nonnihil secretioribus nostro Vernij: dic mihi, obsecro, Vernij, & explana modum, artem, dexteritatem & methodum, seu quâ machinâ & reti tu spirituosas, subtiles, seu tenues partes, illico in coctione, vel destillatione, ad superna properantes, in violentissima adeò & prolixa ac patente cocturâ detenturus ac conclusurus sis: cum sint plurima in hoc syrupo ingredientia, quorum tota substantia, Esse, & efficacia Medica, in tenuissimis ac spirituosiss partibus delitescit (in subtili partium tenuitate, uti D.D. Aug. loquuntur) quibus rarefactis & attenuatis, aër sibi medicamento substantiam vendicat (scilicet diu in aprico coctis) in residuo autem ex succa ac terrestri portio, effectum crassamentum, superest, pro spiritu & essentia Medica, vappam & morticinia referens. E censu horum sunt, Pulegium, Calamintha, Origanum, Melissophyllum, Sabina, Majorana, Matricaria, Ruta, Betonica, Rad. Apii, Enulæ, Cyperi, Iridis

Pæoniæ

Pœoniæ, Bacc. Juniperi, sem. Anisi, Apii, Rad. Valerianæ, Costus, Carpobalsam. Cardamom. Calam. aromat. &c. Hæc omnia & singula partes balsamicas fragrantēs, & facili negotio dissipabiles, obtinent, cocturam ne-  
tquam sine dispendio suarum partium tenuium tolerantes: cum è contra in  
destillatione, statim inter prima initia, particulæ illæ tenues rarefactæ in  
sublime ferantur, & in subiectum excipulum sese demittant, ibidem super-  
stitēs: quod ex opposito in coctura non accidit; in quâ illarum rerum subti-  
liores partes, & virtutes potiores Medicinales ac penetrantes, aëra statim pe-  
tunt & depereunt inutiliter. Mihi, profectò, nec ars, nec natura, modum  
& dexteritatem suppetit, quâ in diurnâ & apertâ hujus syrupi, & prædicta-  
rum rerum, decoctione longâ & violentâ, essentia earum ingredientium &  
vigor, potior medicinalis particula, servari ac retineri possit; cum de libris  
decem Aquæ, ad harum specierum decoctionem destinatis pro syrupo, ut ni-  
mirum libræ septem inter coquendum exhalare debeant, priusquam debita  
syrupi consistentia emergat. Fateor, mi Vernij: rem magnam tua Mecha-  
nica fecerit, si tale nobis arcanum & instrumentum adinvenerit, quò partes  
tenuissimæ, prolixè, ac violenter inter coquendum attenuatæ, figi ac conser-  
vari possint, ne inter coquendum exhalent, vel aëra petant; sed in residuo  
decocto, quasi ligatæ conserventur; in destillationibus verò hæ ipsæ species,  
iterum ad tuum nutum, contrario planè modo, præprimis & citò transeant  
in excipulum, ac pro voto tibi ita obsecundent. Sed metuo, ne in ipso ope-  
ris procinctu difficiles, cum Archimede, hypotheses ac postulata à nobis exi-  
gas, ac etiam basin & pedem extra mundi orbitam figere expetas: quanquam  
magnifica nimis & ampla de te augurer; quia ne dum lingvæ Latinæ gnarus  
es, Vernij. Quare, ne ingenti gloriolæ pruritu denuo tangaris; filum ab-  
rumpo, & ad Vindicias tuas Confectionis Alkermes Monspeliensium propero.

Vindicaturus Zwelferi Animadversiones in Confectionem dictam Al-  
kermes, Verny, pro scuto utitur audaciâ, pro galea brevitate: à contumeliis,  
fabulis, convitiis, suum orditur Apologema. Scopus verò, quem, in refu-  
tanda mea glossa, sibi hic Monspeliensium Causidicus præfixit, alius non erat,  
quàm ut universam Europam sibi detineret tributariam; fideque perpetuâ  
stabiliret, neminem, præter Verny, parare, ac nullibi, nisi Monspeli, dispen-  
sari posse, genuinam, completissimam, ac speciosissimam Confectionem Al-  
kermes. Sed ô Verny! quid non mortalia pectora cogit Aurisacra fames?  
Quàm malefana consilia avara cupiditas tibi suggessit: & quàm irriti sunt co-  
natûs ac tentamina Vernij. Frustra jacitur rete ante oculos pennatorum:  
incassum oras & peroras pro domo tua, & Confectione Alkermes Monspe-  
liensium. Nunc ubique Thebæ, ubique Athenæ, ubique Monspelum, quò  
meæ Animadversiones pertigère. Nemo, profectò, D. D. Pharmacopœo-  
rum, plurimum nostris rationibus & cautelis instructus, peregrina  
deinceps remedia adorat; cum clarissimè perspiciant, sibi domi suæ melio-  
ra proflare: plerique nunc nostro ductu, & consensu magnorum Medico-  
rum, suam Confectionem Alkermes Animadversionibus Zwelferi confor-  
mant; eas nostro ductu dispensant; aut, quod melius est, Regias Confectiones  
Cordiales nostras apparant: quæ sanè Confectioni Alkermes minimè ce-  
dunt; si eas non antevertunt.

Novenario igitur argumentorum numero, velut totidem Classibus,  
contra Zwelferum præliatur Verny.. Ad primum sic procedit: quòd suares  
ageretur, qui pennum (scilicet hastam calumniarum) in manu tenet, si Zwel-  
feri invectivas præteriret, & non ostenderet, quòd malè, & sine fundamento, aut  
ratione, Confectionem Monspeliensium impugnaverit, quòd dicere illum cogat, me  
deo aut ignorantem esse, aut malitiosum (quæ iniqua verba digna sunt, ut in igno-  
rantem



rantem & malitiosum *Verny* retorqueantur) Ejus verba, ex Gallico in Latinum translata, ita sonant: *Primus error se ipsum justificat, & à quovis in ipsa libri apertione cognoscetur, dum scripsit, nostram Confectionem nimium cum saccharo fuisse auctam. Exinde apparet, quòd suam Pharmacopœiam corrigere volens, rem hanc obiter tractavit, & quòd parum in Authoribus Mesuæ particulariter legit. Aliàs enim sine dubio cognovisset, quòd Confectio Alkermes, à Mesuæ descripta, & ea, quam nos quotidie in Officinis nostris componimus, una eademq; res est; & similes sunt in dosibus, exceptâ parvâ differentiâ, quam suo loco inferam: & quòd illa, quam Zwelferus, in Pharmacopœia sua, sub nomine Mesuæ descripsit, re vera Mesues sit; sed quòd non nisi medietatem dosis illius contineat: sicut quilibet cognoscere potest: & quòd, si nasum in Mesues Antidotarium immisisset, integram operis descriptionem extraxisset; cujus ipse culpam gerit, dum descriptionem suam retulit ex Antidotario Augustano, quòd mediam tantum partem Compositionis Mesuæ scripsit. Hæc ille.*

Argumentum hoc, seu argutias, *Verny* si perspicaciori oculo contempler; fanè de lana caprina sunt, ac asini umbra. Quid enim aliud probat, nisi quòd in Animadversionibus meis docuerim; quantitatem sacchari, in Confectione Alkermes definitam, habito respectu ad reliquas species, nimiam esse, artiq; simul ac rationi contrariari, prout etiam hoc instanti firmissimè etiamnum assero? Has tamen ultimas particulas meas callidus veterinarian magistraliter subticuit. More interim suo licentiosè in me invehitur, quòd dimidiam solum partem doseos Confectionis Alkermes, prout in Dispensatorio D.D. Augustanorum reperitur, allegaverim; &, ut ait, *quòd re vera quidem Mesues descriptio sit, sed, si nasum in Mesues Antidotarium immissem; integram ejus descriptionem extrahere potuissem: cum illa Mesues & D. Monspelien-sium una eademq; Confectio ac res sit.* Sed, mi *Verny*, an nescis illud Philosophorum; quòd partes collectivè sumptæ à toto non distinguantur? Si igitur utraque Confectionis medietas saccharo perperam abundat ac luxuriat; ergo & totum: si totum; ergo & medietas. Quicquid ergo de medietatibus inferitur, de toto in hoc sensu verificatur; & è contra. An non hoc est, mi *Verny*:

Ludere par impar, equitare in arundine longa:

dum tu nigrum probas & affirmas; cum de albo & opposito procedat quaestio? Profectò, argumentum tuum, si etiam totum in forma concesserim; aliud contra me non concludit, præterquam quòd chartam & prælum commaculet. Edidinè ego Animadversiones in Mesuen, an potius Dispensat. Augustanorum? Quid mihi cum Mesue commercii? Ut quid necesse habeo, totam farraginem & Compositionem Mesues referre; cum dimidium indicationibus meis adæquatè satisfaciat? Annon & ipsi innocui D. D. Augustani (à quibus ego hanc Confectionem mutuatus sum, aut descripsi) quòd medietatem Confectionis Alkermes solum è Mesuæ transcripserint, suo proposito satisfaciensem? Tam versatus, expertus, ac nasutus in Pharmacœticis, *Verny*, ac nescis; hanc esse vulgarem methodum ac usum Pharmacopœorum, ut Compositionem aliquam, vel in simplo, vel in duplo, vel quadruplo (sunt Artis termini) vel in duodecuplo, aut sedecuplo, vel dimidiam, tertiam aut quartam ejus tantum partem dispensent? Quid igitur, cum utraque revera, ut ipse ais, sit genuina Mesues descriptio, multum difficultatis affers, Blatero? Cur inania verba crepas, Stentor? Si Philosophus esses, & non Sophista, directè illud probare nitereris, quòd è diametro tibi negavi: scilicet; iniquum, amethodicum, ac proprium impostorum esse, adauctâ sacchari quantitate, in tantum Confectiones adulterare, ut species reliquas, in quibus tota virtus latet medicamenti, aut Confectionis, notabiliter

liter excedat, totius Compositi virtutem ac effectum remoretur, Medicoque simul ac Aegro imponat. Hoc, inquam, Agyrta, *Vernij*, hoc impugnavi; iterumque assero, magnam iniquitatem esse, ejusmodi fraudes exercere; si-ve tu, si-ve Constantinopolitani, si-ve Monspelienses, si-ve Christiani, si-ve Hebræorum vulgus, id delinquat. Demonstra, si potes, falsum hoc argumentum meum ex Animadversionibus petatum esse, quod contra te, & Confectionem tuam, egregie militat. Unde laudo & extollo Magni Galeni, & sequacium, uti & venerandæ Antiquitatis, institutum, probos conatus ac canones, juxta quos, in Confectionibus Theriacalibus, Alexipharmacis & Cordialibus (quos etiam D.D. Augustani æmulati sunt) triplum tantum mellis aut sacchari, si-ve syrupi Simplicis, vel Compositi, respectu aliarum specierum & ingredientium, pro legitima Electuarii cujusdam confectione ac præparatione, destinârunt, ac rarò plus; vel, ut cum obscurissimo Doctore *Vernij* loquar clariùs, pro uncia unâ specierum quarundam, uncias tres mellis, vel syrupi cujusdam; ut exinde Electuarium virtutes ac vires specierum & ingredientium ex asse possidens emergat. Neque verò hic pseudo-Commentator pluribus hæc tractasset, si probè novisset, ejusmodi Confectiones non propter saccharum, ut, instar Bellariorum, quadras adornent, dispensari; sed ut medicamina sint, & alexiteria: saccharum autem, mel, ac ejusmodi dulciaria, admisceri, ut nauseosis ægris illicio sint, quò faciliùs medicamina absorbeant. Sunt tantum basis, ac corpora, quibuscum tot diversæ species in unum corpus qualitativum coalescunt, consistentiam nanciscuntur hanc vel illam, ac perdurant. De his fusiùs & graphicè egi in prægressis meis Animadversionibus, ac, recentissimè (si memoria bene mihi constat) in Classe Specierum Aromaticarum: quò etiamnum & tu, *Vernij*, nasum immittere non gravaberis. Nunc, ut ad priora revertar; si Confectionem Alkermes, si-ve Monspeliens. si-ve D.D. Augustan. si-ve Mesues, inspiciamus; ubique mea verificatur sententia ac discursus, ob sacchari adjectam quantitatem. Cum autem D. *Vernij*, me ad Antidotarium Mesues ablegaverit; ut exinde Confection. Alkermes ediscerem: fideli calamo Veterem Mesues descriptionem asseram; neque, ad imitationem fraudulentæ *Vernij*, textus mutilabo ac adulterabo: prout in Zwelferi paragraphis recitandis nequiter instituit. Sunt autem diversæ translationes ex Arabico in Latinum; quas, ut compendio sim Lectori, subjungam: unam scilicet antiquam, & Jacobi Sylvij, cum ejus Notis, quæ talis est:

Textus Mesues Antiquæ translationis:

**C**onfectio Alchermes & sunt grana tinctorum, maximi juramenti ad pulsum Cordis & Syncopim, & alguesgues, & tristitiam sine causa, & est ex rebus confortantibus animam conformatione mirabili. Cujus permixtio hæc est. Accipe setam tinctam ex Chermes circiter lib. 1. proprie cujus tinctura non præterit spatium extensum: & submerge eam in succo pomorum dulcium, & aquæ rosæ. an. lib. 1. & B. & dimitte die una. Deinde fac modicum bullire donec aqua rubeat. Deinde extrahe ab ea setam, & exprime eam, & pone in ipsa Zucchari tabarzeth. drach. cl. & coque usque dum habeat spissitudinem mellis, & remove ab igne, & proprie in eo calido ambra cruda minutim incisa. drach. iiij. & dimitte in eo liquefieri. Deinde projice super ipsum pulverem harum rerum, Accipe ligni aloes crudi, & darseni, an. drach. vj. lapidis Lazuli loti & preparati drach. ij. albarum margaritarum drach. ij. auri boni drach. j. musci boni. drach. j. tertiam. Confice, & sit dosis ab aur. j. ad ij. & B. & est bonum & expertum.

Addi-



**H**anc Confectionem iterum scripsit Mes. in suis simplicibus cap. de Lapide stellato, quam appellat illic Confectionem de lapide Lazuli & hic Confectionem alchermes. In aliquibus tamen differentes: quia in presenti ponuntur tantum. z.ij. lapidis lazuli. In altera vero. 3. xij. quod factum fuisse credo errore scriptoris potius, quam alia ratione: nam ambabus iidem effectus sive utilitates attribuuntur: nisi quis vellet dicere, quod illa, quæ in simplicibus describitur Confectio Lazuli denominatur: quia in ea magna quantitas de lapide lazuli ingreditur: & in ista non: idem Confectio Alchermes dicitur: tamen credo potius errore scriptoris factum esse, quam alia ratione. Quoad alia etiam differunt ista dua descrip. quia inscripta in simplicibus ponuntur. 3. vj. ambræ. hic vero. 3. iij. & ligni aloes: & darseni, ana. 3. iij. In presenti vero scribitur, ana 3. vj. quod factum credas potius errore, quam alia ratione. Presenti Confectione utuntur interdum nonnulli magistraliter.

### Manardus de Confectione Alchermes.

**I**n hac quoq. nunquam jactare pecunias: nam, neq. in serico vocato, neq. in Cocco, vel baphico, vel charmes nuncupato, agnosco vim nisi constringentem: colorisq. rubri ratione ledere potius videtur Cor, quam juvare, spiritus & sanguinem trahendo, propter similitudinem. Cyanei verò ratione, vomitum & secessum citabit, quæ præ exigua ejus quantitate perficere non valens, ledet magis quam juvabit. ALGUES-GUES) Desipientiam vocant Arabes. SETAM.) Bombyx latine dicitur. Darseni.) Cinamomi genus intellexit.

Textus Mesues Jacobi Sylviij translationis: Electuarius ex granis tinctoriis ad cordis palpitationem, syncopen, mentis alienationem, seu desipientiam, mærorem, sine causa manifesta, facultates enim nostrum corpus dispensantes mirifice roborat. Accipit serici succo granorum tinctoriorum recenter tincti libram unam: succi pomorum dulcium, & aqua rosarum, ana libram unam, & dimidiam, viginti quatuor horis macerandam deinde paulisper his incoquendam, donec liquores istrubeant. Quos expresso, & abjecto serico coque cum sacchari optimi libra una & dimidia ad mellis crassitudinem: ab igne depositis, sed adhuc calentibus misce ambræ crude minutim concisæ drachmas quatuor, qualiquata, injice pulverem sequentem, ligni aloes crudi cinnamomi crassi, ana drachmas sex, lapidis cyanei loti & preparati, margaritarum albarum, ana drachm. ij. auri boni foliorum drachmam unam, moschi laudatissimi scriptulum unum. Datur ab aureo uno ad aur. ij. & dimidium.

Annotatio ad hanc Mesues Confectionem Alchermes hujus quoq. Jacobi Sylviij talis legitur: In simplicibus eadem hac compositio in lapide Cyaneo à Mesue describitur, ponderibus errore librariorum non parum depravatis. Efficacissima multorum etiam Regum ac Reginarum in Gallia testimonio est probata, maxime in quibus, vel longo morbo fessis, & jam moribundis, vel ab eo revalescentibus, natura languet: etiamsi quibusdam maxime improbari audiam, dicentibus Coccum baphicam solum adstringere & suo colore rubro sanguinem, & spiritum similitudinis ratione magis ad se distrahere, & dissipare, quam cogendo firmare: præterea lapidem Cyaneum vomitu, & dejectione purgatorium, naturam turbare tantum, & humores melancholicos exagitare, ob quantitatem tam exiguam non vacuare. Quæ obiectio momenti non est majoris: quam de rhabarbaro in electuario precedenti; utrunq. enim largiore copia sumptum est purgatorium, parciore verò, alia sua substantia roborat, purgatrice imbecilla ne movet quidem corpus, vel tantillum. Rationalibus objicerent, hæc purgatoria, cum inferiora sunt ob paucitatem, verti in humorem eum quem attrahere nata sunt. Sed id verum est, ubi sola sumuntur, non castigata aliorum hanc naturam prohibentium mistione, διὰ τὴν βαφικὴν, id est, ex granis tinctoriis dici potest. Sericum autem rufum & crudum tingitur succo ex granis tinctoriis recentissi-

*mis extracto: id triduo siccatum maceratur uno die aqua rosarum solius lib. tribus, vel aqua rosarum & succi pomorum dulcium, ana lib. una & dimidia, calfactumq; modicè in vase duplici lavatur, exprimitur, expressus liquor cum sacchari lib. una & dimidia percoquitur ad mellis crassitiem, aufertur igni, & calido adduntur, quæ Mesues docet. Siccum idem Medicamentum usurpari hodie video.*

Nunc, famose Institor, *Vernij*, qui solus gubernacula Medicinæ tenes, & ad clavum sedes, tecum mihi ulterius sermo texendus. Dic, obsecro; quis mihi libertatem adimet, ac Zwelfero metam ac modum ponet, ut solus Mesues ipsi regula ac gnomon sit in Pharmaceuticis? An hos terminos præterire non aulam, meliora prospiciens? Veneror Mesuen, ejusq; manibus posthumas transcribo laudes ac elogium, quod pro virili spartam suam, ac Medicum curriculum, egregiè percurrerit ac tuitus sit. Novercante interim natura, citius mortis chirographum & ipse persolvit, ac, præmaturius hinc excedens, Pharmaciam nobis velut orphanam sub tutela dereliquit, ulterius instituendam ac educandam: seu, ut similitudine utar; velut embryonem parturiens dereliquit, posterorum, ac nostris, conatibus ad perfectam symmetriam efformandum. Nulli igitur Magistro aut sectæ mancipatus, rectam semper rationem, duce experienciâ, sequor. His acquiesco, ac convincor. Interim Tu, *Vernij*, da DEO, da veritati, gloriam. Edissere: an non verissima ea sunt, quæ hætenus attuli? An dissona experienciæ? An non & ipsa Mesues Compositio suas patitur difficultates? An non potiori jure hic discursus meus verificabitur de Monspeliensium Confectione Alkermes? Utpote quæ in gradu excessivo saccharum adijcit, ut reliquas species magna in proportionè exsuperet; non obstante, quod species sint principale, ac ratio ut quod: saccharum verò accessorium ad id (quod vires compositi multum refringit) & quod propter species Confectio, non propter saccharum, dispensetur. Verùm tam rustica est tibi indoles, mi *Vernij*, ac depravati sensus, ut, nisi negotium tibi digito, aut pugno, signemus ac explanemus, aut omnia benè prius ruminata ori ingeramus, mysterium non percipias. Majusculo igitur charactere, ac stylo humili, totius Confectionis analysin ac divisionem tibi, majoris claritatis causa, appingam. Igitur

Sunt specierum, Confectionem hanc ingredientium, omnium scilicet pulverum, ac, propter quas Confectio dicta est quod est, seu qui Confectioni Alkermes Esse, operari, ac influere tribuunt (dempto serico, succo granorum tinctorum recenter tincto, excepto succo pomorum redolentium, & aquâ rosarum) uncia duæ cum dimidia, drachma una, & scrupulus unus: sacchari verò libra una cum dimidia, secundum Mesuen; secundum D.D. Monspeliens. verò libræ duæ: cum tamen, si Majorum nostrorum normæ ac ideæ nos conformare velimus, sex tantum uncia sacchari abunde sufficerent, adjecto succo Pomorum, sive alio, pro syrupi consistentiâ conciliandâ, ad hanc Electuarii formam pernecessariâ. Igitur duodecim uncia Sacchari, saltem secundum Mesuen (quæ, unâ cum liquore requisito, sive succo Pomorum, sive alio, quo cum in syrupum consistentem redigendâ, octodecim unciarum pondus, & amplius, exsuperabunt) magno, profecto, excessu, ac perperam, sunt adjectæ huic Confectioni; quæ aliud dictæ Confectioni non tribuunt, quàm ut prosperum effectum, vires ac operationes, incidant ac remorentur. Verùm, cum sis callidus Sophista, *Vernij*, obijcies fortasse; succum Pomorum, aquam illam Rosarum, quibus sericum, succo granorum tinctorum recenter tinctum, infusum fuerit, specierum, pulverum, ac ingredientis cujusdam, vices agere, ac in eorum censum venire. Verùm hoc manifestè falsum est, ac ex quamplurimis Confectionibus,



nibus, Electuariis, & Antidotis, Veterum Medicorum contrarium liquet; qui strictè hanc methodum sectati sunt: ut scilicet speciebus, pulveribus, solidisq; ingredientibus, ad Electuarium constituendum, triplum tantum, quoad pondus, Syrupi compositi efficacis, aut simplicis, ex succo herbarum, aut decocto aliquo forti, parati, pro basi ac fundamento adjecerint. Igitur consequentiam nunc infero, mi *Vernij*, quod Tu, non Ego, uti scriptasti, malitiosus, vel Idiota sis: quoniam rationabiliter, dogmaticè, ac practicè Majorum authoritati insistentes, in meis Animadversionibus processisti. Denuò igitur auriculas tuas apprehendo, & ad Dispensatorium meum conduco, ut ibidem legas & relegas, quæ, & qualia, scripserim & annotârim: cur in hac Confectione Alkermes, uti & in aliis, luxuriantem sacchari quantitatem reprobârim, & actu reprobem. Ipse nasum in Antidotaria Antiquorum intrude, & in Dispensatorium Augustanorum, quibus plurima similia Electuaria, Confectiones, & Antidota inserta sunt. Ibi perspicies, me non injustè, sed summis rationibus & authoritatibus, excessivam hanc sacchari copiam castigasse: specialiter autem, à fortiori, & antonomasticè, in tua, & D. D. Monspeliensium Confectione: utpote contra quam è diametro meæ rationes & argumenta militant ac concludunt. Et verò, quid facilius à me exigi ac desiderari potest, quàm ut demonstrarem, ac convincam, Confectionem Alkermes Mesues majori proportionem sacchari quantitatem continere; D. Monspeliensium verò in quantitate, vel pondere, sacchari adhuc magis excedere? Ego interim non multis tecum, *Vernij*, dimicabo, an mea Confectio Alkermes, quam in Dispensatorio allegavi, sit Mesues; nec ne. Nam mihi abundè satisfacit fidissimorum virorum Authoritas, qui eam genuinam autumant, contra figmenta & deliria Adversarii undique proposita: sicut & ipse *Vernij*, in subsequentibus, hanc sacchari quantitatem & additionem, unciarum sex nimirum, pro Confectione Alkermes D. Monspeliensium, ultrò fatetur; imò esse Confectionem Mesues: fors conscientia reatu adductus. Hoc tamen ut demonstrarem, ac manifesti figmenti & hyperboles *Vernij* convincam; necesse est, ut utramq; Confectionem, D. D. Monspeliensium scilicet, & Mesues, subducto calculo resolvam: unde liquidò apparebit, Confectionem D. Monspeliensium (perfectè omnibus adunitis & mixtis) pendere libras tres, & unc. octo circiter. Quibus autem libris tribus, & uncis octo, insunt Specierum, vel Pulverum, tantum uncia duæ semis: competenter autem, ad leges artis, & methodum Antiquorum, competere huic quantitati, uncia undecim circiter Specierum, seu Pulverum. Nunc, è contrario, legitima Mesues Compositio, prout in Antidotario extat, continet summam libras duas, uncias decem: cui autem insunt Specierum, seu Pulverum, uncia duæ, drachmæ quinq; scrupulus unus. Ergo illa superior, D. Monspeliensium, superat Compositionem hanc Mesues, habito respectu ad quantitatem sacchari, unc. sex. Quod autem jam dictæ sex uncia sacchari, superabundanter adjunctæ, multum infringant & diminuunt & enervent virtutes, effectum, & operationes singularum dosum, quoad efficaciam Ingredientium, palam ostenditur, ex rigorosa calculatione dosium ipsius Confectionis. Statuamus ergo drachmam unam hujus Confectionis, pro una dosi. Continebit itaque illa una drachma Confectionis D. Monspeliensium, nimirum

de Ambra  $\frac{1}{2}$  unius grani. i. e. tertiam partem grani unius:

de Ligno Aloes, &

Cinamomo, ana gran. i. i. est granum unum,

& exiguas atomos:

de La-

de Lapide Lazuli, &

Margaritis, ana  $\frac{1}{2}$  unius grani, i. e. tertiam

partem grani unius, & exiguas adhuc atomos:

de Auro, &

Moscho, ana  $\frac{1}{4}$  unius grani, i. e. quartam partem unius grani.

Jam verò, calculando drachmam unam Confectionis, secundum D. D. Augustanorum descriptam Compositionem, quæ etiam Mesues est, saltem in pondere Lapidis Cyanei, & Margarit. paulisper aucta. Proinde illam præ Mesues amplector; quia magis proportionata est; cum de quolibet prædictorum, scilicet Lapid. Cyanei & Margaritarum, drachma una adjecta sit: illius, inquam, Confectionis drachma una continet

de Ambra gr. i. i. e. granum unum:

de Ligno Aloes, &

Cinamomo, ana granum unum & dimidium:

de Lapid. Cyaneo &

Margarit. ana granum unum:

Auri quartam partem unius grani:

Moschi quadragesimam partem grani circiter.

Ex his vides, Magister *Vernij*, quanta sit differentia, & quod meum assertum sit verissimum; quemadmodum ad oculum patet: nimirum D. D. Augustanorum descriptam à Mesue Compositionem seu Confectionem, Confectioni D. D. Monspelienfium, quoad ingredientium magis competentem quantitatem, esse anteponendam & præferendam. Licet enim Moschi pondus in hac Augustanorum Compositione diminutum sit; parum hoc refert: is enim odoris saltem gratiâ additur. Et sic assertum meum, cujus causâ malitiosus Magister *Vernij* ignorantia & malitia me arguit, ipso sensu, ac ad oculum, comprobavi.

Succedit nunc alter error, cujus me insinuat arrogantissimus *Vernij*, ut ad literam de hoc Gymnosophista verificetur illud: admissio uno absurdo, plura sequuntur. Sic igitur obstreper. *Secundus, quem commisit, error non minoris momenti est, ac primus; dum posuit Lapidis Lazuli loti & præparati, & Margaritarum albarum, ana ʒij. si propositum suum convenienter exequi dignatus esset, iterum non neglexisset Mesuen inspicere, qui in omnibus exemplaribus suis ipsum docuisset, quod ad conficiendam medietatem Confectionis Alkermes, à Mesue descriptæ, legi debeant Lapidis Cyanei loti & præparati, & Margaritarum præpar. ana ʒj, non ʒij. Ecce, quomodo se in duobus erroribus suis illaqueavit, dum sequi voluit Pharmacopœiam Medicorum Augustanorum, in annis 1597. 1613. & 1646, qui errore aut proprio aut (quod magis verisimile) Typographorum, duas drachmas pro una posuerunt. Ipse itaq., qui se correctorem Pharmacopœiæ Augustanæ vocat, in hac re melius attendere, nec Augustanos erroris arguere debebat.* Hucusq; infania dominata est ac peroravit *Vernij*. Verum ut caliganti denuò faciem obtrudam, & pupillam dilatem; seu, ut me, & D. D. Augustanos, ab hoc tam grandi piaculo & errore (compellante nos tanto Authore) absolvam ac liberem; observandum venit; quod illa drachma Margaritar. & Lap. Cyanei, prudenter, & actu quodam reflexo, maturoq; judicio, à D. D. Augustanis sit adjecta, minimè vitio aut errore Typographi. Imò, me judice, ac authore, laudabiliter egissent D. Augustani, si non solum binas has doses multiplicassent; verum etiam singula ingredientia & species, habita proportionem, drachmis aliquot auxissent. Cujus ratio ex superiori dosium calculo elucet ac manifesta est; quod nimirum, quod magis proportionatè species saccharo adijciuntur, tantò efficacius, & in operando salubrius, medicamentum emergit, quo Viri Illustres, Principes, ac Monarchæ, (à quibus momenta sæpe



Regnorum, urbes & orbis dependent) tutò ac efficaciter à nobis vindicari possent, & in vitam præservari. Sed hæc non curat minima Prætor: hæc non perpendit illiberalis nominis Euclio, *Vernij*: apud quem non vita & fama, sed crumena & vita, pari passu ambulant: qui plus de lucro & temporalibus mediis, quàm remediis ægrorū, sollicitus: qui non tam Mesues, quàm Mamonzæ, sequutus hæctenus Antidotarium. Quid igitur mirandum, hunc *Vernij*, undiq; vertiginosum & inconstantē, suo titubare ratiocinio; quem avarities undique circumagit ac inquietat? Unde neque succenseo, aut indignor, multisque retorqueo, quòd in uno hoc paragrapho binis me prosequitur mendaciis. Pueris ac deliris facilis undique & prona est indulgentia. Prostant igitur scripta mea, luculenta mihi Apologia, quæ pro Zwelfero perorabunt, ac testatum facient; nunquam me ingredientia Compositionum quorumcunque Authorum castigasse; sed modum tantum, ac circumstantias operandi in melius direxisse: nunquam me D. Augustanos circa dosim specierum dictæ Compositionis, vel Confectionis, arguisse; quinimò approbasse. Uti tibi incurio & amuso patebit, accito & exorato lingvæ Latinæ interprete, cujus subsidio ac misericordia nostras intelligas Animadversiones. Infero igitur primam consequentiam, scilicet D. Augustanos, ac me, laudabiliter, methodicè, ac prudenter sensisse, dum binas illas drachmas dictarum specierum, parcâ nimis ac illiberali manu à Mesue huic Confectioni assignatarum, superaddendas svasimus. Quanquam, ut quid multis dissero? Site, mi *Vernij*, liberiùs palpare ac stringere vellem, facilè ad saniem, ne dicam insaniam, inveteratam tibi plagam, jam cicatrice obductam, refricarem. Nam ut, quod te premit, promam: non te Augustanorum, aut Mesues, innocentia ac æquitas caufidicum, actorem, & tutorem effecit: minimè gentium: sed abditum, sinuosum, & profundè latens superbiæ vulnus ad hæc te stimulavit: huic cataplasma apponere tentasti. Non famâ horum Virorum, sed superbiâ, & superciliosus cùm effes, tibi collyrium adornasti. Volo dicere: aliena fama, parta à Zwelfero victoria, signa ac literata trophæa, te æmulum ac inquietum reddidère. Quare & tu (alienâ infamiâ, probris & convitiis, velut totidem gradibus) subsellia anhelabas; Scholiastis ac Commentatoris nomen arrogabastibi; digito per Europam monstrarier cupiens: unde talia puerilia eructasti. Sed frustra terque quaterque, ut Cerberus, latras. Nam & canes lunam allatrant, quam non obscurant. Interim palmam tibi & sequacibus eripui, nihil ad hoc livore proficiente: crepent vobisilia; mihi toto splene risus exoritur. Furite ac stridete, forsan brevî nova furoris incendia typographus suppeditabit.

*Tertius error* (pergit noster Antagonista) *in hoc consistit, & à primo dependet, dum ait: quòd Confectio nostra multum augmentata fuerit; saccharum &c.* His, cùm sint repetitio primi, cui ex asse jam satisfeci, saltem ut tempus ac verba vindicem, pluribus non insistam: quoniam & ipse *Vernij* palam hanc sacchari additionem confitetur, ac D. Joannem Talco, Guilielm. Rondeletium, Dortmannum, & Joubertum, quatuor celebres Regios Professores Monspelienses, Reformatores hujus Confectionis Alkermes denuntiat, saccharique dosim & quantitatem adauxisse perhibet. Verùm his Authoribus nihil ego derogatum volo; sit fides penes infidum authorem. Quoniam mea non interest, neque ad laborem, quodnam fuerit primum mobile hujus additamenti, & quis primò persvaserit. Hoc solum vi argumenti & discursus urgeo & infero; quòd illa D. Monspeliensium Confectio exsuperet illam Mesues in pondere ac proportionem nimis adaucta sacchari; & evinco contra petulantiam *Vernij*, quòd illius assertum sit manifesta hyperbole, ac mea propositio verificetur. An autem jam dicta sacchari auxesis arti repugnet, nec

ne; ex superioribus decidi poterit, adhibita rigorosa dosum calculatione; quæ vel à Tirone institui & cerni potest; taceo, à viro artem professo. Magis proinde extollenda est D. Augustanorum industria, qui drachmas duas Lapidis Cyanei & Margaritarum huic Confectioni adjecere, quàm prodiga D. Monspelienfium Sacchari additio: cùm priores adjectæ drachmæ dictar. specierum totius Compositi vires intendant ac exaltent; hæc verò sacchari additio notabiliter dissipet ac labefactet. Quare superius traditum theorema repeto: Non ratione sacchari Confectiones dispensantur; sed ratione specierum. Saccharata enim Confectarios decent; species autem, vel Confectiones Cordiales, l. a. sibi adunitæ, expertos Pharmacopœos.

*Quartus error est* (pergit iterum Adversarius) *cùm dicit; quòd aliæ nationes exteræ irrideant Germanos, quòd ipsi habeant syrupum aut succum granorum Chermes, & ideo meliorem Confectionem Alkermes conficere possint, quàm nos ipsi mittimus &c. Ad hoc respondeo, quòd hoc ex suo cerebro proponat, & quòd absolute succo Kermes privatus sit; imò quòd nunquam viderit aut cognoverit, quomodo, aut ex quibus, hic syrupus componatur. Nam ut plurimum cum melle aut saccharo rubro conficitur; sine dosi aut proportionem; sine succo pomorum; sine aqua rosarum, & serico crudo; nullo modo, aut parum, amarus, fabricatus à Pharmacopœis aut Aromatariis, in locis Urbis Monspelienfium vicinis, vendentibus ipsum sub nomine Pharmacopœorum Monspelienfium, eumq;, ut pretio viliori vendi possit, quantum possunt, mirimè bonum facientibus, saccharo edulcorare non oblit. Si itaq; fundamentum Confectionis nihil valet, licet cetera ingredientia sint optima; eam semper nostrâ inferiorem, credendum est. Hucusque convitiator & obscurus Magister.*

Sed quàm diabolicum est ingenium, ne dicam Angelicum, & Luciferianum, quod textûs miro artificio suo proposito adaptare industriè novit: quanquam (quod Dæmoni proprium) non sine mendacio & crimine falsi, quibusdam additis, quibusdam demptis. — Compara figmentis tuis textûs meos, in *Animadversionibus*, pag. 251. col. 1. lin. 17. & sequentibus; & reperies, quòd mendacia tua agminatim, & citato gradu, in apertum profiliant.

Secundò: quis demiretur, aut succenseat, *Vernij*, quòd in exteros, & Zwelferum, injurius ac calumniator sis; cùm propria, instar viperæ, arrodas viscera, ac in Nobilem Nationem tuam, rabientis instar canis, astuante Syrio, crudeli lanienâ desævias? Annon palmare probrum, ac scelus impudens est, quòd contrerraneos ac convivales tuos, Speciariorum, Pharmacopœos Vernaculos, ac Municipes tuos, falsarios, impostores, publico quodam instrumento, ac velut rescripto, toti Europæ, quin imò orbi universo, ostentui ac ludibrio, vel odio exponas, ac, velut cuniculos agendo, subruere ac prostertere tentaris? O te hominem minimè hominem! virum non virum! Veruntamen revertetur scelus in caput tuum: eritque consilium malum, tibi, *Vernij*, consultori pessimum. Interim tamen multiplicatis votis tibi gratias agit Germania; refert Europa; quòd velut scorpius, proprio vulnere attritus, remedium fueris simul & virus, *Vernij*. Latatur, quòd ab hoste consilium; à cœcutiente lumen; à malevolo dona optima receperit. Grato animo accipimus illam, quam, conscientia reatu ductus, eruclasti confessionem. Oculati deinceps erunt Pharmacopœi nostri; erunt & institores, ac mercibus intenti, ne deinceps imposturis vestris, fraudibus, ac mille technis, succumbant. Cauti & circumspècti vivemus Europæi, ne Confectionem Vestram, tam turpiter adulteratam (tua hæc, *Vernij*, Confessio & fama est) tam liberali precio, tam dissitis regnis, ad nos imposterum alliciamus, & tibi, Confectionis Magistro, fidamus, in petenda abste Confectione Alkermes, & syrupo Chermes. — Neque nos imposterum suspectos habebis, aut succensebis



nobis, quòd ex ipsis recentibus, aut recenter siccatis, granis Chermes, nulli imposturæ aut rapinæ perviis, in quibus tamen, velut centro, cordiale illud & vitale pharmacum, succus nimirum concretus Chermes, & Cordiale ostrum, nullo fūco latitat, in nostris regionibus Confectionem Alkermes adparemus: cūm, ut ipse ait, periculosa plenum opus alex sit, ac negotium anceps, genuinum succum Chermes à gente tua, *Vernij*, ad nos derivari; sed, ordinariâ lege, subrogato melle & sacchari rubri quisquiliis, adulteratum transmittatur à vobis, qui quæstui ac turpi lucro liberaliter indulgetis. Verūm, pace tuâ, arbitror, mi *Vernij*, quòd neque tu ex hac progenie sis melior Catulus (& fortè ex te alios arguis tales) sed cum lupis te quoque ululare, ac inter cœcos, mente ac lumine captum, tripudiare. Rem enim magnam feceris; *Vernij*, si fidelis es. Quare minimè succensebis, si me deinceps tuæ non confidam Monspelienſi Confectioni Alkermes, sub qua fors etiam ejusmodi vapora, mel, sacchari inquinamenta, impostorio modo à te substituta, velut angvis in herba, loco rubicundissimi succi Chermes, latitant. Meliorem sane fidem & encomium merita est sacra Antiquitas; aliam, nostro ævo, Germaniæ Artistæ, ac Pharmacopœi, qui magnâ religione ac sacramento observant, ne ad syruporum Confectiones mel, aut saccharum rubrum (quod veluti recrementum & fæx sacchari est) pro purissimo saccharo, modo subreptitio, surrogent, ac superaddant. Quanquam, si hariolari liceat, & causas rimari, ob quas, in gentem tuam novercali odio exæstuanſ, dictas ei fraudes ac imposturas objicis ac revelas (nam ex ore tuo te judico, *Vernij*, iniquitatis Villice, neque nationem tuam, de qua majora præsumo, tecum licentiosè carpo; quòd fortè ex te alios arguas) non tam eos adulterare nobilem hanc Confectionem, arbitror, magno quæstus ac lucri desiderio, ut viliori pretio distrahere possint, substituto sacchari inquinamento; quàm quòd deficient in primis Artis nostræ principiis; quòd Philosophiâ careant; quòd experientia manca sit, ac videant, quòd, si hoc Electuarium cum purissimo saccharo Tabarzeth conficiant, debitam consistentiam vix obtineat, quin Syrupus, ex hoc puro saccharo confectus, pro Confectione in Grystallos degeneret, ac Electuarium, seu Confectio, tandem arenularum quasi myriades sub dentibus referat, ac mox, absumptâ omni humiditate, totaliter in siccum abeat. Hæc metamorphosis cūm captum ac ingenium tuum exsuperet, utpote qui Philosophus non es; ideo ad argutias & imposturas descendisti, ac gentem tuam prostituto ore infamasti. Ne tamen, *Vernij*, etiam imposterum rudis, aut rasa tabula sis, aut nuda cucurbita; atque discas, quâ ratione non cum melle, aut sacchari rubri spurcitiis, sed finissimo saccharo, ut decet, dicta nobilis Confectio Alkermes pulcherrimæ consistentiæ & constantis, apparari possit, ne in lapillos saccharinos abeat: confer te ad Regiam Pharmacopœiam nostram, recens divulgatam, quæ tibi Pædagogus erit, & mille Magistri. Hæc interim tibi sufficiant: plura enim nequis portare modò. Ad propositum ergo scopum progredior & abstequæro, retorquendo argumentū: si tibi sine autoritate, sine vera ratione, licentiâ, aut jure, licuit, mi *Vernij*; si corivalibus tuis indultum, ut, pro libidine ac petulantia vestrà, repudiatis Majorum ac Veterum placitis, dispensando Confectionem Alkermes, omnia præpostero ordine teutetis; sericum non lotum, granis Chermes nullatenus, tinctum substituatis; uncias aliquot sacchari superaddatis; melle, saccharo rubro, pro saccharo purissimo Tabarzeth Mesue dicto, Confectionem adulteretis, non obstante, quòd hæc omnia ac singula dictæ Mesues intentioni, legibus ac instituto, aperto Marte repugnant: cur non mihi; cur non D. Augustanis, æquum ac fas sit, drachmas duas Lapidis Cyanei & Margaritarum huic nobili Antidoto superaddere; à quibus vires & efficacia Confectionis multum

multum intenduntur; cum à dictis fraudibus vestris è contrario multum incidantur? Vides nunc, *Vernij*, manticæ quod in tergo est? Vides, quod te festuca nostra sollicitum auxerit; cum tibi interim nodosa fudes in oculis hæserit? Sed proprium est, ac distinctivus convitiatorum character, queri semper ac conqueri, sua commendare, aliena reprobare; cum interim ad proprias lippiant absurditates. Et assumo à fortiori argumentum: Si *Vernij*, tam famosus artifex & Pharmacopœus, proprio motu ac temeritate, toti Europæ, cum asseclis, imponere tentavit; idque impunè hætenus adeo, ut, in fraudem hujus Confectionis Alkermes, sacchari dosim augere, pro purissimo saccharo Tabarzeth, rubrum, ac fœculentum, substituere, in favorem crumenæ non erubuerit: cur non liceat D. Augustanis; cur non Zwelfero, in subsidium Europæ, artis emolumentum, vigorem, emphasin ac energiam hujus Confectionis, prudenter quædam, juxta artis leges, ac Philosophiæ theoremata, superaddere, obvios ac manifestos errores revelare, meliora denique inter modestiæ limites edocere? At verò, quod apud te, *Vernij*, rationum momenta pondus habuerint, qui irrationalis es, calumniis deditus, convitiis assuetus, lucro ac turpi quæstui inhians, verbo denique: tibi, Nationi, ac Patriæ, exteris denique, injurius atque calamitosus?

*Quinto loco* (ulterius progredieris, Obscure Magister, calumniando, & ais) *Refutare mihi competit, quod de serico crudo dicit; illud nullam contribuere virtutem huic Electuario, vel Confectioni; quia virtutem, quam habere potuit, antequam operi huic adhiberetur, longo antè tempore amiserit, ob lotiones, coctiones, aliasq. diversas preparationes; sicut oculis propriis sapiens ipse viderit. Respondeo, si Adversarius noster clarè circumspexisset in hac regione, & equè curiosus, ac ceteri nationis sue, fuisset; observasset utiq., quod sericum quale, tum in hac confectione, tum in omnibus reliquis compositionibus nostris, adhibemus, crudum est, quod nec lotionem, nec coctionem, nec ullam aliam preparationem sustulit. Procul dubio Authorem habet opinionis sue Joubertum, qui simpliciter sumere jubet sericum, sine ulteriore additione; sicut Mesue fecit, qui addidit crudum &c.* Hucusque se iterum extendunt obscuri Magistri parabolæ: quibus tamen non obstantibus ac irritis, confirmata manet sententia nostra, ac conclusio, quam de usu, virtute, ac inefficiaciâ Medicæ crudi serici, in nostris *Animadversionibus*, attulimus; multis sanè ac prægnantibus causis ad id persuasi: quas fusiùs recensitas ibidem reperies. Demiror etiam in præsentī futile commentum tuum, ac ridiculam sententiam, quâ tantas vires & prærogativas crudo serico, ac papilionum folliculis, arrogas; palamque decido, quod crudo serico nulla insit virtus alexiteria, & vitale robur demulcendi: quin imò ad oppositum dogma ac sententiam me deflectere cogi ac pertrahi: nimirum, Coccum sericum crudum, ac papilionum folliculos, cadaveroso ac tetro miasmate suo spiritus vitales dissipare, vires proscribere, ac universam viventis œconomiam interturbare. Et quis ex modernis Doctissimis Viris, Tuæ etiam Nationis Excellentissimis Medicis, tam strenuus defensor tecum est cocci aut serici crudi, ut illud suis medicamentis cordialibus quotidie admisceat, & non potiùs, Antiquorum simplicitati aliquid esse condonandum, existimet, in re tam absurda? Ut ipsemet mihi persuadere nequeam, Magistrum nostrum *Vernij* adeò stupidum & infantilem fore, ut coccum, ex vermibus & insectis, planè abominandis, enatum, suæ Confectioni addat illotum; & hoc contra voluntatem & opinionem sui antiqui Magistri, Mesues; qui ipse nequaquam coccum aut sericum crudum, sed sericum succo granorum tinctoriorum recenter tinctum (quod lotionem, longam ac diuturnam præparationem præsupponit) expresse, ac claris verbis, suæ Confectioni addere jubet: uti in ejus Antidotario, juxta antiquam, & Sylvii, versionem patet. Digrediamur enim saltem juxta Philosophiam,



phiam, & naturæ scrutinium, ad Serici definitionem & analysin: quæ est papilionum: quæ serici, genesis? An non bombyx insectum est, de genere ac profapia eorum, quæ à Græcis descriptivâ definitione ἀναλύτης, seu quæ alas quatuor, seu quadripartitas, habent, dicuntur? Quorum prima incunabula, semé, ac esse inchoatum, mori folia suppeditant, cum qua ejusdem, ac homogeneæ sunt substantiæ. Aut, ut Plinius, *lib. 11. cap. 23.* ait: bombyx nascitur halitu animante florem decussum imbribus terebinthi, fraxini, quercus. Quam igitur virtutem cordialem, alexiteriam, habet morus: quam fraxinus: & quam quercus? An non ipse papilio, in essentiam vel pulverem reductus, si sericum tantas haberet virtutes, majores possidere deberet, quàm profilata intestina, crudum sericum, ac in folliculum diaphanum, opere textorio, circulata bombycis viscera, juxta tritum illud Peripatetici: propter quod unumquodque est tale, illud magis est tale? A contrario autem: si ipsi papiliones in essentia correlationem nullam habent, nec ordinem dicunt ad vitales spiritus, & cordi insitam vitalitatem: quid folliculî, quid crudum sericum, præstabant; in quibus exenterati papilionis exuvix, ac morticina, multum cadaverosi miasmatis exhalabant, donec prævia sua corruptelâ ac fracedine succederet nova redivivi insecti generatio ac metamorphosis? Verùm arcana magis speculatus est *Vernij*, in bombycis regeneratione; ac miram Thaumaturgi Dei adoravit potentiam, quòd intam vili & abjecto papilione, velut in umbra aut ideâ, futuram ac universalem corporum nostrorum anastasin præfiguravit; acutè secum *Vernij* glossando & inferendo: latere in his papilionis reliquiis, serico, ac folliculis, igniculum quendam, ac insitam Devalionis virtutem, animal ad vitam & sanitatem resuscitandi. Sed multum aberras, Philosophhe, tam argutè dissertando. Alia longè est analogia insecti ad insectum, papilionis bombycini ad bombycem: alia, & dispar, bombycis, folliculorum, ac crudi serici, ad vitam hominis, ad insitum spiritum nostrum & animal vegetantem; quorum omnium analogiam, correlationem, ac sympathiam, uti & repugnantiam, ac contrarietates, pluribus afferre possem, nisi tam hebes discipulus mihi *Vernij* obtigisset. Quare supersedeo. Hoc unum adhuc semel, Corollarii loco, infero; quòd pauci, & nulli, Medici præclaræ notæ ævo nostro reperiantur, qui virtutem roborantem crudo serico assignent aut in usum Medicum illud (more Veterum abusivo) accerfant. Reliqua, quæ noster *Vernij*, prolixâ hypotyposi & sermone, ex Avicenna, & Serapione (quem textum, utpote supervacaneum, ac prolixum, non attuli) providiciis, usu, ac prærogativâ, crudi serici adscripsit, nullâ egent refutatione; cum sit cruda Autoritas, rationum ac Philosophiæ fulcris destituta; cui interim meam oppono experientiam, rationes, & auctoritatem, & plurimorum Medicinæ Procerum consensum. Consulat interim *Vernij* Animadversiones, super dictam Confectionem Alkermes editas, ac relegat à nobis citatam Brassavolæ Clarissimam decisionem; ubi: Ego, inquit, in Confectionibus; quæ cor roborare debent, potiùs fetam arcerem, quàm recipere voluerim: quæ sola & una auctoritas tibi, *Vernij*, qui jejunos Philosophaster es, sufficiat; cum nec nodum hunc Gordium sis soluturus. Plura tamen apud Classics, maximè Libavium, reperies, quæ, in Gallicum translata, ediscere poteris.

Ut autem concipias, quæ sit Mesues, de serico, genuina sententia ac decisio, animadvertendum est; Mesuen præcepisse ac destinasse sericum mundum (non olidum, sædum, ac papilionum recrementis contaminatum; quale tu illoro & mendaci ore præcepisti) succo granorû Chermes recentertinctum, huic Confectioni adjungendum; non ob substantiam crudi serici, sed ut succus ac murex hic tinctorius, à serico imbibitus & absorptus, faciliùs præservari,

ri (quamvis ego nō approbem) ac ad peregrinas, cocco tinctorio destitutas, oras ac climata deferri possit, nec non, pro dispensantis voto, ad conficiendam Regiā hanc Confectionē elici ac derivari. Verū sufficiat tibi hęc synopsi ac lectio, compendiariā lege tradita, *Vernij*, qui angusti ingenij, ac talenti strictioris es, nec non omni Philosophia, novercante naturā, destitutus; cujus penetralia, ac secretos thalamos, ubi subintrasses, dispares naturę geneses, alteritates, & metamorphoses, auscultasses; & quod non quodlibet ē quolibet fieri aptum sit; sed maximo rerum delectu opus esse, activa passivis debitā correlatione jungi, ac illa solū in se mutuam causalitatem suam exercere, quę inchoatam quandam potentiam, respectum ac analogiam habent, edidicisses; longē alia dogmata sectatus fuisses. Verū sectare Avicennam tuam, à quo crudi serici arcanum per traducem, crevisti: paucos sanē hac Panaceā crexeris, lipothymia & cordis defectione tentatos. Nos nostris innitimur alexiteriis & cordialibus, quę divite penu ubique in Germania prostant: sericum interim pro amiculo atterimus, nostras tibi reliquias suppeditaturi.

Procedit ad sextam rationem Zwelferi eventilandam Magister obscurus *Vernij*, dicens: *Ut rejiciat sericum Coccorum Confectionis nostra Alkermes adēdō excellentis: quia, inquit, qualitas maligna in eo latet ob vermes & papiliones, qui inibi putrefacti sunt, teste odore pravo serici cocti & preparati; id quod ipse diligenter observaverit. Adversarius noster hac verba desumpsit partim ex tractatu de Confectione Alkermes Catelani; nec aliunde: qua tamen nunquam pro textu Evangelii recipientur, nisi inter desides in arte nostra: partim verō ea ex imaginatione sua deprompsit, in peregrinationibus suis pessimē tempus consumpsit, nec cum animi tranquillitate observavit id, quod nuper chartę commisit; aut sanē rationes legitimas nancisci non potuit: quia certissimum est & verissimum inter homines, quod sericum coccorum crudum, quale nos in usu habemus, sit verum sericum crudum, quod Mesue voluit & precepit, ut Confectionem Alkermes ingrediatur, & quod Medici Arabes omnes descripserunt, &c.*

Coincidit iniqui hujus Novatoris textus cum priori paragrapho, quem retulimus; nisi quod in D. Laurentium Catelanum, Pharmacopœum quondam doctum Monspeliensem, & Antecessorem suum, etiamnum inter Indigites recensitum, ac Superis accitum, barbarā crudelitatem (& immemor, quod de mortuis & absentibus non nisi bene sit loquendum) viperino dente savit ac debacchatur. Cujus integerrimi Viri, Catelani, verba, licet apud te, *Vernij*, qui iniquus Scriba ac Phariseus es, Evangelium non sint: multi tamen doctissimi Viri, ac Commentatores, dictum Catelanum nunquam tibi promerendis laudibus evehunt. Inter quos consule Magnum Libavium, in Alchymia Pharmaceutica: cujus autoritas e mentita in Castellanum scommata tua confutabit. Ceterum quod tibi Zwelferianę peregrinationes negotium faceffunt atq; displicent, qui doliarem semper vitam, ac Polyphemus, in antro, egisti; miraculum non est. Quid enim cæcus, de colore, arbiter, ac, de harmoniā, surdus judicaverit, cum nihil cupitum, nisi præscitum; nihil volitum, nisi præcognitum. Tam enim generosa indoles nostro *Vernij* obtigit, ut unā natalis soli peripheriā totius orbis diametrum absolvi; intra conclave, ac domestica cellaria, urbes & provincias describi; intra Monspelium, montes Pelion, & Ossa, Thessaliam comprehendi crediderit. Verū heus Zoile! aliquid ex peregrinationibus meis retuli: vitam civilem, scientiam firmam, mores domesticos; cum tu, domesticus, peregrinas & exoticas nequitias, supinam desidiā, radicatam inscitiam, ac, velut arrepto fermento, mores contagiosos indueris. Sed hęc tibi per antithesin, ac figuram, responsa sufficiant. Ad reliqua, quę vel palmare



mendacium, vel fabulæ sunt, omnino conticesco: è quorum tamen censu illud est, quando Mesues in tuam cogis ire sententiam, in tuendo crudo coccorum serico; cum tibi textus Mesues rectâ diametro refragetur, dum ait & præcipit; Sericum huic Confectioni, succo granorum Chermes recenter tinctum, esse adjungendum. Nisi in sententia hujus vertiginosi *Vernij* hæc duæ propositiones sint identicæ: dispensare crudum sericum; & dispensare sericum succo granorum Kermes recenter tinctum. Reliqua, quæ de crudo serico, ejusq; virtute cordiali adstruendâ, proponit, à mulierculis & gynæceo de lanâ petita; argumenta sunt effæminata, hoc dignissima Authore: quare nec referre illa dignor. Legat falsi dogmatis sui vindices, Aristotelem, Plinium, Tholosanum, Jurisconsultum, in syntaxi mirab. Cardanum. Baysium, de contextura Holoferici, & tegmine Holofer: item bombycum metasarcofi & transmutatione; nec non magnum illum Societatis Theologum & Philosoph. Athanas. Kircherum: è quibus veriora comprehendet.

Septimò progreditur Adversarius. Ut ad hanc *Zwelferi* objectionem (scilicet in *Animadvers. m. pag. 251. col. 1. lin. 47. & seq.*) respondeam; primum dicam, Mesue scopum fuisse duplicem, cum sericum crudum in Confectione sua posuit, idq; cum succo Chermes imprægnare curavit, ut postea horis 24. infundat & coquat in succo pomorum, & aqua rosarum. Per primum scopum suum infusionis modo voluit extrahere totam substantiam & virtutem succi granorum Kermes cum succis & aqua rosarum: & alter ipsius scopus fuit, ex serico crudo virtutem attrahere ope infusionis, & præcipue per coctionem, & postea per expressionem exinde prorsus separare & extrahere id, quod hoc modo possit extrahere. Hæc brevis est explicatio intentionis Mesue (Vah quàm anilia! quàm pulchra absurda à Magistro *Vernij* obsecro!) Nescio quo fundamento nitatur debilis *Zwelferi* ratiocinatio, dicentis, quod si sericum virtutem aliquam haberet, &c. licet jam antea ad hoc responderim, quod repetitione utatur; dico tamen, quod dubitare, an sericum virtutes habeat, idem sit, ac si quis dubitet, an *Zwelferus* sit Medicus. Quia nihil magis verosimile est, quàm quod res omnes, qualescunq; fuerint, compositæ sint, secundum quosdam, ex 4. Elementis: & quod, secundum alios, in omnibus mixtis tria sint principia generationis, à se invicem non, nisi per artem, aut totalem mixti destructionem, separabilia; sicut quando arbor radicitus emoritur. Dicere, sericum nullam habere virtutem, est, naturam omnino destruere velle. Et quod dicit, quod fortassis intentio Mesue fuerit, tincturam ex serico, succo Kermes imprægnato extrahere; quia sine dubio in Arabia regione, in qua tum degebat, tunc temporis succo & granis Kermes carebant, &c. hoc aliam responsionem non meretur, nisi hanc: si Mesues non habuisset in promptu succum recentem Kermes; nunquam hisce verbis illum ordinasset: R. Serici, crudo succo granorum tinctorum recenter tincti, libram unam. Ex hoc enim loquendi modo satis apparet, illum succo Kermes recenti non fuisse destitutum, sed in copia eum habuisse.

Hucusq; Platonicus homo, seu Philosophus, *Vernij*. Verùm, amice Lector; an non infallibilis est Scholarum paræmia: Qui benè distinguit, benè docet? Quàm aptè *Vernij* senis Venerandi, Mesues, doctrinam discriminat: quàm categorias & prædicamenta Philosophorum novit: quàm succinctè & nervosè de rerum principiis principiantibus, de numero principiorum, de indivisibilitate principiorum ac elementorum, disputat! cum tamen (quod mirum est) prima Latinæ linguæ elementa (nobis rudimenta dicta) ignoret. Audiamus tamen argumenta & argutias, quibus *Zwelferum* impetit. Constat autem ejus argumentatio uno Syllogismo, eoq; composito; qui virtualiter tres continet, in quos sic resolvi potest. Primus est: Probo, inquit *Vernij*, quod sericum sit cordiale & alexipharmacum; & sic argumen-

argumentatur: *Dubitare, an sericum habeat vires cordiales, idem est, ac si quis dubitet; an Zwelferus sit Medicus: sed Zwelferus dubitat. Ergo sericum habeat vires cordiales: quod erat demonstrandum.* Est Syllogismus in forma, in prima figura, & quidem *Barbara*. Videsné, *Vernij*, quàm rudis & Idiota sis; quòd neque Dialecticus, taceo Philosophus, sis? Advertis, quàm pulchrè medius terminus distribuatur: quàm evidens sequela ex puris particularibus sequatur: quàm deniq; longè à scopo demonstrationis aberrâris? Secundus Syllogismus talis est: *Res omnes constant, secundum quosdam, quatuor Elementis: seu in omnibus mixtis tria sunt principia generationis, à se invicem non, nisi per artem, aut totalem mixti destructionem, separabilia, sicut quando arbor radicitus emoritur. Sed dicere, sericum nullam habere virtutem, est, naturam omnino destruere velle. Ergo sericum habet virtutem alexiteriam.* Hic Syllogismus est etiam in optima figura; & quidem in primâ; & in *Ferio*. Tam artificiosus est, ut universalis meritò denominari mereatur; adeò, ut nihil in sublunaribus reperiatur, quod hic Syllogismus non probet habere virtutes cordiales. Ad imitationem hujus ergo, huic Syllogismo parallelum subjungam, ut Lectori pateat artificium & talentum *Vernij*, ad sacram invidiam & æmulationem. Et probo, ex assumpto *Vernij*, quòd ipse *Vernij* sit remedium alexiterium cordiale. *Res omnes constant 4. Elementis, seu: In omnibus mixtis tria sunt principia generationis, à se invicem non separabilia, nisi per privationem & unionis dissolutionem. Sed dicere, D. Vernij non constare 4 Elementis, aut, prout mixtum est, non constare tribus principiis generationis; est naturam omnino destruere velle. Ergò D. Vernij habet virtutes alexipharmacas cordiales, & est remedium cordiale alexiterium.* Major est *D. Vernij*: Consequentia sequitur vi formæ: ergò ex dicta *Vernij* probatione sequitur, non tantum sericum esse cordiale, sed & piscem & asinum, lucem & tenebras, bona ac mala, omnia deniq; illa, quibus competit illa formalitas: nimirum, constare tribus principiis, & 4 Elementis. Ex quo patet, quàm dissona sit *Musica*, & concentus, ubi lusciniæ graculus vult æmulari; & quòd non cuivis contingat adire Corinthum, aut Philosophum agere. Periculosus enim est, & præruptus, Dialecticorum pons, quem Asinum vocant, mi *Vernij*. Exulant hinc vertiginosi, & quibus firmum iudicium non est; nisi in præceps aut transversum rapi velint. Tertius Syllogismus est: *Si Mesues non habuisset succum granorum Chermes, nunquam illum ordinasset, hisce verbis: R2. Serici crudi, succo granorum Chermes recenter tincti, libram unam. Sed sic dixit Mesues: ergo habuit succum granorum Chermes.* Et hæc est summa *Vernij*. Ut igitur urgentibus his demonstrationibus in forma satisfaciam; respondeo ad primum argumentum: Si, juxta te, *Vernij*, idem est, dubitare, an *Zwelferus* sit Medicus, & an sericum habeat virtutes alexiterias; sequitur, quòd sericum nullas habeat virtutes cordiales: quod sic arguo: Tu, *Vernij*, dubitasti, an *Zwelferus* sit Medicus & Philosophus: ergo sericum non habet virtutes alexipharmacas seu cordiales. Antecedens demonstro. Nisi enim dubitasses, *Zwelferum* Philosophum esse, & tuis deliriis respondere posse; tam frivola, absona, & ludicra, quæ nec Philosophum, nec Medicum, sed *Agyrtam* & *Impostorem* sapiunt, nunquam tam audacter juris publici fecisses. Subsumo: sed, si tam verum est, sericum esse cordiale, quàm verum est, dubitari non posse juxta te, an *Zwelferus* sit Medicus & Philosophus. Ergo tam falsum est, sericum esse alexiterium seu cordiale, quàm tu verè dubitasti, *Zwelferum* esse Philosophum & Medicum. Ad secundum argumentum tuum respondeo; & quæro abs te, *Philosophe Vernij*, quid tibi cum elementis & principiis, quæ turpiter confundis; quæ non, nisi verbotenus, intelligis, homo vix nativæ Linguae gnarus, Latinæ verò, ac Philosophiæ, ignarus? An nescis, aliud esse principia rerum; aliud elementa? Principia sunt, materia, forma, & unio: & ex his coalescunt



composita : elementa verò sunt corpora , in quæ cætera corpora , quibus potestate insunt, dividuntur; ipsa autem in ea, quæ specie differunt, dividi non possunt : vel, ut Medicè definiam: sunt minima pars ejus, cujus sunt elementum. Ex principiis resultant composita: ex elementis mixtio. De elementis controversia Philosophis est, an sint numero finita, an infinita; an ex se generari possint, an dividibilia, an formaliter maneant in mixto : de principiis verò ista liquet, quòd finita sint, quòd mutuò ex se producantur. Nam forma educitur è potentia materiæ : unio simul à materia & forma resultat &c. Mixtio differt à generatione, ab alteratione, ab augmentatione, ratione modi ac termini: non sic principia : quæ tamen obscurissimus Philosophus, *Vernij*, clarissimè confundit, ac pro asserenda Confectione sua Alkermes arripit, eodemq; sensu intelligit. Ut proinde doctissimo huic argumento aliud responsionis genus reddere non valeam, nisi cachinnos & risum : quem teneamus, Amici.

Ad Tertium argumentum, quòd erat : *Si Mesues non habuisset in copia succum recentem granorum Chermes, nunquam dixisset : R<sub>2</sub>. Serici crudi, succo granorum tinctoriorum recenter tincti*, libj. ut respondeam (ac à nauci hujus hominis paræmiis me illico expediam) uno dilemmate ejus commentum evertam, dicens: vel habuit Mesues succum granorum Kermes; vel non habuit *Vernij*. Quidquid respondeas, contrate militat. Si habuit : ergo falsum est, quòd nullibi sincerus prosteret, nisi Monspeli, aut in Galliis, quòd ad nos, & alias regiones, recens ac sincerus deferri nequeat: prout superius mordicus defendisti. Ulterius: si habuit; ergo Mesues nugator aut phanaticus fuit, quòd, multiplicando entia & negotiù, succo priùs tinxerit sericum, quem magno labore postliminio ex ipso serico eliceret: quod venerando Seni tecum nequaquam affinxerim. Si autem succu hunc non habuit: ergo falsa est tua propositio: & evinco, quod contra te erat demonstrandum. Verum dato, non concesso: habuerit, vel non habuerit, dictum succu Mesues (hæc enim *ad id Poeg* sunt ad intentum meum) probo tamen ex genuino textu Mesues (quem sexcenti Classici æmulantur) quòd impostor sis & falsarius. Textus Mesues sic sonat : *R<sub>2</sub>. Sericum, succo granorù tinctoriorum recenter tinctum* : vel, accipe setam tinctam ex Chermes. Nunc sic argumentor : Sericum crudum & tinctum differunt specie inter se. Assertum probo. Sericum crudum, juxta omnes, illud est, quod, à folliculis recenter segregatum, nullis heterogeneis (alumine, tartaro, succo citri, ac murice) ad tineturam disponitur, ac dein producit, uti, in sequentibus, ipse *Vernij* ait. Sed implicat, idem esse crudum, & tinctum, eodem respectu. Ergo crudum & tinctum sericum differunt specie. Sed etiam non differunt; quia, juxta te, ex superius dictis, præcipit Mesues, pro Confectione Alkermes, sericum crudum & illotum assumi; textus verò genuinus, à nobis jamjam citatus, consulit sericum tinctum succo granorù Chermes. Ergo crudum & tinctum differunt, & non differunt; tingi, & non tingi, identica sunt, uno eodemq; respectu. Sequitur proinde, cum hæc sibi repugnent, quòd tu falsarius & impostor sis; quòd, pro tuendâ sententiâ tuâ, quid pro quo alleges; quid pro quo substituas, textusq; pro libidine adulteres ac defraudes. Quæ omnia ac singula à te, maximo Philosopho, qualem hætenus te mea tuâq; argumenta probarunt, nimirè discordant. Procedo itaque ad octavam *Vernij* contradictionem.

Octavo loco dicit, quòd satis habeat succi, & multò plus granorum Kermes, cum quibus sericum ubiq; locorù tingitur : innuere volens, quòd cum illo succo commodè syrupum facere possit; quia sericum cum eo tingitur. Sed consequentia hæc mala est & perniciosissima. Si enim, à curiositate sua persuasus, Tinctorum instructionem expetivisset; tunc didicisset id, quod ignorat: quòd sericum, carmesino tinctum colore, tale fiat cum Cocconiliâ, terrâ Meritâ, Arsenico, aliisq; ; & quòd alia res rubro colore tingantur ex ligno Brasilio &c. Sed nec cum succo ipsius sicco, nec granis Kermes etiam siccis, unquam confici poterit.

poterit Syrupus in omnibus Regionibus ; minùs adhuc cum iisdem tingi sericum, sine ad-  
jumento rerum aliarum : ut Tinctores facere consueverunt. Discat autem ipse, quòd  
Kermes cum succo suo non adhibentur, nisi ad tingendum pannos & lanas. Sine dubio  
mibi respondebit : si panni & lana cum hoc succo tingantur ; bene etiam tincturam ex-  
inde parari posse ad conficiendum Syrupum. Quòd fieri posse concedo, more Tinctorum,  
res prorsus à confectione nostra alienas, & qualitatibus contrariis præditas, addiditum,  
quales natura nostra inimica sunt, Galla, Alumen, terra Merita, Arsenicum, & similia :  
alias nunquam exinde extrahere posset tincturam, quam nos cum succo recenti paramus.  
Procul itaq; absit talis Medicus, qui persuadere vult nimium creditus, meliorem confici  
posse Confectionem Alkermes in regione sua, ingredientibus ad eam necessariis destituta,  
quam Monspelii, terra quasi natali Medicina, omnibus redundante. Zwelferus inuti-  
liter, sine ratione, & sine ullo fundamento cum sese confecerit in exstirpando serico cra-  
do ex Confectione Alkermes, quibuscunq; nitatur rationibus ; jure de eo possumus pronun-  
ziare, non quidem id, quòd ipse de Laurentio Catelano dixit ; discursum hujus viri nil  
nisi nugæ esse : sed auctoritatem ipsius nequaquam prævalere posse auctoritati Mesues,  
Avicenna, Nicolai Myrepsici, Valerii Cordi, & aliorum, qui sericum crudum Com-  
positionibus suis cordialibus inseruerunt.

Ad propositum per longum latumq; argumentum respondeo : primò falsa  
est causalis, quam perfrictâ fronte affers, & textus meos violas, Vernij, nempe :  
Ideo ex succo granorum Chermes fieri apud nos posse syrupum, quia sericum  
cum succo granorum dictorum tingitur. Cita, perversè homo, locum, signa pa-  
ragraphum, demonstra lineam, in qua meæ Animadversiones hæc doceant.  
Viden', quòd sis tenebrio, falsarius, & umbrarum appetens ? An non proprio suf-  
fragio reprobavi sericum tinctum, pro extrahenda tinctura ad Confectionem  
Alkermes expetitur ? Et ratio mea fuit, quia sericum, intervenientibus minùs  
salubribus, ac ab intrò tutis ( qualia alumen, tartarus &c. ) tingitur ac coloratur.  
Nam hic erat status controversiæ : & hoc absurdum in me retorquere niteris.  
Verùm, mi Verny, cur non impugnasti ipsum Mesues, qui sericum, succo Cher-  
mes recenter tinctum, pro Confectione hac in terminis destinavit ? Cur ne  
hiscere quidem contra virum hunc ausus es ? Nisi quia nequitia tua nullum  
ampliùs habuisset diverticulum & asylum, sublato venerandi Senis patrocinio.  
Respondeo, secundò ; & absolute nego, quòd ex granis ipsis siccis non possit fie-  
ri syrupus, in quibuscunq; etiam Regionibus ; & probo. Nullum de facto da-  
tur vegetabile, cujus essentia, applicatis debite activis ad passiva, adhibito speci-  
fico & appropriato menstruo, l. a. elici non possit. Ergo etiam, sic procedendo,  
tinctura granorum Chermes elici potest. Major est omnium Chymicorum,  
expertorum Pharmacopœorum, & Philosophorum ; & confirmatur ab indu-  
ctione reliquorum vegetabilium, Radicum, Herbar. Seminum, Flor. &c. quorum  
essentias elicimus extractione legitimâ. Subsumo : atqui datur tale menstruum,  
quòd homogeneous & appropriatum est granis Chermes. Ergo syrupus Cher-  
mes ( qui tandem essentia granorum Chermes est ) apud nos & ubique confici  
potest. Confirmatur, secundò, & Vernij argumento : si, inquit, tingi possunt lana,  
sericum, & panni, succo granorum Chermes ; ergo etiam exinde potest parari tinctura,  
sen essentia, ad conficiendum syrupum. Quæ consequentia licet sit falsa, meo judi-  
cio, prout eam reprobavi in censura syrupi de Pomis, ad Confectionem Alker-  
mes desiderati, pag. 33. col. 1. lin. 40. & seq. tamen ad stabiliendam superiùs à me al-  
latam veritatem, egregiè facit prior propositio, vel ex ore Adversarii ; quòd ni-  
mirum tingi sericum ac panni non possent, nisi præsupponeretur possibilis tin-  
ctura, velut conditio sine qua non. Ubi autem gentium aut locorum ( nimirum  
ubiq; ) proster illud menstruum, modus ac dexteritas eliciendi hanc essentiam  
granorum Kermes, pro legitimo syrupo apparando, paucis tibi indigitabo, dum  
te ad Animadversiones meas, quondam editas, & ad Pharmacopœiam Regiam



recentissimè editam, ablego: quam si tibi, assiduâ lectione, & interpretis auxilio, familiarem feceris; dubium non est, quin brevî futurus sis eruditus Pharmacopœus & Magister, qui nunc vix artis Tirotinium exerces. Consule deinceps Philosophos & Chymicos, non tinctores & mechanicos: peregrinare cum Zwelfero; & abditos naturæ sinûs, artis invios ac inaccessos Mæandros, feliciter enavigabis. Nam: nemo in patria Propheta. Reliqua, quæ de Valerio Cordo, Mesue, Avicennâ, ac Arabum turbâ, attulisti; extra metam ac scopum sunt. Neminem enim sequor ac æmulor, ubi facem ratio & experientia non præfert. His ducor radiis, nequaquam deviaturus.

*Nonò;* pergit obscurus noster Magister, Verny, dicens: *Quò magis Zwelferus Confectionem nostram impugnat, eò plus intricatur. Dicit enim ut ambra grysea dissolvi queat, addi posse aliquot guttas Olei destillati cinamomi, rosarum, aut similis. Parum circumspèctus est, dum non considerat, quòd, cùm Oleum cinamomi, & Ambra, igni, cuiuscung, gradus ille sit, imponitur, ut dissolvantur, partes utriusq, magis spirituosæ in aërem evanescent, iisq, confectio prorsus frustretur. Ambram gryseam si quis vellet dissolvere cum Oleo rosato; res etiam esset valde ridicula & inaudita: cùm Oleum tale intra corpus non assumatur. Minus autem credere possum, ipsum per Oleum rosarum intelligere illud, quòd Chymicè ex Rosis extrahitur. Hoc enim rarissimum est, nec plus ad hanc dissolutionem confert, quàm præcedentia, utpote substantiæ nimium tenuis & subtilis, quæ cum partibus ambre gryseæ purioribus evanesceret. Si verò ambram liquefacere omnino cupit, Authoris sui sequatur intentionem, & eam dissolvi faciat in syrupo; sicut quidam faciunt: quòd sine dubio faceret, si Catelanus idem doceret, quem laudat, quando sericum ex Confectione Alkermes, sicut ipse, rejicit, & paulò post cum contemptu de ipso loquitur, cùm videt, quòd, Mesue repugnare nolens, idem in eâ Confectione admittit. Sine dubio pavorem illi incussit, quando, in tractatu suo de Confectione Alkermes, scripsit, neminem præter se, Ambram posse dissolvere, & revera difficillimum esse, illam aliis commiscere.*

Coronidis loco hic Doctorem Phœnix faniora promittit dogmata, ac lucido gaudere intervallo videtur, dum assiduè nobis commendat, ut dispensandarum rerum vires fartas rectas ac integras conservare studeamus; nec non cautos reddit, ne Ambram & Cinamomi essentiam, ac quidquid spiritu turget, apertâ ignis violentiâ pessumdemus: cui lubens ego subscripserim & assenserim. Verùm, sicut in morbis acutis omnis recidiva radice deterior est; sic huius viri infania, in quam postliminio recidit, pejoris delirii compendium ac complementum est. Quid enim à mente alienum magis, quàm dum ait, & miratur, quâ ratione Zwelferus oleum Rosarum (coctum Verny subaudiit) intra corpus assumi, nec non eodem Ambram gryseam dissolvere siveat; cùm tamen, ut ait, nullus illius sit usus ad intra, & indicatio: si tamen per impossibile Zwelferus destillatum oleum Rosarum subintelligeret, rem impossibilem siveat: cùm nullus sit in Gallia Magister, qui tale secretum apparet. Ad quòd respondeo, Vernij; me minimè oleum Rosarum coctum (uti malitiosè & stupidè me arguis) seu amurçam; sed destillatum Oleum (verius essentiam rosarum dicendum) subaudiisse: quæ essentia licet rara apud vos avis & phænomenon sit; nostris tamen Pharmacopœis, & mihi, sat usitata & cognita est: quam pro langventium solatio, ac Medicorum nutu, ubique dextrè destillant. Ex hoc tamen facili conjecturâ assequi possumus, quàm tibi domi angusta supellex ac scientia, qui in ipsis Pharmaciciæ præliminaribus buxo pallidior hæsit & hæsitasti. Quantum fidissimi Medici infideli ministro concedere possint, quem te, Vernij, palam proclamās, qui pro rosarum Essentia, unctuosum liquamen, & coctum Oleum, substituire audes; & quòd consentaneum est, criminis, & fraudis, & stultitiæ, tecum nos arguis arbitros, & oculos, ictericorum more, cùm proprio vitio lippias, in peregrina conjicis objecta, ac eam de foris scrutaris, quæ in sinu efflorescit, lepra,  
dum

dum stupidissimo modo ejusdem nos tecū farinæ homines arbitraris, qui oleum Rosarum coctū pro destillato (ob artis Pharmaceuticæ imperitiā) substitua-  
mus. Sequitur & aliud delirium recidivi *Vernij*; quod audacter eruat ac docet, Ambra dissolvi non posse cum oleis, nisi caloris aut ignis violentiā; cum tamē vires Ambra multū calore dissipentur. Aliam, ac secretam, esse methodum, (magno artis sacramento & mysterio cautam) dicit, & sibi soli arrogat, *Vernij*: ut scilicet Ambra in pulverē redigatur. Sed quis non conspiciat stupidam inscitiam, ac supinam ignorantiam, hujus viri, rudis, quod ambra grysea connaturaliter quibuscunq; oleis, præsertim destillatis, in mortario frigido lapideo, vel ferreo, dissolvatur; cum sit naturæ homogeneæ cum oleis destillatis, & substantiæ resinosa: unde facilē iis unitur, viresq; integras nexu ac foedere firmo communicat, odore & fragrantia majore luculentis testibus. Hæc, dicto modo soluta, ambra si electuariis, si speciebus, pulveribus, aut ipso pulverisato saccharo, eum adjungas, virtutē suam ac fragrantia efficacius communicabit ac imprimet, quā si simpliciter (arcano *Vernij* consilio) in pulverem redigas. Solvitur præterea Ambra, vel (ut propriūtar etymo) emollitur, & comminuitur, adjectis quibuscunq; fructibus unctuosissimis sibi homogeneis; utpote: Amygdalis, Pineis, Seminibus quatuor frigidis excorticatis: &, quod mihi domesticum ac usu frequentissimū est, præcipio Ambra excorticato citri semine subigere, si alexiteriis admiscenda & cordialibus, nullā caloris aut ignis violentiā; sed planē frigidē; solā in mortario frigido subactione. Et hac ratione Ambra per minima, & insensibiles atomos, quibuscunq; se rebus unit ac insinuat, virtutēq; suā efficaciter eas imbuit; adeo, ut cum liquoribus postea dilui perfectissimē possit, odore balsamico ac fragrantia (genuinis accidentibus) semper superstitē. Diluitur etiam Ambra mediante vitello ovorum, qui unctuosus est substantia; adeo, ut omnib; liquoribus, electuariis, confectionibus, ritē ac facilē possit uniri ac dilui; hac unā servatā cautelā, ut ejus subactio in frigido, nullo modo in calido (ut stupidus *Vernij* censet) celebretur. Norunt etiam apud nos, in Germania, Tirones Ambra in saccharo, ad consentientiam syrupi aut tabulati cocto, liquare & solvere; citra odoris aut fragrantia dispendium; quod quidem captum *Vernij*, ac fidem, exsuperat; qui plurimū gloriæ sibi decedere judicat, si nostris Tirunculis succumbat; qui sibi tamen magistratalem cathedram, evulgatis publicis scientia monumentis & commentariis, per Europam arrogabat. Sed vices tuas doleo, mi *Vernij*, & novercam fortunam, quod, subito ē suggestu deciduus, ea discere coactus sis, quæ docere videbaris. Meliora dabunt superi, ubi bonus esse cœperis. Interim cogita, quod res lubrica sit fors, aut fortuna.

Ut igitur, recapitulationis loco, paucula hætenus inter nos acta tibi refricem, *Vernij*, ac tandem finem arripiam (multum enim tuis fatigor nœniis) scias velim, primò, quod apud nos verissimum oleum destillatum Rosarū, seu essentia, passim proster; quā tamen nunquam te vidisse (quā obscurus Pharmacopœus!) palam fateris absurdo dubitandi genere, dum ais: *Minus autem credere possum, illum (Zwelferum) per oleum Rosarum intelligere illud, quod Chymicè ex Rosis extrahitur; hoc enim rarissimum est (in officina nimirum tua) &c.* Si Philosophus, aut saltem expertus Pharmacopœus, fuisses, *Vernij*, facilē Zwelferi mentem assequi potuisses & intellexisses. Sicut enim Zwelferus, hortando, ut, pro dissolutione Ambra, adhibeatur vel oleum stillet, Cinamomi, vel oleum Rosarum, disjunctivo sensu, intellexit solum oleum Cinamomi destillatum, & non aliud, cum (ut ipse ais) intra corpus absumi debeat: ita, à pari argumentando, inferre potuisses; ergo etiā, loquendo de oleo Rosarum, pro Ambra solvendā, intellexit Zwelferus oleum destillatum; quia usibus internis est destinandum; ad quos coctum & foetidum minimē proficuum. Hanc eandem rationem desumere poteras ex Animadv. m. pag. 252. col. 1. lin. 3. ubi habetur: Sic enim exactius (scilicet Ambra) saccharo injecta, cum eo unitur. Quæ solutio insuper majorem efficaciam huic Confectioni addet; utpote quæ alioquin stimulo summo opere indiget, nec non opus habet, ut in majori dosi, quā communiter fieri assolet, propinetur, si, quas illi attribuunt, virtutes exerere debeat. &c. Hucusque textus nollet. Verū quia usu Latinæ linguæ destitutus eras; textus hic te latebat, & oleum Rosarum coctum ab intrò sumendum, putabas destinatū, ac cum Confectione Alkermes devorandum. Scito deniq; nos, in Germania, Ambra nequaquam calore, aut calidis, sed frigido



mortario, ac frigidis quibuscunq; spiritibus, essentiis, ac unctuosiss, juxta superius datam scientiã, dissolvere; nequaquam verò cõctis oleis, & hisce ungentariis: assidue etiam nos collaborare, ut vires rerum integras ac efficaces, inter labores Chymicos, vindicemus ac præservemus. Hoc enim ad latum & longum me præcepisse repèries in *Animadv. super aquas destillatas, & syrupos conficendos* &c. Tuum ergo secretum secretorum, redigendi Ambra in pulverem, tibi serves; nobis Germanis hæc trita sunt, qui obscuro ejusmodi Magistri instructione non egemus, nec eam desideramus. Nec nobis necessaria est tua tam studiose, sed infantilis, injuncta cautio, de Ambrae natura, & partibus ejus tenuioribus, non perdendis. At cum agis, dum talia præcepta, & institutiones, cautissimè fortè, ad nos transcribis. Reddimus igitur tibi arcana tua, nobis non necessaria. Tibi, mi *Verny*, præstat nostra Praxis ac methodus, cujus beneficio non solum Ambra, per minima dissoluta, omnibus medicamentis, per insensibiles atomos, sese unit & insinuat, virtutemq; suam uberimè largitur; sed & alia, compositorum medicamentorum ingredientia, omnia facta tecta q; suis virtutibus conservantur in composito & mixto. Miramur tamen tuam sollicitudinem, in conservatione partium tenuium Ambra; cum tamen in perdendis infinitis aliis rebus odoriferis tenuibus, summe expetendis, tam prodigus sis; in syruporum nimirum, aliorumq; complurium medicamentorum compositorum, præparationibus, quas per violentas decoctiones, & tot librarum spirituosi liquoris exhalationes ac expulsionem in auras, apparare, tua malefana consuetudo est; in qua consensuisti, nec in meliorem frugem converti potes; sed antiquis absurditatibus subscribis; tibi tamen his, de Ambra, injunctis cautionibus apertè contradicendo, eò, quòd artificiosioribus syruporum m. confectioibus, dexterrimè edoctis, in quibus partes tenues & subtiles omnes integrè conservantur, tam acriter, sed imperitè, contraniteris, adeoq; in tuis semel conceptis erroribus potiùs consensescere satagis, quàm quòd, cum emunctioribus Pharmacopœis, & aliis doctissimis Viris, saniora consilia amplectaris. Interim tamè, si complura adhuc mysteria portas, aut cum Jove parturis, domi tuæ enitere, & arcana in patriã revome: nobis, in Germania, tu displicent ructus. Reliqua, quæ de Catelano adjicis, frivola sunt, ac nullius frugis; paucis proinde diluenda: laudo Catelanũ, & sequor, in quibus periti Chymici & Pharmacopœi munus obivit. Recedo à Catelano, eumq; impugno, ubi eum à recto tramite deviare, & desertã veritate, desistere reperit. Quemadmodum nunc te, Magister *Verny*, nauci, florci & nihili pendo, utpote hominem saltu, pravus moribus, & calumniis, deditum ac abominabilem. Vice versa pro tuis ac pulpitis, è suggestu & compitis, laudabo & prædicabo, totus in tui laudem olim effusus, ubi te meliorem futurum inaudivero.

Hisce, Amicè *Verny*, manum tabulæ subduco, & Apologemati meo coronidem impono. Percèperis, nò dubito, cum tecum familiari stylo, de condito, disseruerim, imbecillitatis tuæ ac talenti memòr, quàm ineptè, perversè, malitiosè in notis tuis propriã notã scriptitaveris, quàm fallaciter textus meos adulteraveris, quàm simpliciter turpitudinẽ ac infamiam tuam orbi universo revelaveris; quòd scilicet, nec Rosarum oleum (artis tirocinia) cognoveris; quàm incuriẽ te præcipitaveris: dum corivalium tuorum fraudes, syrupi Chermes adulterationes, monopolium ac questum tuum, quo solus Monspelij gaudere gestiebas, ultrò, & nobis non exigentibus, proclamasti; quàm stupidè & superciliosè Cathedram Doctoris, Scriptoris, Commentatoris, & Notistæ titulũ, alienã infamia & calumniis tibi arrogaveris, cupiens digito monstrari, & dicier: hic est. Sed non invideo, quòd digitis te subsannent, *Verny*, quòd pro fama ludibrium, pro triumpho risum, pro plausu explosus, pro lauro stramen, Neo-Doctor, reportaveris, etiam majoribus dignus. Patientiam nunc habeto, *Verny*, si rigorosa tibi fuit Zvvelferiana palæstra; è qua vix nudus diffugisti: si rigorosus tibi fuit Gymnasiarcha Zvvelferus; cui te ultrò, non stimulatus, objecisti. Neq; mihi succenseas, velim, quòd ampliori exegefi, quàm speraveras, vitia & imperitiam tuã declaraverim. Bonis, profectò, nocet, qui parcat malis; & ut Juris-Consultus ait: Bonorum injuria fit malorum impunitas. Non exigebant mitius collyrium lippitudines tuæ, nec, profectò, blanditias profunda vulnera, quæ verbis non curantur, sed ferro. Nam

— — — — — Immediabile vulnus  
ense recidendum, est, ne pars sincera trahatur.

Tibi, profectò, hæc crucem, & infame theatrũ, cum Haman erexisti, te propriis vitiis, velut cincinnis, cum Absalone, supendisti. Disce imposterum proinde, quo loco honesto viro fama sit, quæ multis vigiliis & ærumnis, longã annorum serie, sollicitè parata est & requisita: disce, quoniã vita, & intaminata fama, pari passu ambulant. Multis enim vivere, tædium & emori; lucrum fuit, quos honestæ famæ præcium, & gloriosi nominis ardor, destituit. Disce deniq; imposterum calamum, quem in manu te gerere (nequaquam regere) gloriaberis, non nihil moderari. Quod enim culter in dextra pueri; quod ensis in manu furiosi: hoc calamus, & lingua, in libertate superciliosi. Suscipe igitur Vindicias has meas, quas sereno animo ignobili nomini tuo dicavi, *Verny*, ac velut arma inculpata tutelæ objeci. Mihi scutum sunt; delictis tuis supplicium. Thraesonibus verò & Zolis cautela sint, velim, ne te, *Verny*, æmulentur; cùm paria, aut severiora forsã, illis ex pharetra destinãrim spicula. Vale.



CORONIDIS LOCO

accessit hæc

EPISTOLA APOLOGETICA,

contra quendam,

Schmuzium à Poystorff, Med. D.

ab Anonymo quodam edita :

*Pro integerrima ZWELFERI fama vindicanda.*



Orte accidit, *Obscurissime Doctorum*, ut nuper ea, quæ de Carolo-Badenſibus Thermis, rudiori Minervâ, evulgasti, æquo, serenoq; animo pervolverem. Incidi tandem in *paginam* 27. Opusculi tui, ubi prostituta loquacitate, infami stylo, multisque opprobriis, quasi Veterno correptus, inviolatam tanti Viri famam (*Zwelferum* meum reputo) arrodere & extirpare tentasti. Suspiravi, & cum Cordubenſi Philosopho ingemui: ergone, dicens, tam sacrum nihil, quod sacrilegum non inveniat? quò livor non subrepat? An, ut aurum scoriâ, ut rosa spinâ, ut corpus umbrâ, ut purpura tineâ, ut Phœbus eclipsin patitur; sic Laurus tuâ, *Zwelfere*, monſtroſi partus vermiculum nutrit & sustentat? Audebo aliquid (mecum dicebam) audebo, & hyperbolicum hunc Thraſonem (ipſo *Zwelfero* altum ſilente) vivis coloribus depingam, delineatum in scenâ producâ; ut sic redeat in Authorem scelus.

Et verò, quonam percitus oestro, *glorioſe Thraſo*, quo ambitionis fermento turgidus, *Medice Satyrice*, quâ temeritate, quo ausu, non provocatus, non laceſſitus, in arenâ descendis, phanatico ſimilis, in *Zwelferum* involas, sævis, furis, & velut crabronium jaculis laceſſitus onager, contra ſtimulum recalcitras? Quænam te ſaſcinavit Circe, *morſuaciſſime Zoile*, *Schmuzen*, ut, perruptis honeſtatis repagulis, contra fas & jus, non Philoſophicis argutiis; cum nondum ad Phyiſcas Auſcultationes initiatus ſis, Tiro; non Spagyricis principiis; qui adhuc prima Chymia Theoremata ignoras: ſed maſeſanis calumniis, probroſis convitiis, turpi ſarcaſmo & ſcômimate, imò meris mendaciis, præclaræ notæ Virum, *Zwelferum*, exagitaſ, & velut aſinus luſciniam ad harmoniæ certamen, ſus Minervam docendo, provocares? Rem acutetiſti. Famam tibi, veluti quondam ſacrilegus ad Ephēſum Heroſtratus, infamiâ conciliaſti: ex ſapientiæ tuæ ramo, fructum ſtultitiæ, & ſcientiæ probra retuliſti, ac, unde Laurum ſperare cœperas, infami ſtramine tempora cinges, in vices Panegyris, maledictionum plauſtra relaturus. Quis enim te calonem & lixam, mi *Schmuſi*, in theatrum, cum ſcuto Hecſtoris, cum telo Achillis, cum clavâ Herculis, procedentem non rideat? armatâ cucurbitâ, peltatâ erinaceum, leporem galeatâ, non explodat? Univerſus populus toto ſplene te ridet, & ſubſannat, feſtivum illud reſonando: Pulchrum eſt, digito monſtrari, & dicier: Hic eſt *Zwelferi Maſtix Schmuſius*.

Momum proinde exue, ſublimes moderare ſpiritus, viperinos dentes attento, ſplendorem & famam *Zwelferi* (obſcuriſſimus ipſe cum ſis) ne obſuſcato. Et quanquam nos non lateat, *diſerviſſime Schmuſi*, quod verecundum ſilentiũ uni-



sit amuletum calumniæ; quòd simulare, sit, luculentam Apologiam criminatori-  
bus objicere; verbo deniq; quòd, qui tacer, reipsâ obrectatorum scommata di-  
luat: ne tamen nos *ἀντόματα* & statuas arbitraris, quibus pro corpore truncus;  
pro corde fungus; pro cerebro palea obtigerit: hanc tibi *ἀντίσω* cantilenam occi-  
nere, ac juxta stultitiam tuam respondere placuit, ac in Domino decretum est.  
Enimverò, quid aliud honestus rumor, quàm locuples hæreditas: quam dilapi-  
dare videtur is, qui criminatoribus silentium non imponit? Expertus id est mo-  
destissimus Vir, sæpe dictus Zwelferus, quando in eum, pari supercilio, ausu, cen-  
sura, & convitiandi libidine, olim debacchatus est Medicus quidam, natione Bo-  
jus, nomine *Wolfgangus Höferus*, dum in suo Centone, quem Rhapsodes undique ex  
Authoribus consuit, & sub titulo *Herculis Medici* edidit, lib. 2. cap. 3. de *Pleuritide*,  
sic eum arguit: *Dispensatorium, mutuat à ab alio Latinitate, à se autem conceptâ refor-*  
*mandi inurbanitate, non ita pridem edidit.* Hæc ille. Potuisset Zwelferus, inquam,  
præduro huic nodo durissimum objicere cuneum; invenisset hoc monstrum &  
suum Herculem; maluit tamen parcere defuncti manibus, nec relictis ab eo in  
Pannonia exuviis, & superstiti cineri, maledicere; quin potius æternam requiem  
comprecari. Tacuit, inquam: at quid modesto silentio apud te profecit, *Schmuzi*?  
Fors demiratus es struthionis fermentum, & Viri patientiam, quâ etiam chalybem  
digerit? Minimè gentium! Illusisti, insultasti, simia in purpura, pacato Viri ge-  
nio; hebes Discipulus Doctore modestissimo: & in libello tuo, in quo, ad miracu-  
lum doctus, mira de lente, seu Thermis Carolinis, differis, pag. 27. his in Zvvel-  
ferum formalibus invehis:

*Pro majori Lectoris intelligentia, qui obscura nimis fortassis auriculâ ex Hippocratis  
& Galeni tripode axiomatum & sententiarum animadvertunt Emphasim, pauca dicenda  
obveniunt. Ut sequentia intellectui per levem quandam diaphoram luculentius appare-  
ant, sapienter proinde præceptum est ab antiquis, in rerum naturalium serie non proflare  
vel raro simplex, sed amicâ & quacunq; conveniente perfectionis societate redintegrari,  
quod Compositum Philosophorum & Medicorum vulgò baptizatum est, quod etiam Galenus  
divus noster pluribus in locis, præcipuè aureis in libris suis de Medicamentorum Compositio-  
nibus plus bis millies verò verius comprobavit. Quamvis ille novus & Germanus Galeno-  
& Dispensatorio Augustanorum, mastix, (equidem nescio, quo ductus genio?) ut tam male in  
Medicina parentem feriat & medicamentorum compositionem tam turpiter sine verita-  
tis stamine adoriretur, corrigendo scil. Magnificat: Casarem (sanctissimæ memoria) Ferdi-  
nandum Tertium infelicitis & monstri sui abortus Compatrem compellare non erubuit,  
quam attalidis & holosericis technis & vulpina adulationis fasciis involutum exhibuit, in-  
de dubis procul viridissima se laureâ Casarea Coronaturum. Sed ecce quid instat? Primum  
abortus frontispicium ita Caesaris fascinauit oculos, ut propè cecutiens proximo adstanti  
cubiculari donaverit Medico, huic, ne famulo extorris & orbis incederet in pedissequum,  
juvenem propria sectæ Medicina Doctorem, adjungere placuit, qui se modo ullo, prædicto  
Vindelicorum Dispensatorio, ligari patitur, sibi, suoq; vermiculoso cerebro formaturus pro-  
prium. Viden par nobile fratrum? ast potiora culmina fumant, & ne licentiam parenthe-  
sis transgrediar, & humi delitecam, Thermis, de quibus agitur, me immergam. &c. Huc-  
usque Asinus ad Lyram.*

Pacet tua quæ liverim, anno sa *Vulpes*: qui tibi de volutabro porco, seu è Thermis  
emergenti, Compater fuit? Quis abortum tuum, mi *Schmuzi*, quem spurium & ver-  
miculosum ingenium tibi peperit de Thermis Carolinis, nomine suo legitimavit  
Hæc? Mecœnas fuerit: quo involucro, technis, thecis, & fasciis, primum editionis  
tuæ exemplar investisti? Dubio procul pelliculis ex Arcadia petitis, cuticulæ tuæ  
per omnia similibus; aut pelle Capellæ, Diphtheram tuam ornasti; in qua mul-  
tis de lana caprina differis? Affligit te, *Venerande Schmuzi*, juxta hæc ex Phi-  
losophia Zvvelferiana retorsio? Disce habenas & circumstantias labiis tuis  
deinceps imponere, & æquum magis judicium de Zvvelfero proferre. Nam  
1. cadere hoc in Ferdinandum Tertium, ævi sui Potentissimum Cæsarem,  
qui,

qui, ob sapientiam, alter Salomon audit, ipso Salomone superior; quod sapientiæ, quæ inflat, miram vitæ & morum sanctimoniam, indissolubili humilitatis nexu copulaverit: cadere, inquam, in hanc Majestatem non potuit, ut externo splendore, & peregrinis coloribus ac involucris luderetur: quin imò doctissimos Zwelferi Commentarios, à capite ad calcem recognitos, & ad iudicii sui æquissimi tribunal citatos, approbatos, Augustissimi nominis sui Splendore, Gratiis, Favoribus, ac Indultis firmaret. Extat Torques aureus, magni pretii, cum Numismate, gratiosam tanti Cæsaris, Ferdinandi III, effigiem referente, æternum Cæsarei favoris monumentum, quo ab ipso Augustissimo donatus, dum humili submissione genuinum hunc partum suum dicaret, Zwelferus. Neg; te, *superciliose Schmuzi*, ad scrutandum Cæsareum Diploma, & amplissima Privilegia, quæ ab ipsa Majestate clementer indulta, amandavero. Id unum sufficiat, quod prædicto Diplomate Tibi, *livide Schmuzi*, & sectariis tuis, prohibitum sit, ne, sub Cæsareæ indignationis comminatione, Zwelferianos Commentarios ostentui habere, præpedire, immutare, arrodere ausu temerario præsumatis. Et si notum tibi non est, quod subjungo; scias oportet, quod eodem indultu Sacra Majestas Zwelferum Aulae tanti Cæsaris Medici titulo insigniverit; velut digito innuens, quàm gratus extiterit tantæ Majestati partus Zwelferianus.

Ut autem, Lector Benevole, rem ab ovo, ut ajunt, recenseam, cur virus suum in Zwelferum evomuerit *Schmuzius*: accidit, ut, cum Sacra Majestas Augusta Vindelicorum Comitum ageret, Medicum Ordinatum (quem *Schmuzius* Cubicularium vocat) ad se evocarit, dicatū sibi à Zwelfero novum Dispensatoriū innuens, in quo Augustani reformantur, & emendationes remediorū Dispensatorii proponuntur, non sine sensu Collegii Augustani. Ad quæ prædictus Medicus reposuit, fore, ut Augustani Medici Zwelfero indignentur, calamū arripiant, calumniis constringant. Ad quæ Iustissimus Imperator, Laconicā brevitate, hæc qua monita, qua minas, refudit: si calumniis, non verò argumentis, Augustani reciprocare velint, captis desistant, volumus & jubemus. Hæc vivo testimonio Magni Aulae Ministri etiam hodie confirmantur. Verum ut mos & consuetudo Parasitorum fert, in utrumq; scil. latus claudicare, calida simul & frigida exsufflare, neminem non palpare: cum supra dictus Medicus Augusta Vindelicorum à D. Heinisio, Medico, lautius ad mensam exciperetur, dissona superioribus adulator in quadra protulit: inter epulas Zwelferianas denuò toto ente differentia recensuit palpo: quanquam seriùs Palinodiam cantarit, quando novercam fortunam expertus, splendidi nomine orbatus & humiliatus, Vienna exul, Ferdinando scilicet Quarto (lachrymastibi, Austria, provo-co) heu! expirante.

Hæc (ut ad te convertar, unde digressus sum, *Schmuzi*) hæc nania tuæ spectabant velut scaturiginem. Sed quo animo, calculo & suffragio probas, quod denuò Zwelferus lucubrationes suas, quas inter disparia studia, & Praxin uberrimam, ad Cleanthis lucernam feliciter elaboravit, Augustissimo LEOPOLDO, Magni FERDINANDI FILIO, in Quem, cum Coronâ & Sceptro, Cæsareæ Patris Virtutes, Pietas & Sapientia commigrarunt, ut meritò FERDINANDUM in LEOPOLDO replicatum dixeris, dicavit, consecravit? Amplius dixero: quod genuinus hic, & Solaris Zwelferi partus, Imperatoriâ Majestate protectus, in gremio tanti Cæsaris conquiescit; à quo umbrarū foetus, Momus, illiberalis nominis Euclio, meritò arcentur?

Transio à Maximo Cæsare, ad Literatum Tribunal. Audistinè, *Aurite*, quàm dispar sit Censura Antiquissimæ Universitatis Viennensis, à calculo nigerrimo tuo, quò contra Zwelferum suffragaris? Proscriptus es unanimi consensu virorum Principum in Medicinâ. Quin imò, altum silente Inclytâ Facultate Medicâ, Vienna & Austria pro Zwelfero, Theseo suo, fidissimo Achate, languentium publico Asylo, contra te perorat: quanquam & de te meliora deinceps sperem; forsan lupo pilum, asinus vocem, *Schmuzius* mores suos castigabit. Quamvis rem dixero magnam:

Zoile, si bonus es.



Et hæc erant, mi *Schmuzi*, quæ modestiori calamo, sine felle & fermento, ad Te perscribere volui, non ut *Magnificat* (uti *Zwelferum* infimulasti) corrigerem, sed ut *Credo* te docerem; qui fidem non mereris, Reipublicæ Medicæ infidelis. Esto fidelis deinceps Deo, Tibi, Proximo; & si te, cum Cæsare, Alexandri Magni statua; cum Themistocle, Miltiadis trophæa; in literaria Palæstra aliena palma ad æmulationem invitet; ne tibi furor suppetias ferat; ne calumniis, & mille probris, veluti totidem gradibus, ad honorum fastigiat tibi viam sternito. Redit enim tandem in Authorem scelus. Paribus armis cum *Zwelfero* congredi debebas, quem, cum Philosophus, cum Chymicus, cum Medicus sis, rationibus Philosophicis, Spagyricis inventis, Theoricis argumentis, veluti totidem telis, acriter urgere debebas: tum applausisset Victori *Schmuzio* tota Medicorum familia, festivum illud acclamando: Vivat *Schmuzius*, Jo Triumphe! Nunc verò turpiter, è lucta claudicanti, inglorio & devicto, tota tibi rudis Arcadia, & bipartitum illud resonat: I-O. Triumphe. Patet tibi nihilominus arena & literaria Palæstra, in futurum: in qua si tam ampla sit domi tuæ supellex, ut rationibus & argumentis cum *Zwelfero* decertes; ejus dispensationes, doctas additiones, proprias experientias, & secreta (tibi porco Margaritas objiciendo) communicata refutes, humaniter te conducimus, ipso *Zwelfero* provocante. Quamvis, ut saniora consilia secteris, tibi Author sim, mi *Schmuzi*. Nam contra stimulum calcitras; contra torrentem niteris; in sicco navigas. Univerſa enim Europa tua confutabit argumenta. Non est Univerſitas, ad plagam Septentrionalem: Anglia, Gallia, Rhenus, & (ut *Laconismo* utar) nullus in Europa locus est, qui *Zwelferi* lucubrationes ad se non alliciat; improbum laborem non approbet. Ipse non ita pridem arbiter fui literarum, quibus diversæ literatæ familiæ, magni nominis Doctores Medici, absolutissimi Chymici, sollicitis votis prævenere, ut hunc partum, quem obstetricante Pallade feliciter jam enixum vides *Zwelferum*, luci & publico emolumento donare dignaretur. Et sanè, nisi quis ad meridianum cæcutiat, ultrò fateri debet, has *Zwelferi* vigilias, & sincerissimam secretorum communicationem, incomparabile lucrum & emolumentum Orbi universo attulisse. Nec tu ipse, mi *Schmuzi*, inficias ibis, nisi livor simulare cogat, quod *Zwelferi* industriæ Bibliothecam tuam condecorent; eas instar fidelis Dormi - securè, aut Vade mecum, cûstodias; denique Panacæ tuæ sint arcana furti, ex *Zwelfero* petita. Et ne cum hyperbole magnificè, plus, quàm veraciter, hæc à me adducta suspiceris, ad manūs mihi sunt fasciculi literarum, quibus consummatissimi Practici & Spagyrici arcana animi sensa produnt, & quo loco *Zwelferum* habeant, luculenter demonstrant.

Inferam unum alterumve fragmentū, ne prolixitate mea ingratus tibi accidam.

Excellentiss. Vir, Dn. D. Daniel Geyger, Medicus ex Collegio D. D. Augustanor. quem Hungaria, ob felicitatem & dexteram Praxin, obstupuit, de dato 14. Calend. Decembr. 1652. sic ad *Zwelferum* scribit:

**U**tilissimum Excell. Tuæ laborem summo perè commendavi, dignumq; judicavi, ut, ad Aram Apollineam suspensus, immortalitate donetur. Certum enim est, innumeros crassos & turpes errores in Almam nostram irrepsisse Medicinam, in primis Pharmaceuticam, diuq; jam, à multis bonis exoptatam & desideratam fuisse competentem reformationem, & ad frugem meliorè reductionem. Tentarunt hoc non infeliciter *Quercetanus*, *Sennertus*, *Sala*, *Mynsicht*, & alii; imò memini, olim à Clarissimo *Philippo Menzelio*, Professore Ingolstadiano, & *Thoma Mermannno*, Archiatro Electorali, simile quid tentatum, sed humanæ conditionis injuriā absolutum non esse. Proinde summis en-

comiis

comiis dignissimum, & Lauro decorandum te judico, Excell. Doctor, quòd, his præclarissimorum luminum vestigiis insistent, etiam aliquid fæcum Augiæ huic stabulo subtrahere, huicq; inclytæ Arti nitorem addere volueris. Quod quidem tantò perfectiùs & feliciùs absolvi potuit; cùm, juxta Procemium dictæ Pharmacopœiæ, sedecim integris annis, laboriosâ & improbâ sedulitate, tam legendo, quàm manum ipsam admovendo, magnam tibi, hâc in parte, experientiam comparâris. Pro quâ insigni bonitate, & juvandi promptitudine, & ego, & rota Medica familia, gratias E. T. ingentes & immortales meritò debemus.

*Ex Literis Excell. Dn. D. Schmidt, Dantiscani, de dato 8. Febr. 1652.*

**O** Blatæ ab Amicorum quodam, ad bihorii spatium, mihi sunt Animadversiones tuæ, in uñtatissimam, nostris in Officinis, Pharmacopœiam Augústanam, ut, quid de iis sentirem, exponerem audacter. Breve fuit tempus &c. Legi tamen eas cursoriè, & relegi in eis plurima; Gratulabar initio mihi statim, inventum tandem aliquem, qui rem hanc maximè necessariam aggredi non dubitaverit, cùm, quantam ex futilibus non paucis Compositionibus perceperim nauseam, testes apud nos sint plurimi. Taceo, quòd, plurima sine necessitate, imò præter rationem omnem, unâ in Compositione congesta esse, quæ vel sanis nauseam movere possint, sæpe molestè tulerim. Hoc tamen magis me affecit, quòd calida frigidis, siccis humida, confusa ægris propinanda exhibita fuerint: idq; speciem, nescio cujus, eruditionis præ se tulisse, nemo non existimaverit: cùm tamen farrago talis jure merito jamdudum risu & cachinnis digna fuerit. Futilem tamen hunc errorem demisso capite, arietum ad instar, & magni secuti sunt, & nefas, quidquam mutare, existimarunt. Salivam mihi sæpius moverunt inepta pleraq; Elektuaria; inutiles Pilularum massæ; Specierum farragines, & quod ineptiarum est reliquum. Dolui non rarò, Medicinam nostram, imò magis Ægros, rebus talibus conspurcari. Dolui, plura ad pompam magis, quàm necessitatem, ne dicam, rationem fieri. Nunc (immane quantum!) gaudeo expletum plurimorum desiderium, detectos esse errores, nec paucos, nec leves. Tibi verò, Amicorum optime, gratulor, de reportata ex labore hocce gloria. Talem te nempe gessisti, ut nemo non obstrictum se tibi agnoscat; quamvis non dubitem, fore etiam plurimos, quibus discere pudor erit, quiq; cavilandi occasionem arripient: hos tamen, cùm rem pro se ipsam loquentem habeas, vel solo contemptu refutasse, sat erit,

*Porro Excell. D.D. Henricus Cisterus sic ad Zwelferum scribit Haderslebio Holsatorum, de dato die Circumcisionis Domini, 1653.*



Ἐυζωίαν καὶ εὐπρεξίαν!

**M**Unus tuum literarium, dudum Viennâ ad me transmissum, Excell. Zwelfere, ritè accepi; quod, ut vidi, ambabus (quod ajunt) sum amplexus ulnis, imò ad os meum appressi, & exosculatus sum; adeò gratum mihi fuit donum illud, abs tam amica manu, ac è tam longinquis profectum oris; quò in, ut video, bis honorificam mei mentionem facere, haud gravatus es, sed (ut verum fatear) ex amico affectu tuo magis, quàm meo merito. Quippe ob exiguam illam, quam ego, in isto elimando, Tibi locavi, opellam vix promerui, ut mei esses memor, nedum ut tam honorificè nominis mei memoriam illi infereres; quo ipso tamen duplici nomine Tibi me de novo reddidisti devinctum, perpetuaq; debendæ gratiæ reum. Vix credis, Amicorum Ocelle, quantis labor iste tuus tam egregius, à laudatis Viris, quibuscum hinc inde mihi literarum intercedit cōmercium, commendatur encomiis, & quantopere tu illo ipso plures eorum, qui in castris Apollineis sacra faciunt stipendia, Tibi devinxeris. Qui, ob id, hunc ingenii Tui fœtum in oculis & sinu gerunt; in *τεμπέλειον* perpetuæ & nunquam intermorituræ memoriæ Tui, Perge, perge, Amice optume, ævum hoc ulterius illustrare ingenii tui monumentis, & quæ adhuc premis, servasq; recondita, propediem benigniter exprome, & publici fac juris, nec quicquam rabiosos Zoilorum morare insultus, plurimumq; mordacia verba; quin contra audentior ito, proximiq; Tui, quantum potes, promoveto commoda. Sic Te supremum Nomen juvabit, nomenq; Tuum immortalis Fama evehet ad æthera. Vale, & animus salve, mi Zwelfere, atq; hunc ineuntem novum annum, aliosq; innumeros subsecuturos, in omni prosperitate vivas, valeasq;, vide; & constanter amare perge

Merito Tuo Tibi

addictissimum

*Henricum Cüsterum.*

Præterea Excell. D. D. Barthol. Moser, Phil. & Med. D. ac Prof. Publ. Dilingæ, sequenti Epistolâ, additoq; Carmine Encomiastico, de dato 21. May 1662. ultro describit.

*Nobilissime, Clarissime, & Excellentissime Dn. D.*

**L**Atorem harum, Juvenem egregium (qui in Pharmacopœia nostra Dilingana TiROCINIUM suum absolvit, & operâ ac industriâ suâ nobis abunde satisfecit; jam verò studio Philosophico picturato, in alma Universitate Viennensi, Medicum quoq; adjungere, promptiore tamen Marte, quàm subsidii promptuario, animum induxit) tametsi pro merito suo Viennam, n.p. Patriam, revertentem obtinuit, quibusvis

busvis Literatorum Patronis & Meccenatibus meliore notâ commendare non superfedissem: id ipsum tamen in Clarissima Dominatione Tua eo liberaliùs exordior, quòd optatam jampridem occasionem, eadem operâ, jam nactus sum, ut Clarissimæ & Excell. Dominationi Tuæ mentem meam, super Opus suum Exercitationum Pharmaceuticarum, præstantissimum & nunquam satis laudandum, apponere, simulq; bene precari possem.

Quamvis n. feracissimum hoc seculum Scriptorum, tam in Medica, quàm in aliis Facultatibus, numero abundet penè innumero; asseverare tamen possum id, sine palpo, me in hâc, & palæstra Medica, jam ultra decem lustra sudantem, nihil hætenus vidisse, quod mihi gratius, rei Medicæ utilius, imò magis etiam necessarium, hæc ipsa correctione, fuerit. Siquidem Compositiones medicamentorum tam multæ, & apparatu tituloq; splendidæ ac pretiosæ, propter incognitam accuratiùs præparandi normam; ideoq; hætenus rudem & illegitimam, tam in Veteribus, quàm Recentioribus Medicis traditam, nec non à Modernis receptam & usitatam, non solum imperfectæ & mancæ, sed non rarò etiam inutiles, ne dicam, miseris Ægrotis damnosæ, Pharmacopœis præscriptæ fuerunt: quæ nunc Clariss. Dom. Tuæ labore, industriâ, limaq; dexterrima perfectionem suam, à me ipso, cum Jos. Quercetano, jampridem desideratam nactæ sunt.

Sint fortè obrectatores lividi, vel arrogantes Zoili, qui errores suos non capiunt, aut capere nolunt; vel cum errantibus pertinaciter errare, quàm veritati subscribere, malunt; parum refert; ringantur & rumpan-  
tur malevoli. Clariss. Domin. Tua nihilominus partam hoc labore gloriam & laudem suam, apud omnes bonos & æquos arbitros, veritatis amantes, inviolatam æternum servabit.

Proinde hortor etiam Clariss. Dom. T. ut, quoniam rebus Chymicis præparandis dexteriores longo usu & ἀνὸς ψία notitiam & scientiam acquisivit (sine proluxa tamen ejusmodi medicamentorum farragine, quorum copiâ ingenti, inutiles, & fastidiosâ, cum encomiis suis parum fides, integra referta jamdudum sunt Volumina) ipsam potiùs tractandorum Mineralium & Metallorum genuinam rationem, prout in Animadversionibus suis fecit, in publicum proferre, nobisq; communicare velit.

Ad quod ut feliciter proficere possit, vitam Clariss. D. T. prosperam & incolumem à Deo T. O. M. ex animo precor: cui nos unice comendo.

*Dilingæ, 21. Maij 1662.*

Nob. & Excell. Dom. T.

*ad officia grava promptiss.*

Barthol. Moser, Med. D. & Prof. Publ.

KKK 4

CARMEN



Epistola Apologetica  
CARMEN ENCOMIASTICON  
extemporale:

in

Honorem, & Gratiam, de re Medica,  
propter publicatas Exercitationes in Pharmacopœiam Augustanam  
utilissimas & laudatissimas optimè meriti

*Nobilissimi & Clarissimi VIRI,*

DN. JOANN. ZWELFERI,

Artium & Med. Eximii Doctoris,  
*ab Amico & Fautore benevolo conditum.*

**P**ROdiit Undenis, patrio famosa nitore,  
Augustana novis Pharmacopœia typis.  
Nempe novis toties facta & natalibus aucta,  
fœcundum docuit se cumulare librum.  
Et fœcunda satis fuerat, nisi adultera prolem  
passa foret spuris dedecorare suam.  
Sed quia lascivo stimolata frequentius Oestro,  
dissimilem fœtus protulit illa gregem:  
Crevit in immensum, variis jam partibus ampla;  
donec tanta sibi copia facta gravis.  
Augustam tandem miseratus Cynthius Urbem  
vellicat, & memorem nominis esse jubet:  
Nominis Augusti, quô nil præclarius usquam  
cuncta videns, toto, Phœbus, in orbe videt.  
Hæc parens monitis, fœtum circumspicit omnem,  
quem spurio peperit Pharmacopœia sinu.  
Vidit, &, incassum tantos abiisse labores,  
ingemuit; prolem pœnitet esse suam.  
Vidit & obstupuit; tantum non eluet undis  
Heu! facinus, dicens: Vindalicusq; suis.  
Protinus exclamat; nostros, Hygiæa, penates  
quæ colis, assuetos siste superba gradûs.  
Jam satis est lulum: sat, luxuriasse tot annis:  
Nunc decet alterius subdere colla jugo.  
Scit DUODENUS, ait, nostræ reparator Hygiæ,  
Æquus & hic lacrymis arbiter esto tuis.  
Nec pigeat, tanto documenta audire Magistro,  
cujus judicium vel Themis ipsa probat.  
Hic rerum vires, artemq; repandat, & usum,  
corrigit hic nævos, Pharmacopœia, tuos.

Felix

Felix ZWELFERUS, felici sydere natus,  
Qui genio superat secula multa suo.

*Barthol. Moser, M. D. & Prof. Publ.*

Taceo Excellentiss. Viri & Medici Schaffhusiani, D. Johann. Wepfer, eruditissimam & prolixam, de Zwelfero, Panegyrim; uti & fusam Dn. D. Joannis Imbeler. Epistolam, dato 17. Octobr. 1657. stylo excellenti & acuto; uti vir est omni exceptione major: in qua suum Zwelferum plus hactenus dictis evehit.

Salisburgo, 28. Januarij 1657. Excell. Vir & Medicus, D. Rupertus Streicher, in Epist. ad Zwelferum; Opus ejus toti Imperio desideratum, Reipubl. Medicæ unice necessarium vocat.

Prænobilis Vir, Jod. Christophorus Kres à Kressenstein / Ordinis Patricii & Senatorii Norimbergæ, datis ad Zwelferum humanissimis literis, de dato 31. Januarij 1653. decumanas Authori gratias agit, ejusque sudores abstergit, Idiotas malevolos & Agyras demiratur, quod Zwelferianam gloriam & palmam deprimere nitantur.

Pertranseo varia Collegia Pharmaceutica. Dantisani, quorum nomine Henricus Linck: Sebastianus Schröder, vices Norimbergensium agens: Matthias Bansa, Francofurtenses supplens; uti Hamburgo Joannes Kramer: Lunæburgo, Bartholomeus Hecht: Dresdâ, Georgius Grünberg/ omnes, anno 1653. amicis literarum Zwelfero obsequium deponunt, unanimi confessione: tale Opus à Medico perfici non potuisse, quem non Pharmaceutici labores multorum annorum serie initiassent. Habent, ex dictis Epistolis, malevoli, quod legant, scil. non Pasquinis & gerris, sed ponderosis Philosophicis argumentis, Zwelferianam veritatem esse arietandam.

Agmen ducat fragmentum Epistolæ, Viennensis Facultatis Medici, nunc autem extra Patriam, apud Jaurinenses, Physici, dato 24. Martij 1666. Joh. Adam Spenholz: Cujus hæc ad Zwelferum.

Reddita est mihi Epistola tua elegantissima, Clarissime Doctor, aviti candoris, & germanæ sinceritatis, tessera. Mirum dictu! quantum lætitiâ diffuebam, quod ex ea percipere licuerit, te denuò majora in re Medica excolenda (cùm maxima jam præstiteris) pro prælo meditari. Faxint Superi, incomparabilis Vir! ut, qui jam olim nutantibus Medicinæ firmamentis, melior Atlas, succollasti, & ut quondam Theseum Gnosia Virgo, è Labyrintheis plexibus Medentes duxisti filo; sic deinceps Numen appareas: homo homini Deus. Urinam, Excellentissime Zwelfere, æquus omnibus sit oculus, & non, quis scripserit, sed quid scripserit, animadvertant; elatiore inflati spiritu, saniora non respuant consilia, nec erudiri detrectent, sine sensu ipsis sibi sapientes. Habent certè, quod mirentur, in Scriptis Zwelferianis, Philosophi; quod æmulentur, magni nominis Chymici. Et pauci hactenus Scriptorum (suus cuiq; sit honos) te adæquarunt, quantum memini, supergressus nemo. Quanti autem doctissimas Animadversiones Tuas, & Notas, faciam, ut demonstrem; illud de his, quod de Homeri Iliade, magnus olim Macedo, mihi dicendum venit: diem me perdidisse reor, quo Zwelfero non vacavi. Age, quod agis, & cœptum curriculum ad bravium usq;

pro-



prosequere. Et si te fors, cum columbis, censura vexarit, illud indubitatum habeto; quod, invideri, sit excellentiæ nota, ærarium gloriæ, & famæ nunquam intermorituræ possessio. Vale, Doctissime Virorum, & trophæa tua ad emorientis usq; Oceani oras, ad Herculis columnas, extendito, donec aliquando palmam cedas maximæ spei, & raræ educationis, paternarum virtutum ex asse hæredi, Filiolo tuo, qui etiamnum ex rudi adhuc massâ quasi præfulgidus Adamas resplendet: ut verissimum sit, animum sapientem nasci; non arte parari: nec imbelles generare columbas Aquilam. Hunc ut in ævum Cœlites fospitent, cordialisimè auguror. Valete.

Hæc, ex innumeris pauca, deprompta sunt, ut videas, quàm dispar sit à Viris honestis malefanum iudicium tuum.

Et ne digressionis figurâ tui memoriam penitus amisisse videar, *Schmûzi*, Fragmentum quoque è libro tuo de Thermis Carolo-Badensibus hîc inferam: quo ex loco tibi demonstrare cupio, nullam esse paginam libelli tui, quam taxare & castigare non possimus, accedente convitiandi libidine. *Pag. 38.* Tractatus tui, manifestam hyperbolen, &, ne dicam, decumanum mendacium, si ad literatum tribunal evoceris, fateri cogêris. *Ais enim, loco citato, quod Badena, Vir Consularis & Senator prudens & discretus, David Grafer, lapidem Thermalem Mineralem trium librarum pondo examinandum exhibuerit, purioribus ex succis Thermarum supra scoparum virgulæ, straminibus & paleis injectis, & in veram lapidis figuram congestum, aliis duritie non cedentem lapidibus, qui unius fonticuli seu scaturiginis labro adaperto, in angustius cogendo calidarum aquarum opus, cum aliis multis huc similibus, ab illo collectus est. Hujus substantia pendebat:*


|              |         |
|--------------|---------|
| Nitri        | ℥x℥.    |
| Squam. ferri | ℥viii.  |
| Alum.        | ℥iiij.  |
| Sal. Nitri   | ℥iiij.  |
| Vitrioli     | ℥iiij℥. |
| Stiby        | ℥ij℥.   |
| Bitum.       | ℥ij.    |
| Sulphuris.   | ℥j.     |

*Subjungis: Et hæc est Thermarum Carolo-Badensium secundum exiguam meam rationis trutinam, & infimum manuum mearum laborem compositio, quæ si minus placet, humanam non recuso, & doctiorem correctionem, quippe me jam pridem doctioribus mancipavi penitus &c.*

Viden', quàm audacter & magniloquè, quàm liberè hoc attuleris? An 1. fidem non excedat, has tam differentes & heterogeneous Mineras, lapides, sulphura, salia, verbo deniq; totam ferè mineralium classem, in una matrice & gremio medicati Fontis delitescere, ac, intimè sibi unita, ad univocos effectûs producendos, ita concurrere, ut tamè realiter distincta, actu divisa, in Composito perseverent, ut se ponderari, dividi, omnem in partem versari sinant, nullâ qualitatum factâ jacturâ; uti ex tua patet analysi, & adducto experimento? 2. Quis definiat, quòd Mineralia in ejusmodi medicatis aquis materialiter & corporaturâ suâ inexistant; quin potius imprægnatione quadam, & spirituosæ partis impressione, id fieri asserat; ac, dum fontes ejusmodi mineras alluunt, iisdem spiritibus turgere incipiant, sintq; virtualiter, non verò formaliter, Nitrum, ramenta Ferri, Sulphur, &c? 3. An actio lapidifici spiritûs tam arctum formarum nexum disunire queat, ut, resoluto Composito, tot inter se realiter distinctæ partes integrantes, conservatis sibi propriis

priis accidentibus, odore scilicet, sapore, quantitate, pondere, in scenam prodeant, in manifestissimam probationem: mineralia formaliter & materialiter Thermis inexistere? 4. Stybium, Bitumen, his Thermis inesse, alio loco falsissimum probabo. 5. Hanc thesin & experientiam tuam Paracelsus, *lib. de morbo Tartareo*, confundit. Nostro seculo, præter alios, Hildanus, *de Griesbaccensibus & Piperinis*: acutissimus Helmontius, *Paradoxorum* 4. quo in loco parem Thermarum anatomicum manifesti mendacii convincit, & post serias destillationes tantum mineralium catalogum se non deprehendisse, manifestè asserit. Ejus verba, *loco citato*, consule. Ibidem reperies, ab Helmontio genuinam docere Philosophiam, aciditatè & qualitates reliquas fontis salutiferi, quibus turget, non ab alio emanare, quàm à mutua salium (quos esurinos vocat) effervescencia, actione volatilium in fixa, & reactione fixorum in volatilia; & è contra. Ut ut sit: libellum tuum severiori indagine scrutari, hinc nec locus, nec animus est. Tuus sit tibi honor & decus, ut inter Reipublicæ Medicæ bene meritos, & Scriptores notèris. Id solum ab Inductione remonstrare volui, neminem tam securè degere, quin leviori pateat aditus; ne tam sapienter rem unquam dici, quin possit contradici. Tu interim, mi Schmuze, saniora consilia amplectere, palinodiam & retractationum libros meditare; memor illius: non dimittitur peccatum; nisi restituatur ablatum. Et quam, prostituto calamo & ore, tanti Viri famam (veluti cuniculos agendo) evertere tentasti, publicâ falsi confessione erigere studeto. Te Zvvelferus interim, Vir ad modestiam & publicum emolumentum natus, etiam erga Te ingratissimum cuculum viscera miserationis gerens, valere jubet, & Christiano animo fausta quæq; precatur. Te quoq; Anonymus salutatur, simulq; hortatur, ne iter, quò properas, Anticyras suscipere graveris; multum ex helleboro profecturus. Vale.

F I N I S.





# ERRATA TYPOGRAPHICA,

in Apolog. contr. Tacken.


| Pag. | lin. | pro                            | lege                  | Pag. | lin. | pro              | lege                   |
|------|------|--------------------------------|-----------------------|------|------|------------------|------------------------|
| 4    | 17   | ut eam veritus &c.             |                       | 149  | 11   | calidè           | callidè                |
| —    | 25   | Hujus libri occasione &c.      |                       | 150  | 32   | Cerebri          | Cerebro                |
| 25   | 17   | ficam                          | si rām                | 151  | 40   | adaptandis       | adaptandus             |
| —    | 42   | -fi                            | fit                   | 156  | 48   | Clarissimi       | Clarissimos            |
| —    | 48   | salis Viperini. &c.            |                       | —    | 49   | Celeberrima      | Celeberrimos           |
| 26   | 24   | salium                         | salium                | —    | —    | Medici           | Medicos                |
| 31   | 14   | volatitem                      | puriorera             | —    | —    | Archiatra        | Archiatros             |
| 34   | 11   | extorta                        | extorta               | 62   | 2    | 1465.            | 1464.                  |
| —    | 32   | lin. 4. pag. 17                | lin. 17. p. 4.        | —    | 16   | notor            | motor.                 |
| —    | 41   | colludas                       | collaudas             | —    | 47   | dissolvunt       | dissolvant             |
| 44   | 37   | histo. cam                     | historiam             | —    | —    | addunt           | addant                 |
| 57   | 11   | hanc                           | hunc                  | 166  | 25   | dam              | dum                    |
| —    | 35   | illi                           | illo                  | 168  | 32   | præcipitatis     | præcipitati            |
| 68   | 3    | puro                           | pure                  | —    | 19   | hunc             | Hanc                   |
| 72   | 4    | destruens                      | deobstruens           | —    | 20   | operā            | operosa                |
| 91   | 20   | acidi                          | acidi                 | —    | 36   | adduci           | adduc                  |
| 92   | 40   | dimidialis                     | dimidia ejus          | —    | 36   | loculenter       | luculenter             |
| 93   | 43   | apparuit                       | apparavit             | 180  | 6.7  | exuffetis        | exufferis              |
| 95   | 11   | exale. &c.                     |                       | —    | 25   | rumbrum          | rubrum                 |
| —    | 49   | false                          | falso                 | —    | 33   | facultes         | facultates             |
| 114  | 29   | Desertam                       | Desertam              | 181  | 6    | acidor.          | acido                  |
| 117  | 17   | nutrice                        | nutrire               | —    | ult. | acido            | acida                  |
| 121  | 29   | occulata                       | occulata              | 186  | 31   | folibus          | foliis                 |
| —    | 32   | universi                       |                       | 194  | 4    | sapore           | saporum                |
| 127  | 11   | ad e                           | odore                 | —    | 29   | Celsum           | Calsum                 |
| 137  | 17   | Judicet                        | Judicet               | 202  | 16   | ingillo          | tigillo                |
| —    | 33   | Salia                          | Salia                 | 206  | 44   | effectus         | Affectus               |
| 129  | 4    | vegetabilis aqua forti         | vegetabili aqua forti | —    | 49   | Tincturam Martis | Tincturam Martis ad-   |
| 131  | 48   | effudit                        | effudit               | —    | —    | simpl. &c.       | stringentem simpl. &c. |
| 138  | 48   | naturam                        | natura                | 209  | 40   | disce dante      | disse tanto            |
| 141  | 35   | scientia                       | scientias             | 211  | 42   | tunc,            | hunc                   |
| 144  | 4    | destruens hoc Compositum       |                       | 216  | 41   | Red evasit       | Rex evasit             |
| —    | 14   | quod acida, seu acidi spiritus |                       | 228  | 37   | & alios          | alias                  |
| 148  | 3    | Salem                          | Solem                 | 229  | 8    | Carallariō       | Corollario             |

In Apolog. contra Verny.

| Pag. | lin. | pro      | lege     |
|------|------|----------|----------|
| 236  | 39   | lascinia | Luscinia |
| 246  | 5    | ait      | ais      |
| 256  | 28   | fiorci   | floci    |







PHARMAC  
• REGIA •

659